

FRANCISCI PETRARCÆ

EPISTOLÆ
DE REBUS FAMILIARIBUS
ET
VARIÆ

TUM QUÆ ADHUC TUM QUÆ NONDUM EDITÆ
FAMILIARIUM SCILICET LIBRI XXIIII. VARIARUM LIBER UNICUS
NUNC PRIMUM INTEGRI ET AD FIDEM CODICUM OPTIMORUM VULGATI

STUDIO ET CURA
IOSEPHI FRACASSETTI.

VOLUMEN SECUNDUM.

2



FLORENTIÆ,
TYPIS FELICIS LE MONNIER.

MDCCCLXII.

FRANCISCI PETRARCÆ

EPISTOLÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS

ET

VARIÆ.

FRANCISCI PETRARCÆ

EPISTOLÆ
DE REBUS FAMILIARIBUS

ET

VARIÆ

TUM QUÆ ADHUC TUM QUÆ NONDUM EDITÆ

FAMILIARIUM SCILICET LIBRI XXIIII. VARIARUM LIBER UNICUS

NUNC PRIMUM INTEGRI ET AD FIDEM CODICUM OPTIMORUM VULGATI

STUDIO ET CURA

IOSEPHI FRACASSETTI.

VOLUMEN SECUNDUM.



FLORENTIÆ,

TYPIS FELICIS LE MONNIER.

MDCCCLXII.

FRANCISCI PETRARCÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS

LIBER NONUS.

EPISTOLA I.

FRANCISCUS PETRARCA MANFREDO PIO DOMINO CARPI S. P. D.

Gaudet non prius de ægritudine quam de eius valetudine ferme redintegrata sibi nunciatum esse et constantiam animi in adversis suadet.

Crebros insultus atque impetus fortunæ, nec minus crebros famæ volatilis his temporibus patior. Venenatis illa animum spiculis, hæc aures ferit, et simul hinc utraque percutit, hinc minatur. Solebant læta tristibus amaris dulcia misceri. Nunc, heu, tristia et amara omnia. Illa mellis inscia duris animam figit aculeis; hæc ignara lætitiæ meros loquitur mœrores. Et contra fortunam quidem scimus unicum clypeum esse virtutis, cuius quoniam sim inops, sæpe per hoc tempus lethalibus plagis experior. Famam vero quibus armis sine alis evaderem? volucre monstrum est: hoc remedium elegi: de re nulla unquam ac de nullo hominum percontari. Sed id rursum inutile: etsi enim linguam frenassem, aures non obstruxeram: ita nihil interrogans audivi multa quæ nolui, et morbos et funera et graves amicorum casus, quorum vel meminisse supplicium est.

Importuna tamen hæc nuncia in hoc uno mihi se præbuit mitiorem, quod non prius ægritudinis quam convalescentiæ tuæ notitiam ingessit. Surrexisse didici quem cecidisse nesciveram. Ita de præsenti lætus, de præterito iam securus (nullus est enim metus, nulla sollicitudo præteriti), stupens tamen et veluti qui præruptas angustias incautus evaserit, attonitus hæreo, et consideratione vitati discriminis gaudens, tremo. Illi gratias, qui et sospitatem tuam passus est tentari, nec est passus obrui, ne gravi nos opprimeret mœrore, sed ut gaudium cumulans periculo, et nos posthac tui semper avidiores, et te nobis efficeret cariorem. Nostras sane Pierides, si fieri possit, optaverim tantisper herbarum notitia permutasse, quo tibi aliquid in hoc statu salutiferæ opis impertirer. Cæterum, quod ego posse cuperem is qui ad te mittitur insignis physicus, Deo aspirante, præstabit, et, quod hoc quoque in remediis non ultimum ponis, ego ipse, cum primum dabitur, sequar. Unicum interim antidotum, quod apud medicos nostros invenio, his litteris inserendum duxi, quod si bona fide hauseris, sanius a quoquam Hippocrate consilium ne speres. Est autem ex his ferme confectum rebus: ut in primis te ipsum et res tuas divino volens committas arbitrio: animum ad cœlum erigas, et in illo figas spei ancoram a quo uno non solum accipere potes ut sis salvus, sed ut esses aliquid accepisti; neque diffidas extrema tua magnifice curaturum, qui tantam de primordiis curam gessit; simulque ut intelligas decere virum fortem et fortunæ præliis assuefactum, morbos ac mortem et mortalia cuncta despicere, supra humanos sese casus animi alis attollentem, qui sæpe, ægro

atque affecto licet in corpore, sanus apparuit, intraque dolorum morsus et in ipsa morte, clarum dedit experimentum posse felicitatem in his ipsis quæ miseriæ vocantur existere, veramque animi virtutem corporeis passionibus inconcussam. Ad extremum memineris animi habitum ad utramque partem corpori plurimum conferre solitum, et esse qui, suum cor clanculum exedentes, ætatis iustæ tempus abrumpant, qua nulla maior insania fingi queat; esse qui honesto gaudio florentes annos prorogent, mortem ac senium differentes, illa quoque, cum naturæ lege pervenerint, forti animo laturi. Horum consilio ut accedas velim; depone inutilem dolorem, pelle curas supervacuas, discute damnosas animi nebulas. Et ad summam, quidquid premit aut tranquillitatem turbat abiicito, utile homini inter vitæ huius procellas et in hoc exilio sæpe famosissimum virgilianum illud exclamans:

Durate et vosmet rebus servate secundis.

Vive et vale, nostri memor.

III Kal. Augusti.

EPISTOLA II.

FRANCISCUS PETRARCA SOCRATI SUO S. P. D.

De plurium amicorum suorum morte conqueritur: et Socratem, de cuius origine et moribus multa commemorat, in Italiam arcessit.

Te compressis aliquando gemitibus sedatisque suspiriis atque animi turbinibus, infracta voce siccisque oculis alloquor. Sic me audies quasi hominem nau-

fragio elapsum, fessumque querimoniis, sedentem in litore, mœstum quidem, sed iam fletu abstinentem, et parvas magnæ fortunæ reliquias recensentem. Mitto illas amœnissimas atque amplissimas amicitiæ opes, quibus abundantissimus, regibus ipsis ac terrarum dominis mihi ditior videbar, quarum repente pauperrimus factus sum; non est ferendus qui imminutas delicias suas luget. Ad necessaria vitæ præsidia, quæ nostra videbantur, sed non erant, transeo. Duos mihi fratres genitrix mea, plures amicitia pepererat. Primum quidem fratrum naturalium mors infantem tulit. Secundum mihi Cartusia, iam virum, abstulit, immo vero non mihi, sed mundo ablatum Deo reddidit, Gerardum nostrum, nulla in re aut germano tibi unico secundum, aut mihi quam tibi ullis affectibus vinctiorem. At in reliquis, ut sileam duos, recentium mihi fletuum materia, quorum alterum Apenninus extinctum habet, alterum terror vagus, ita ut illius certa mors, huius incerta sit; quatuorque alios non omittam, Thomam scilicet ac Barbatum, et Lælium et Guidonem nostrum, quorum primum Messana Siciliæ, secundum Sulmo Brutiorum, tertium Roma, quartum Ianuensis ora donaverat; sed primum mihi mors tenerum, secundum tenax nodus, tertium cura reipublicæ, quartum vero curialis occupatio habendique studium eripuit; duo præter hos alii contigerant, nulli vel ingenio vel amicitiæ gloria cessuri: Franciscus et Ioannes, conterranei mei ambo, par hominum ad unguem doctrina et morum elegantia perpolitum. Hos mihi patria quæ dedit, ipsa eripit. Ita enim affixi, et nativæ zonæ dulcedine compediti sunt, ut, cum amoris illorum pignora multa quidem et magna possi-

deam, convictus nulla prorsus extra muros patrios spes sit. Ita, quoniam de amicis paribus sermo est, quorum facilior suaviorque usus, vides, nisi fallor, ut ad te unum vere tota res redit. Te autem, mi Socrates, te unum mihi, quod mirentur posteri, non tellus Ausonia, ut reliquos, dedit, sed Cereri et Baccho et Minervæ sterilis, at virorum fertilis Annea Campiniæ: neve forsitan rudis lector Campaniam dici putet, Campiniam dico, inferioris Alemanniæ, ut nunc vulgo fertur, vel aliter extremam Galliæ Belgicæ particulam, quæ inter lævum Rheni latus et Hollandiam et Brabantiam iacet, ut inops patria divite gloriaretur ingenio, et natura suum ius teneret, e limo quolibet, et quocumque sub aere magnos spiritus procreandi. Hæc te mihi igitur talem virum genuit, atque in lucem misit illo ipso tempore quo ego procul, alio terrarum orbe, nascebar; quamvis quem origo fecit alienigenam mansuetudo animi et conversatio longior, atque in primis amor mei, magna Italum te ex parte fecerit. Mirum in tam longe natis quanta vicinitas animarum, quanta sit coniunctio voluntatum, viginti iam nunc annorum testimonio probata. Nomen tibi a gravitate morum ac iucunditate indictum, cumque ars musica in qua regnas Aristoxenum dici vellet, vicit iudicium amicorum ut noster Socrates dicereris. Hæc non tibi sed mihimet atque aliis memorasse gratum fuit. Nunc te mihi unicum ferme iam laboriosæ vitæ solamen ac levamen invida sors, interiectis Alpibus, tendit eripere; quod si peragit, solus sum. Id ne pati velis, per omnes te cœlicolas obtestor, mihique hoc totum animi tui acumen ut expendas quæso. Nimis equidem, seu locorum, seu temporum

intervallis abstrahimur, unumque prosperitatis eximium fructum atque adversitatum remedium amittimus, simul vivere. De hoc multa Olympio pridem nostro, sed, ut vereor, frustra, multa etiam tibi sæpe et dixi et scripsi, quæ quoniam memoriæ affixa confido, illa nunc paucis excitasse ac refricuisse suffecerit. Te ergo, quem cum aliis in consilium mittere solebam, iam solum hortor ut consulas, tu orator confutatorque, tu iudex electorque sententiæ; et ego libens obsequor. Scis geminam nobis in Italia sedem esse: si neutra placet, tu delibera, modo ne iudicium affectus impediat, ubinam commodius futuri simus. Nusquam adeo radicatus sum, quin blando pollice fidi amoris avelli possim; quo tibi, ni fallor, scrupulosius trutinanda res est. Vide si qua est via quæ sparsos recolligat amicos; quod si nulla est, me, oro, iam tandem, teque ipsum hoc expedias labore; et quod nullo sidere prohibemur, tuis in litteris ut te videam præstes; nam tu in meis me tam crebro vides, ut, nisi charitas superet, iam possim tibi esse fastidio. Vale.

IV Id. Martias, Veronæ.

EPISTOLA III.

FRANCISCUS PETRARCA AMICIS SUIS S. P. D.

Undique se periculis circumventum et in lubrico positum lamentatur, eaque de causa abeundi voluntatem prodit.

Reliquiæ nos malorum veterum exercent; honestatem profiteri volumus, nec valemus. Nulla nobis de

præsenti fides, præteriti temporis opinione laborantibus. Importune fores obsidet amica: et sæpius pulsa revertitur, atque insidiis pernox latet: iures cælibem te agere vitam velle; prælatam sibi alteram credet, ut cui et incognitus cælibatus, et persuasum sit te vita simul et feminæ consortio cariturum. Comites antiqui limen assuetum agmine facto circumstant, evocant, interpellant, diem festum et conventum nobilium matronarum alacri clamore denunciant. Respondes te talia non amare? Primum attoniti mirantur, mox irrident, et iniecta manu protrahunt quo nolis, ut qui mutatos affectus et proximam senectutem, quam in se iuvenilibus adhuc animis non advertunt, nec in coætaneis suspicantur. Procuratores et rei domesticæ ministri damnis hinc instantibus accurrendum, hinc præteritis succurrendum consulunt. Ingererem illud Anaxagoræ: *Non essem ego salvus, nisi ista periissent;* aut simulatorem aut insanum putant. Amici partim residem sollicitant et mille vias ambitionis atque avaritiæ ostendunt: utendum tempore, et occasionem fortunæ impigre rapiendam. Testantem superos bonis propriis contentum esse, pars vecordem nihilique hominem fastidit, pars fronte consilium occultare ne quis sibi pectus monstranti quæstus partem eripiat, arbitrantur. Quid maioribus insisto, cum minimorum indignatio non desit? Sartori sutorique meo persuadere non possum ullis artibus, me laxiorem vestem et calceum velle quam soleo. Putant me fingere modestiæ causam, et cum multa promiserunt, non petitioni meæ, sed opinioni suæ obsequuntur. Sic iam senes adolescentum malis premimur; versantique animo quid hic remedii esse possit, una tantum ad salu-

tem ostenditur via. Aliquo terrarum fugiamus, ubi nos sanam mentem attulisse non sit incredibile, ubi possimus tandem esse quod sumus, nec cogamur esse quod fuimus. Sæpe fessis motum latus, et mutatus aer ægris profuit. Mansuescunt arbores insitæ, et translata olera convalescunt. Quod ad me attinet, amici, id mihi nunc in animo est. Quamvis enim contra multorum sententiam sit, sentio sæpe alibi tranquillius senectutem agi, quam ubi adolescentia acta est.

Avenione, VII Kal. Octobris.

EPISTOLA I.

FRANCISCUS PETRARCA AD IGNOTUM.

Plura de adulteriis perversitate morum increbrescentibus: quorum pericula illustri exemplo demonstrat, et amicum monet ut caveat.

Verba mihi nunc metus ac dolor eliciunt. Alterum sine altero forsan tacitus tulissem. Scio quidem, scio quid est quod te et hunc in te deditum attonitos habet, relictoque calle planissimo, per abrupta falsis opinionibus excæcatos et consuetudine vinctos trahit. Sordet omne parabile, difficilia delectant, eoque magis quo ad impossibilitatem propius videntur accedere. Aperta contemnitis, obserata tentatis. Sicubi vir zelotypus aut mater anxia paterque sollicitus insignem noscitur adhibuisse custodiam, sicubi pudor ipse femineus impervia sepe vallatus est, hanc vel muneribus blanditiisque perstringere, vel aliquo novo genere fraudis transilire

dulcissimum, præclara inter iuventæ facinora numerandum. Quibusdam venatoribus mos est sopitum cervum aut iacentem inter vepres leporem non tangere; prædæ fuga studium insequentum excitat. Sic vester amor, eleganter ait Flaccus,

Transvolat in medio posita et fugientia captat.

Coniuges vestras abiicitis, alienas appetitis, cum illis interim sui et compti et vigiles proci sint. Sic undique adimpletum videas illud Ieremiæ: *equi*, inquit, *amatores in feminas et emissarii facti sunt. Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Vere hinnitus et bestialitas et libido vaga et infrenis. Descriptum perproprie a propheta nostræ negotium iuventutis cui alius frustra canit: *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Amare nempe hoc et cum stomacho dicam, habuisse plus interdum freni plusque, si dici liceat, pudoris equinam libidinem quam humanam. Siquidem et sororibus mixtos et infelicium matrum gremiis refusos multos legimus, quorum commemoratio iniucunda est. Qua in parte Semiramidis facinus notissimum, quam constat, ætate iam provecta, concubitum filii petentem ab eodem pudica sævitia interemptam. Et nuper fuit, nescio an hominem appellem, vultu mihi notus ac nomine, sed ex omni hominum notitia secludendus, qui filiam nuptam et iam matrem incestare aggressus, quod illa vim turpem atque impiam repulisset, usque ad mortem dentibus atque unguibus laceravit; cum contra apud scriptores clarissimos lectum sit, equum astutia armentarii velatis oculis, matris ad coitum impulsum, tandem dimoto velamine, matre agnita, illico quasi adversatum

scelus, sese præcipitem dedisse nocentemque spiritum exalasse. Equum alium inter res rusticas Varronis cernimus pari fraude deceptum, nec in se ipsum, immo in illum qui fefellerat ulciscentem; in quem confestim, velo amoto, ut ipse ait, fecit impetum, atque illum mordicans interfecit. Quanto dignius hæc facta hominum dicerentur, superiora autem belluarum. Ita autem se res habet, ut nullum animal homine nobilius dum se hominem meminit, sic, dum oblivisci cœperit, nullum vilius, nullumque deiectius, nullum peius, quem naturæ stimuli impellant, nec frena contineant rationis. Sed omittamus hæc auditu gravia; ad iuvenum gloriam studiumque sermo redeat: adulterium dico, quod amoris velo tegitur, et pulcherrimo nomine turpissimum scelus obnubitur; quod non solum nostra ætate omnium abundantissima malorum, sed multis ante nos sæculis tam commune erat, ut de eo et non improprie scriptum esset: hoc est quod nec permitti nec prohiberi potest; et Annæus Seneca iam tunc inter ætatis suæ notas diceret: *Si quis nulla se amica fecit insignem, nec alienæ uxori anulum præstat, hunc matronæ humilem et sordidæ libidinis ancillarium vocant.* Quæ tunc pestis incipiens nunc adeo certa est, ut adolescens cui non feliciter adulterium successerit, quamvis dives, quamvis formosus ac nobilis, coævorum iudicio inter miseros habeatur, quasi abiectus ac repulsus non pudicitia sed contemptu; et quasi dilectio castitatis convicium sit amantis. Hinc ille iuvenum fervor et sollicitudo improba, tamquam non de libidine sed de gloria sit certamen: hinc labores, hinc suspiria, hinc repentinæ repulsæ amarissimæ: sæpe tamen successus amarior. Nam secunda ut Venere pro-

pitiaque cupidine cant, quis ille est tamen zeli ardor, qui suspicionum aculei, quæ in dies et in horas inquietudo animi, et in regno amoris pacis ac belli vicissitudo creberrima? Quæ quoniam usu pessimo iam inter nobilium delicias numerantur, quænam demum illa supplicia quæ dissimulari utique nequeunt, nunc a publicis iudiciis, nunc a privatis furoribus maritorum? Quam multis enim sperata illa nox insperato fuit ultima! Quotiens audivimus aut vidimus heu nimio constare lasciviam, ac dulces amplexus amaris vulneribus resolutos! Cuius rei exempla si colligere velim, omnes mihi non historiæ tantum sed et vici et domus ambiendi erunt. Unum omnium tam recens et tam clarum esse doleo, quod abunde, quamvis et vetera et nova cessarent, insignis gravissimo viri casu omnes eo calle gradientes terruisse debuerit: quo eventu et eius qui nos dilexerat miseram atque indignam sortem, inustamque militiæ hanc maculam, et irreparabile damnum amicorum lugeo; super omnia tamen indelebilem et æternam infamiam viri talis, qui non modo avide et ardenter, quod commune est omnium amantium, sed cæce prorsus et amenter, homo alioquin non imprudens, ad nutum feminæ, et, quod magis indignor, eius feminæ cuius non sibi proprium esset obsequium, sed commune cum pluribus, nec amor novus esset, sed antiquum iam ei pareret ex societate fastidium, infelix vento levior, et non saltem venti memor, qui nec intrare quidem solitus fertur, unde non possit exire; in eas sese angustias intruserit, ubi nec defensionis copia, nec libertas fugæ, nec decoræ tandem mortis ulla esset occasio. Itaque non inermis modo, sed nudus, iræ coniugis victima ingens

fuit, nobis omnibus pudor ac dolor ingentior. Desidero illum ego quem perdidimus, nec minus providentiam desidero, quam perdiderat ille, dum se perdidit. Quodque olim in Claudio Marcello flevit populus Romanus, id in hoc flendum censeo, non mortem, quæ omnibus æqua est, non gladios, quos multi sæpe magna cum gloria pertulerunt, sed errorem tantum ea ætate quæ præcipites adolescentiæ motus transisse debuerat, adolescentiamque ipsam diu ante transierat. Nescio quænam infernalis Alecto mœstis facibus iam frigescens pectus accendit, seu quænam Diræ tartareæ stridentibus alis circum lumina volitantes vicinæ mortis eripuere conspectum. Verum hæc calamitas ex illarum genere est quas flere licitum, non mutare. Ad te vertor, quo irremediabili dolore seposito, metum cui occurri potest attingam brevibus. Multa enim de amore tecum agere supervacuæ ostentationis fuerit, quem experientia et ars Nasonem nostri temporis aut Catullum aut Propertium aut Tibullum fecit. Ingere tibi nunc quid hi quidve alii dixerint, et præsertim Flaccus in sermone illo de fugitandis amoribus matronarum. Plus quam nota referre nil est aliud quam pleno pectori nauseam peperisse. Unum, quod nescio an adhuc legeris, inseram, ut intelligas antiquissimam passionem quam quotidie mortalis insania novam facit. Plautus in ea quæ Cistellaria dicitur duas mulierculas colloquentes ponit, rudem alteram atque amoris inexpertam, alteram vero doctissimam. Prioris percontatio ad hunc se habet modum : [1]

An amare occipere amarum est obsecro.

[1] Plaut. *Cistellar.*, act. I, sc. 1.

respondet altera :

Namque ecastor amor et melle et felle est fœcundissimus:
Gustu' dat dulce, amarum ad satietatem usque oggerit.

Sed fortasse dicat aliquis hoc sexui tributum cui impar cum passionibus animi lucta est. Audi ergo quid ibidem paucis interiectis validior sexus dicat: Credo ego, inquit,[1]

Credo ego amorem primum apud homines carnificinam commentum:
Hanc ego de me coniecturam domi facio, ne foris quæram,
Qui omnes homines supero atque antideo cruciabilitatibus animi.
Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser,
Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior, ita nubilam mentem
Animi habeo: ubi sum ibi non sum, ubi non sum ibi est animus.
Ita me amor lassum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, iactat, largitur, quod dat non dat, deludit,
Modo quod suasit dissuadet, quod dissuasit id ostentat.

Et hæc quidem ille. Quid autem? hæcne tibi verba tranquilli animi videntur? Crede mihi, qui sic loquitur male iacet. Sed hoc fictum a poeta dicat aliquis. Quis hoc nescit? At nihil nisi naturæ consentaneum lex poetica fingi sivit: et hoc ergo iterum crede experto, nihil fingi naturalius, nihil hoc verius dici posse. Itaque quoniam, ut verum fatear, inescatos hamos gutturi, ac suaves auribus Sirenum cantus et perplexos tuis pedibus laqueos permetuo, quæso te, obtestorque per salutem tuam ut ipse tibi consulas, deque aliena pernicie, quæ cum nostra mœstitia iuncta est, propriam tibi conficias cautionem, magno e malo hoc saltem boni eliciens, exemplum, quo ut nullum tristius, sic nullum poterat esse conspectius. Ardentibus vicini ædibus, aquam tuis iniectare ne differas; lubrica flamma est; facile serpit incendium, ubi maxime venti flant, quod in te

[1] Act. II. Sc. 1.

nunc facere palam est. Et hæc hactenus, quamvis multa de his coram loqui habeam, quæ calamus reformidat. Comœdiæ dictum inferam alterius, desinamque cum Plauto:[1]

> Nemo (inquit) ire quemquam publica prohibet via,
> Dum ne per fundum septum facias semitam,

et quæ in hanc tibi sententiam sequuntur. Locum quæris? Curculio fabulæ nomen est. Denique hoc tibi suadeo quod mihi videor persuasisse: veteris flammæ aut si quid favillæ tepentis superfuerat, cogitatio oppressit, tempus lenivit, novissime mors extinxit. Quod ad hoc humanæ vitæ bellum attinet, receptui cecinisse me noveris. Non sum tibi nunc aliud scripturus, qui et ubi sim nosti, quid te moneam intelligis, quid de te metuam vides. Vale, cave, circumspice.

EPISTOLA V.

FRANCISCUS PETRARCA HUGOLINO EP. PARMENSI S. P. D.

Multis rationum momentis suadere nititur, se non animo cuiquam nocendi, multoque minus Episcopo, in Curia adhuc morari, idque præter suam voluntatem accidere.

Etsi sæpe breviloquus dolor, nonnunquam etiam mutus sit, ubi gravi obice vocis iter obstruit mœstæ torpidæque mentis anxietas; ubi tamen congelati mœroris obstaculum læsi animi calore resolvitur, verba iter inveniunt, et sæpe loquacissimus dolor est. Utriusque

[1] Plaut., *Curculio*, act., 1, sc 1

rei argumentum ego sum, qui diu nimio tacitus dolore, nunc, ut vides, sermone multiplici triste hoc et pergravatum pectus exonero. Qua enim patientia dissimulare queam quod, cum in hoc vere totum vitæ tempus expenderim, ut si, quod maxime vellem, multis utilis esse non possem, at saltem nulli nocivus, nulli suspectus fierem; tu, non tuo quidem iudicio, pater, cui natura mitem spiritum et simplex ingenium largita est, sed nescio quibus serpentum sibilis afflatus, quonam insanabili perfusus aspidum veneno, de me, ni respuis, tuo, suspicionem supervacuam et prorsus immeritam concepisti? Disceptare tecum de iustitia est animus. December adhuc equidem mensis est, quando vel servis ære quæsitis loquendi quidquid libuisset adversus dominos dedit antiquitas libertatem. Si placuerint quæ legis, epistolam hanc nudam nullis verborum fucis illitam affectus mei pignus atque obsidem habebis, e serena quidem et pura, sed, ut verum fatear, minime tranquilla, quin magis obtrectatorum exagitata turbinibus, pectoris parte profectam: alioquin et dolori meo parces et tempori. Neve te longius traham, dic age: unde tibi de me talis opinio? Quando hoc prius de te merui, ut ubi fraudis pes non fuit, illic vestigia suspicionis existerent? Quid feci unquam, quid in me vidisti quod oculos tuos offenderet? quid ex me audisti seu durius quam reverentiam tuam, seu mollius quam conscientiam meam decet? Quid audisti, quæso, unquam ex meo ore suspectum? Nam ex illorum ore, qui assidue tibi latus utrumque circumstrepunt, et abunde mendaciorum atque blanditiarum immurmurant, multa de me et varia in dies audire non dubito. Verum si sapientia tua tecum

est, et non impuris adulatorum flatibus evanuit, facta mea cum illorum verbis conferre debueras. Si nullius facti aut dicti mei asperitas appareat, nulla frontis nebula turbati animi signum proferat, quid ita vaticinari delectat cuius contrarii cernuntur effectus? me scilicet hostem tibi cui amicus esse velim, et, si unus amor amicitiam perficiat, sim amicus? Omnia peiorem in partem malus trahit interpres. Tu autem talis vir, hac sapientia, hac ætate, cur alteri potius quam tibi de me credis? Claude, precor, aurem susurronibus, animumque tuum in silentio de rebus meis interroga. Is me hostem tuum negabit, amicumque fatebitur, illos autem veros hostes, qui virus absconditum et fel melle permixtum sub labiis gerunt, quo modo generosam animam latenter inficiant et præclaram famam infami verborum veneficio decolorent, non sine amicitiarum iactura, qua vix alia nobilibus animis maior sit. Sed cum illis mihi nihil negotii esse potest, quorum æque cogitatus actusque et verba despicio. Tecum, pater, ut dixi, tecum litigo, certe sub iudice non suspecto, quantumlibet ipse suspectus sim. Unum te reum, testem, iudicemque constituo; contra quoque me reum, te eodem teste, te iudice. Sic actione reciproca nec mutato iudice res agetur. Et ego quidem, ut iam hinc expediar, adversus te nihil habeo, præter suspicionis iniuriam, qua innocentiam meam premis. Tu adversus me multa forsan et gravia, si stipatoribus tuis credis. At si tibi crediderís, nihil prorsus, ut puto. Si absolvis igitur, habeo quod petebam; si ore autem me condemnas, conscientiam appello: illa procul dubio me absolvet. Ego ad romanam curiam tibi nocendi animo venisse arguor,

eodemque proposito versari, ut aliquid tibi calumniæ latentis infligam suo tempore, ut aiunt, in lucem erupturæ. O stupendam impudentiam, o novum crimen et meis alienum moribus, o cæcam semper invidiam, o rem ineptissime confictam et a reliquis vitæ meæ consiliis abhorrentem! Et quoniam, ut puer in scholis civilibus audiebam (hodie enim me studia illa non tangunt), primum in iudicio de persona quæritur, tamquam de ipsius iudicii fundamento; operæ pretium reor quis ego sim hoc loco tecum, pater, excutere: non quidem totus, sed ea tantum parte qua ferior; quam scilicet nocere solitus, quam cupidus nocendi. Quæro igitur ex te, cum multa olim a prima ætate aspera et indigna sim passus, quodque iniuriæ modum auget, ab iis unde nec merebar tale aliquid, nec verebar; cui unquam vicem mali, cui fraudem innexui, cui insidias tetendi, cuius usquam patrimonium aut corpus violentiis appetii? Quilibet sollicitus scrutator accesserit, puto nihil quod hoc nomine carpi possit inveniet, præter simplicem querelam, quam vel ovis vel columba etiam offensa non continet, ego sæpe continui; dumque licitum esset effundere, sæpe usque ad ignaviæ notam dolorem meum tranquillus absorbui, et præter paucas epistolas in quibus obtrectatorum meorum vocibus sine nominum expressione respondeo, ne cuiusque famæ mei dentis hæreat cicatrix; exemplum ultionis aliud non erit, quo dolores meos atque iniurias prosequendo, vel humanitatis oblitus videar vel decoris. Illi gratias qui hanc mihi de conscientiæ sinceritate fiduciam dedit, ut non tantum verbo volatili, sed scripto stabili, et fortassis in manus hostium venturo, innocentiæ meæ testimonium

sine ulla prorsus hæsitatione committerem, haud ignorans quod qui me aperto mendacio lacerare non desinunt, si quam vero ansulam invenerint, qua in verbo capi possim, ambabus illam manibus ardenter arripient. Facient id sane, me favente: siquidem ego, cum sæpe potuerim, de tam multis iniuriis æmulorum gravius ultus non sum vivens, quam patriæ iniuriam moriens Africanus. Nempe quod a multis appetitur, nihil pendere studui, ut qui a Satyrico didicissem quod et minuti et infirmi et exigui et muliebris animi semper est ultio. Et si quando forsitan offensæ dolor descendisset altius, solabar me cum illa promissione dominica: *mihi vindictam et ego retribuam* et supervacuum arbitrabar ab homine tentari quod facturum se vindex æthereus spopondisset. Anne igitur nunc, ut mitis hostibus, sic amicis infestus, et agnus inter lupos, inter agnos lupus dicor? Quid vero mihi profuit negotiorum atque urbium fuga, quid solitudinis atque otii studium, quid amor quietis ac silentii, si nunc etiam inter artifices scelerum reputandus sum? heu quam verum experior quod a doctissimis viris acceperam, omnium difficillimam esse artem vivendi. Sic est hercle, nil est verius. Quidnam agimus mortales ut volumus? Ingenia nostra rerum contrariarum vicinitate falluntur. In damnum sæpe labor vertitur. Raro exitus propositumque conveniunt. Ecce ego unde nomen innocentiæ quæsiisse debueram, quid quæsivi? nempe novarum rerum maleficæque calliditatis adversus optimum quemque suspicionem, et fortasse, quod nescio qualiter venit ad aures meas, inter magnos sæpe iactatum, sed fortuna magnos non ingenio, fortasse inquam multis iam necromanticus ac ma-

gus appareo, quia sæpe scilicet solus sum et, quod bilem risu iuste moverit, quia Virgilii libros lego, ut isti peritissimi viri dicunt; et ego non inficior, legi. En suspicionis causam. En infamiam studiorum. Minus miror Apuleio Madaurensi crimen magiæ obiectum, quod ille quidem elegantissimo volumine diluit. Mihi tam operosa defensione non est opus. Nondum trahor ad iudicium: tenui murmure fuscis carpor in angulis. Et ludum putas facilem famæ cymbam his ignorantiæ scopulis frequenter illidi? Id est: exerce ingenium, age noctes insomnes, scribe aliquid quod mox inter censorias cadat manus, unde magi cognomen mereare, si quidquam omnino dixeris quod non intelligant qui nihil intelligunt. Quamquam est id quidem levius. Magus ego dici malim quam maledicus, quamque maleficus. Et si seponantur hæc, animo maior est voluntatis quam intellectus exportatio, morumque quam studiorum gravior infamia: mihi quod nesciebam utraque parta est. Ita dico, si quis potest ab infamibus infamari. Satisne, oro, igitur digne breve illud et hispidum poema non aliunde quam ab exclamationibus orsus est Persius:

O curas hominum, o quantum est in rebus inane!

Immo vero quam nil solidi, nihil certi: quoniam foveam quam semper fugi in eam maxime inadvertens incidi, nulloque studio contigit caninum dentem mordacissimi detractoris evadere. Fugi enim, silui, latui: sed olfaciens gressus meos, in ipsas intimas ac silentes latebras irrupit invidia. Satis multa de persona, veniamus ad rem ipsam. Et quoniam mihi comperti nihil obiicitur, ut audio, sed ex suspicionibus agitur, et in ea quam

coniecturalem vocant causarum constitutione versamur, in primis exquirendum reor quid me ad nocendum tibi possit impellere: quod si nihil esse constiterit, nec nocuisse me constet, nec nocere voluisse, nec volendi causam habuisse. Sane, nisi fallor, omnia quæ in alienam perniciem moliuntur homines vel ex odio præconcepto, vel ex repentina ira, vel ex invidia, vel ex spe, vel ex metu aliquo procedunt. Præter hæc quid causæ reperiri possit ad nocendum non intelligo, nisi forte cruenta quædam et inhumana atque miserrima delinquendi voluptas, quam suspicari in homine sanæ mentis iniurium. Has quinque causas si libet attingamus breviter. Odium, pater, adversus te unde mihi quæso, seu quibus a radicibus exortum? Quid tu mihi dignum odio fecisti? Nempe prius multo quam primum post te locum in ecclesia tenerem, ultimo forsan indignus, tu me non modo nulla offensa, quæ odii mater est, sed multo semper honore prosecutus, multis sæpe maioribus et in altiore dignitatis gradu positis prætulisti. Hanc igitur odii causam afferre ridiculum. Atqui alia, quam ego quidem noverim, nulla est. Nam de ira quid attinet loqui, cum et de odio dictum sit, quod occultius est malum, et conversatio rarior, et post longum læti semper serenique congressus nullum iræ locum fecerint? De invidia quid dicam, nisi quod fidentissime verissimeque possum nulli me unquam hominum invidisse? Æque utinam contemptoris ut invidi infamia liber essem! Quod si de annis calidioribus verum est, ubi innumerabiles æmulationum causæ emergunt, quid nunc putas quando, superatis procellis iuvenilium passionum, prope, ut ait comicus, in portum navigo? Iterum dico, et Deum et

conscientiam meam testor me neminem fallere, nulli hominum invideo, præ omnibus notis meis sorte propria contentus, et id potius vereor ne hostis mihi quam ne hospes sit invidia, hoc est, invidiosus magis esse quam invidus. Tibi autem, pater, non modo non invideo, sed ut dicam quod sentio, filiali etiam devotione compatior: neque tibi tantum, sed omnibus quos par pastoralis cura premit officii: tibi autem aliquanto vehementius, cui super ecclesiasticæ sollicitudinis communem sarcinam, tuorum quoque civium et, quibus illa civitas miserabilibus modis scatet, civilium simultatum pondus accedit, familiaris pestis patria urbe regnantium. Restat ut iam hinc de spe metuque disseram. Primum quidem de tua ruina nulla mihi spes adscensus. Pace tua dici credas velim: nunquam mihi venit in animum, nunquam veniet ut otium meum cum tuis negotiis, quietem meam cum tuis laboribus, paupertatem meam cum tuis opibus commutasse cupiam. Neve me fortunam tuam fastidire æstimes. Nemo usquam vivit tuæ sortis cuius solio sedere vellem, immo vero non pertinacissime recusarem, si ultro etiam offerretur. Si mentior fulmine ictus inteream. Mirabitur fortasse aliquis: tu procul dubio non miraris, qui tuæ sedis duritiem non ignoras. Neque ego tam constanter hæc dicerem, nisi romanæ sedis Antistitem et hos romano cardine fulgidos, atque alios urbium prælatos familiariter novissem; quæ familiaritas in illorum adumbratæ felicitatis iudicio me non sinit errare. Dictum interseram Hadriani Papæ. Nam dictum illud regis omnibus est notum, qui traditum sibi diadema, ut Valerius ait, prius quam capiti imponeret, retentum diu considerans, dixit: O nobilem magis quam felicem pan-

num, quem, si quis penitus agnoscat quam multis periculis sit refertus, ne humi quidem iacentem tollere vellet. Sed hoc Hadriani Quarti dictum minus vulgatum est, quod inter sophicas nugas legi. Is ergo dicere solebat quod romano Pontifice nemo miserabilior est, conditione eius nulla miserior, et si nihil aliud lædat, necesse est ut citissime vel solo labore deficiat. Fatebatur enim in ea sede tantas se miserias invenisse, ut facta collatione principii, tota sibi præcedens amaritudo iucunditas et vita felicissima videretur. Spinosam dicebat cathedram romani Pontificis, et mantum acutissimis usquequaque consertum aculeis, tantæque molis, ut robustissimos terat, premat et concurvet humeros; coronam et frigium clara merito videri, quoniam ignea sunt. Illud sæpissime adiiciens quod, cum de gradu in gradum a claustrali clerico per omnia officia in summum Pontificem adscendisset, nihil unquam felicitatis aut tranquillæ quietis vitæ priori adiectum esset ex adscensu: « in incude, aiebat, et malleo semper dilatavit me do» minus, sed nunc oneri quod infirmitati meæ imposuit, » si placet, supponat dexteram, quoniam mihi importa» bile est. » Hæc eisdem pæne verbis ad contextum retuli quibus ab illo scripta sunt qui ex ore loquentis audierat. Quid dicam, nisi acerrimum atque gravissimum proprii status æstimatorem dignumque qui velociter ad æternas sedes, gravi illo fasce deposito, transferretur? Sed ut ad te redeam, da veniam familiariter glorianti. Si status tui desiderio tangerer, quid nunc possem nescio: sed sæpe per hos annos potui non modo tuæ parem, sed opulentiorem sedem scandere; quem adscensum semper non dicam sprevi, sed exhorrui: cuius rei

nunquam me pœnituit, sed splendidæ servituti libertatem humilem prætuli. Quod ipsum forsitan siluissem, nisi superesset adhuc qui me illa sede dignum credidit, neve ipse me indignum crederem clementissime deprecatus est, non rogare solitus, sed rogari ab ipsis etiam regibus affusis humiliterque supplicibus. Sic, ubi mentiar, ipso possum teste redargui. Quid de metu dicam, cum potius de te sperem? Ingrati est metuere quem benevolum sis expertus, dum nihil tibi sis conscius mutandique animi ratio nulla sit. Amo ego te, venerorque, et, si ita vis, vereor, non timeo, nisi quantum amor sine timore non habitat: quippe et id semper te optare perpendi, neque tam timeri velle quam diligi; et mihi insitum est neminem magnopere formidare, nedum quem amare decreverim. Quamobrem ista sic leges, pater, ut noveris neque tibi, neque romano Pontifici, neque cuiquam prorsus hominum me scripturum hæc, nisi intus in animo legerem quæ scribo.

Unum prætermisisse dicar ab iis qui, ut in epistola quadam ait Iulius Cæsar, tibi et mihi fuerant inimicissimi, quorum artificiis effectum est, non dico quod ille dixit, ut res publica, sed ut familiaritas atque amicitia nostra in hunc statum perveniret. Obiicient enim me tibi olim in curia adversatum, dum, quod vere perpetuum vicinitas malum habet, domui de Corrigia magna lis tecum esset: nec mentientur hoc unum. Sed memoriam tuam testem invoco: præsens enim omnibus intereras. Numquid tunc ex ore meo aliquod mordacius et irreverentius verbum excidit? quod si unquam excidere debuisset, fatebor, sive ea magnitudo animi sive temeritas est, multo facilius induci poteram

ut præsenti maledicerem quam absenti. Defendi ego causam, nisi me fallit amor, iustam; sed si esset iniusta, ut omnis amans cæcus, iniustitiam non agnovi. Defendi certe causam amicissimæ mihi carissimæque familiæ, cuius primum ductu atque auspiciis in eas partes veni; cuius amore, ut vides, alienam patriam meam feci, si qua non sua patria viro est: quam inter Alpes et Apenninum ulla in re nulli secundam facio, et a qua nulli secunda fit ut arbitror fides mea. Ex quibus nemo me, credo, iure arguet, præcipue tu quem in primis fida delectat amicitia. Vide quam de tuis moribus opinionem habeam: pluris puto me facias adversarium tibi, sed fidelem quibus debeo, quam tibi deditum, infidelem illis. Defendi autem causam ipsam non patroni officio sed amici: idque non argutiis, neque conviciis, aut ullis omnino salibus famæque morsibus, sed assertione rerum simplici ac modesta, ut, quod rarum in causis, neque summo Pontifici neque Collegio, coram quibus ea lis erat, ulla prorsus in tuum nomen novæ suspicionis occasio panderetur: et defendi adversus te, sed præsentem, et mihi ea incognitum tempestate, et qui, quamquam esses Episcopus, mihi tunc Episcopus nondum eras. Postea vero, neglectis maioribus quæ ultro sæpe mihi obtulit superna largitas, archidiaconus tuus esse volui. Habes vel hoc unum, nisi fallor, idoneum non alienæ mentis iudicium. Nam qui ipsum litis nomen horreo, qua dementia et perpetuam litem volens, et gravem adversarium elegissem? Nunquam, si te mihi hostem crederem, prætulissem omnibus hunc locum, ubi ego novus advena, tu præter pontificium, antiquissimus et potentissimus civis esses. Cre-

derem autem profecto te hostem mihi, si me tibi hostem scirem. Stultum est enim cui odium præstes ab eo benevolentiam expectare. Veni ego ad ecclesiam et ad te quiescendi non litigandi æmulandique animo. Placebant mores, delectabat humanitas tua, quæ semper utinam consultores sui similes habuisset; nihil in te displicebat aut displicet, nisi forte nimia credulitas facilitasque animi, quæ, si culpa est, minime gravis est, nisi ferocioribus consiliis ingravescat. Nam si bonis suasoribus obsequitur, sæpe salubris est et nimia esse non potest. Veni igitur non ignarus, sed de humanitate certus, de sapientia tua sperans, neque ut ad iratum hostem sed ut ad propitium patrem veni, quem putabam tanti æstimare virtutem, ut nullo alio merito meo carus, ob id certe carissimus essem tibi, quod tantorum tamque insignium amicorum causam, licet adversus te, feliciter defendissem. Neque me fefellit spes; patrem reperii, patrem colui, colamque, nisi prohibeor in finem. Quæ cum ita sint, depone precor hunc animum, noli quæso suspicari ut quod nunquam antea cogitavi nunc aggrediar, et quia olim, nondum notus tibi, reverentissimus defensor amicorum fuerim, idcirco nunc morum penitus immemor meorum, fallacissimus accusator tui sim, ex quo notus et carus et honorificentissime habitus, denique ex quo, ut aiunt, tuus oculus sum. Sani proprium est oculi sui capitis periculum non equidem arcessere, sed providere potius, ac vitandum cavendumque monstrare: sani quoque capitis est suum oculum non odisse, sed inter omnes corporeas quidem dotes exquisita quadam singulari diligentia præservare.

Restat illorum calumniæ respondere qui certi nihil

habentes iudicii, ne otiosi sint, vel solam moram meam in curia criminantur, quod nonnisi in damnum et perniciem tuam sit quæ tuum potius ad obsequium esset, si qua afforet facultas, et iure tuo uti velles in me. Audio enim apud vos esse nonnullos, hominum genus alieni sollicitum, pigrum sui, qui se invicem de rebus interrogent vicissimque respondeant, quasi in corde meo sint eorum oculi. Interrogatio ad hunc modum se habet: Quid archidiaconus tam diu abest, quidve agit in curia? Responsio: Haud dubie mali aliquid machinatur Episcopo. Possem nunc, si mihi ad poetam sermo esset, imprecationes adhibere poeticas; sed Episcopum alloquor, agendum mitius. Itaque adversus horum linguas, quibus dolose agunt, adversus cor eorum in quo non est veritas, quod maledictione plenum est et amaritudine et dolo, et sub lingua eius labor et dolor, quod aliud remedii genus inveniam, nisi illud Psalmistæ, cum tribularetur ad Dominum clamantis « *Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa?* » et illud eiusdem, quod nunquam sine novo mentis impulsu ad os meum per singulos dies redit et sæpe supplices manus cogit ad cœlum tollere « *Redime me a calumniis hominum ut custodiam mandata tua?* » Hæc et his similia dicam, semper etiam dum videbor tacitus, nec precari desinam, donec vel ad cor rediens iniquitas oppilet os suum, vel aliquo Dei iudicio obstructum sit os loquentium iniqua.

Hactenus adversus illos, concitatior quam volui et fortasse quam debui: sed rerum indignitas me coegit. At deinceps, quia cum iis esse mihi rem video qui animum in labiis habent, ego meum animum in auribus

habebo, interdum etiam et in lingua, et gratuito lacessentes pari mucrone repercutiam; eoque validiori quo facile obtusumque mendacium est, peracuta veritas adamantina acie: meque ipsum solabor, cogitans id mihi nequaquam eventurum, nisi plusculum fortasse aliquid quam sum, seu certe quam me esse cupiunt, lippis et obliquis oculis viderer. Extrema sors est quam invidia non attingit. Platonem ferunt, cum ei a coætaneis invideretur, Socratem interrogasse, quibus artibus ab invidia tutus esset. Cui Socrates: Vive, inquit, ut Thersites. Elegans plane responsio læti doctique hominis ad id quod discipulus quærebat. Vere autem satius multo est Achillis cum invidia virtutem, quam absque invidia Thersitis ignaviam imitari. At qui procul ab invidia vitam agere instituit, ei sola ut arbitror via est ut a studio virtutis abscedat; sed dum eo calle fugit invidiam, necesse est incidat in contemptum. Ita vere vita homini est, ut alterutro laborandum sit. Proinde ut necessarii huius magis quam iucundi colloquii finis sit, horum ego quæstionem rideo, responsionem abominor: neque immerito; stulta enim quæstio, responsio venenosa est. Tuam vero quæstionem, si fortassis eam facis, reverenter accipio, et tibi notissima veritate respondeo. Quid facis in curia? langueo, crucior, affligor, indignor, et qua nulla iactura gravior, hic tam nulla comminuor, tempus perdo, cuius parcissimus esse decreveram. Sed tanti est amicorum votis ac precibus non deesse. Denique si quid faciam roges, non tam facile possim respondere quid faciam quam quid non faciam. Profecto ego nulli noceo, nisi mihi: nulli nocere meditor; tibi autem non modo non nocere, sed

prodesse, si possim. Sic affectum suspicari error est, odisse crudelitas. Ego vero ex te odium non timeo, modo suspicio evanescat. Illam abiice, per omnes te cœlicolas precor: pondus infaustum pestilensque. Evolve, si vacat, exempla maiorum: videbis quot quantæque miseriæ e suspicionibus ortæ sint. Ego enim tempus nunc ad ista non habeo: *dicam* quantum nuda raptim sine libris suppetet memoria ne res careat exemplo. Hippolytum castissimum adolescentem incestus falsa novercæ delatione suspectum infelix pater occidit. Procris uxor amantissima vanis suspicionibus ob accensum zelum inscii mariti telis occubuit. Et ut recentiora ac certiora recenseam, Tarquinium Collatinum optimum civem et propugnatorem egregium libertatis ob solius nominis suspicionem levissimam modo liberati cives in exilium pepulere. Ob levem quoque suspicionem fidissimum gubernatorem suum obtruncavit Hannibal: testis facinoris mons Siculus humati appellatione perceleberis.[1] Demetrium Philippi Macedoniæ regis filium præclara indole hostibus etiam suis carum victus nati alterius susurris incredulus pater mori iussit. Dies me deficiet vetera prosequentem. Et habet nostra ætas exempla præsentia, quibus constet quam sit semper in amicitiis periculosa suspicio. Tu me igitur, si fieri prodest, quod pridem ego factum opinabar, inter amicos amplectere; si de fide dubitas, ut libet, experire; si indignum censes leniter exclude. Noli ex amicis pulsum in hostium catervas cogere, non quidem mei quæ non magna est, sed, quæ ingens, tuæ famæ fugiens iacturam: tibi enim

[1] Valer. Max., lib. IX, cap. 8.

superbiæ dabitur, si, qui amicus esse cupiat, hostem facis.

V Kal. Januarii, quæ Innocentium dies est.

EPISTOLA VI.

FRANCISCUS PETRARCA LUCÆ PRESBYTERO PLACENTINO
S. P. D.

Ægre se in curia moras nectere: eumque rogat ut litteras superiores Episcopo tradat.

Iucundæ mihi semper litteræ sunt tuæ, præcipue dum velut a superis profectæ solantur apud inferos constitutum. Peccatorum fateor meorum uncis hic teneor, nec absolvi ullis artibus possum. Res haud mira, quamvis misera, laqueorum curialium non ignaro. Sed quo tristius hic sum eo gravius indignor ac doleo tantum licere perfidiæ, ut suadere audeat et persuadere possit cuiquam sano, me non tantum sponte mea moras trahere, sed iam curiæ venenis infectum alienam famam insectari: quodque ego nunquam in otio cogitavi, et in ea tranquillitate temporum unde nefarii pullulant appetitus, id nunc in hac tempestate negotiorum, quæ mihi vix respirandi spatium præstat, mutatis repente iudiciis, studiis ac moribus, incepisse. Audio enim a multis reverendum patrem ac pontificem nostrum secus quam mereor et quam vellem de me sentire: quod non culpæ suæ tribuo, sed fortunæ meæ atque alienæ nequitiæ. Tu mihi ante alios testis es, cum quo sæpe familiaribus sermonibus diem traho, quid mihi

semper de illius animo ac moribus visum sit, si summotis assentatoribus, communi pontificum principumque pernicie, ipse sibi et naturæ propriæ relinquatur. Ideo tibi potissimum hoc onus quod fideliter subibis imposui, ut ingentem, quam ira ac dolore dictantibus scripsi, epistolam repræsentes: quæ si generi, si statui atque ætati debitum animum legentis invenerit, et suspicionem male radicatam extirpabit, et ne unquam renascatur efficiet. Hanc tu, quæso, vivæ vocis ope prosequere : et vale.

EPISTOLA VII.

FRANCISCUS PETRARCA LUCÆ PRESBYTERO PLACENTINO S. P. D.

Fabellam narrat de suspicione: rogat ut mentem Episcopi exploret et sibi pandat.

Quam ex te olim didici fabellam accipe. Ignis, ventus, aqua, suspicio simul agebant iter. Cum ad quadrivium pervenissent, et suum quisque callem vellet arripere, en digredimur, inquiunt: sed ut congredi iterum possimus signum aliquod statuamus. Tum ignis: ubi ait fumus apparuerit, ibi me quærite. At ventus: ubi frondes quati, stipulasque vel pulverem agi videritis, illic sum. Et aqua: ubi iuncum inquit aspexeritis, non procul inde abero. Ad hæc suspicio: me quidem ait reperire perfacile est. Vos enim in continuo motu estis: ego non moveor: ubi semel ingredior, ibi habito.

Intelligis me, amice: fabulam tibi tuam post tot

annos ingero, cuius ultima pars, si absque exceptione vera est, nequidquam multa verba perfuderim. In hoc igitur acumen tuum ut exerceas velim. Ille quid ad litteras meas respondeat, audiemus. Non omnia tamen expediet lingua vel calamus: multa enim oris habitus fronsque ipsa, gestus, color, accentus, pes, manus, oculi, supercilium loquentur: sed absenti nihil. Hic tu animum adverte, qui præsens es, neu me sinas errare. Certe ego, quod meum fuit præstitisse videor. Amicitiæ venenum suspicio est: hanc extirpare radicitus veritatis digito nisus sum. An ipse autem vero aurem pandat, an obstruat, suum erit: tuum vero idem unum, ut acriter quam in partem vergat, inspicias, meque sui consilii certiorem facias. Mea sane non multum interfuerit quid de me homines existiment aut loquantur, modo conscientiæ meæ non premar aculeis. Quamdiu cum illa pacem habebo, externa bella non metuam. Cœpi ego per litteras obliquam eius opinionem ad rectum vocare. Si flectitur, insistam; sin obduruit, desistam: frustra enim retentabitur. Nemo facile cogitur ad credendum, et sæpe crescit excusatione suspicio. Vale.

Id. Ianuarii, Avenione.

EPISTOLA VIII.

FRANCISCUS PETRARCA IOANNI DE ARIMINO CAUSIDICO S. P. D.

Gaudet sibi de eo nunciatum quod bene sit, de quo viginti amplius annis nihil resciverat.

Etsi ab adolescentia usque ad hanc ætatem faciem mihi tuam inviderit fortuna, mihi tamen semper præ-

sens animo fuisti, et ut communis olim studii verbis utar, civiliter te possedi: quod mihi nec locorum tractus, nec temporum cursus quivit eripere, nec, ut arbitror, quibit mors. Idcirco cum primæva illa nostra familiaritate te alloquor, et longo, ut aiunt, postliminio revertor ad calamum. Nam ut cernis quatuor, vel eo amplius, lustra tacuimus, tempus, vitæ ne dicam, silentio longum satis: cujus quidem mihine an tibi an utrique potius culpam dem, an in unam crimen omne retorqueam fortunam, nescio: quæ transversis adeo tamque adversis diu nos tramitibus egerit, ut alter alterius, ne dicam conspectum, sed ne indicium reperiret. Nunc quod statui gratularis meo, fraterne agis ut reliqua. Cæterum, amice, status meus, si a stando dicitur, nullus est; sed lapsus potius ac ruina: non mea magis quam omnium, qui nascimur æqua sors atque invicta necessitas. Truditur dies die, ait Flaccus, et nos cum tempore rapimur, nec sentimus. Sane si quid boni est quo mihi amicorum gratulatio debeatur, te ex animo gaudere non dubitem. Sed quantum ego vice versa tibi gratuler? sic mihi parcissimis te verbis felicissimum descripsisti. Sanum scilicet atque hilarem et pauperem: animo divitem. Quamvis enim et dives animus laudetur, unde poeticum: Regum æquabit opes animo; et beatos pauperes spiritu viva veritas asserit, quid multa? felix es et bene tibi est, si huc animum coegisti. Vale.

XV Kal. Julias, Parmæ.

EPISTOLA IX.

FRANCISCUS PETRARCA SOCRATI SUO S. P. D.

Amicitias esse communicandas, quarum pretium effert, dum Socratem in unius partem vocat.

Non sum amicus, nisi pretiosissima quæque tecum partior. Nihil autem pretiosius amico. Non sum amicus ergo, nisi partior amicum. Vetus est verbum: amicorum communia esse omnia. Quantula autem sunt, quæ videntur maxima, quibus vulgus inhiat, aurum, argentum, monilia, anuli, armillæ, signa, toreumata, vasa corinthia, fulgentes gemmæ, rotundissimæ margaritæ, marmor niveum, sculptum ebur, vivæ ac spirantes statuæ, radiantes purpuræ, cæteraque id genus, fœx ac purgamenta terrarum, vel fuliginosorum decus artificum. Amicus singulare quoddam et inæstimabile bonum est, quod non ferant venti, non urant pruinæ, non frangant procellæ, sed, ut purum aurum, flammæ probent persecutionum ac laborum. Bonum quod non superficie tenus delectet, ut plurima, sed in ipsum animum dulcedine sua penetret, et quodam modo nostri pars fiat. Quod intendens Flaccus, animæ suæ dimidium Virgilium dixit. Et apud Lucanum uxorius ille dux dilectam coniugem partem sui optimam appellare non erubuit, etsi mollius fortasse quam tantum decuit virum.

Ad amicum redeo, cuius si idem velle atque idem nolle requiritur, ut sit amicitiæ verum nomen, quis dubitet e duobus unum fieri, tanta concordia voluntatum,

quanta vix in uno eodemque animo sit? Rarum genus non inficior: sed sic est non in hoc solum, sed in omnibus ferme quæ sub cœlo sunt, ut pretia rerum frequentia ac raritas alternent. Itaque, ut prope nil rarius amicitia vera, ita quoque nil carius: quæ ubi cœlesti munere contigit, una procellosæ vitæ ancora, una requies est laborum, qua et læta dulcius et tristia fortius feruntur. Et ad summam, amicus est alter idem, status nostri basis, animi lux, consilii dux, studii fax, dissidentium pax, curarum, negotioru mparticeps, peregrinationum comes, refrigerium domesticum; neque domi tantum, sed ruri militiæque assiduus, et terris et pelago; neque solum spatio vitæ par, sed post busta vivax atque immortale solatium; usque adeo, ut qui superstitibus obeunt amicis, tum maxime vivere videantur, cum abierint. Quæ cum ita sint, quantalibet fingatur amici liberalitas ac largitas, si tamen rari huius boni tenax est, si illi similis qui seu proprio, seu, quod ait satyricus, *gentis vitio nunquam partitur amicum*, et sibi solus habet, plenam amicitiæ gloriam non usurpet. Id nunc ergo reputans, amicum, quem non mihi meum meritum sed sua fecit virtus, partiri tecum, optime frater, institui. Is est, ut tibi illum breviter explicem, Petrus nomine, patria Alvernus, religione monachus, officio abbas, habitu niger, animo candidus, ingenio velox, eloquio dulcis, scientia doctus, iudicio circumspectus, convictu affabilis, ætate iuvenis, gravitate senex, honestate venerabilis. Adi eum, quæso, duce hoc, quem ob id ipsum maxime ad te misi. Agnoscet ille illico Socratem meum, de quo multa sæpe secum. Tu gaudebis hominem invenisse qualem frustra diu quæsivi, et mihi gratiam

habebis, qui consortem te tantæ rei fecerim; etsi plane videam quam incautus sim, qui duos tales viros uniam, quorum conversatio et mutua virtutis admiratio utriusque de me iudicium fortassis imminuat. Sed modo ne amor detrimentum sentiat, cuius magis augmentum spero, de iudicio ut libet. Tanti est fides. Vale.

Mantuæ, IIII Kal. Julii.

EPISTOLA X.

FRANCISCUS PETRARCA LÆLIO SUO S. P. D.

Singularia quædam de cœna sibi parata; et amici commendatio.

Læli carissime, si scires quando et ubi hæc scribo, ipsa temporis ac loci facies calamum excusaret, et tibi mei semper voti sponte oblivioso calcar adderet. Intempesta nox est, ego autem Luciariæ sum, quo ad vesperam veni Mantua digressus vergente iam ad occasum die. Æstas anni est; et leoni cancer pharetratum hospitem mittere cogitat. Tum quod miraberis, flante per hos dies austro, solutisque nivibus Alpium, tumentis parumper Padi vicinia pæne nobis inaccessibilis locus fuit. Omnia circum limo obsita: quando suspecta etiam scatebris via est, inde vix equos avulsimus. Hic vero supra quam fieri posse videatur, iucundissime excipior. Nuncius dominorum me prævenerat, quorum sæpe magnificentiæ ipsa rerum natura succubuit. Apparata opipare cœna erat. Externa vina, peregrinæ epulæ, obsequiosi hospites, læti vultus, denique urbana omnia præter locum, qui qualis hyeme sit,

æstas indicio est. Nunc quidem muscarum domus ac culicum, quorum murmur admonuit maturius e convivio fugiendum; et ranarum exercitus accesserat, quas inter cœnam e caveis ingressas et per cœnaculum nundinantes cerneres. Evasi in cubiculum non quidem solis fabulis, ut apud Milonem Hypate olim Apuleius, sed lautissimis cœnatus cibis; et quamquam somnum nox brevissima suaderet, egit tamen viri huius amor, ut graves oculos ac defessos digitos ad hæc scribenda compellerem. Est hic enim mihi carissimus, ut nosti, tui quoque avidus miratorque, qui ad te tamen promerendum se amicitiæ nostræ viribus adiutum putet; hinc de te sperans, et tui nunc indigus favoris, fac oro, mi Læli, ut quod ominatur sciat, quod sperat inveniat, quod petit accipiat, quo indiget perfruatur, et vale nostri memor.

Luciariæ, IIII Kal. Julias, nocte media.

EPISTOLA XI.

FRANCISCUS PETRARCA NICOLOSIO BARTHOLOMÆI S. P. D.

Se illum facie ignotum ob virtutis laudem et famam amare, et epistolam ex nutu communis amici ad illum mittere.

Tuus hic et bonorum omnium amicus, atque honestarum amicitiarum diligentissimus proxeneta, summo studio institit, ut tibi aliquid scriberem. Quod cum aliquamdiu recusarem, ignarus unde inciperem, aut quibus verbis hominem solius famæ testimonio cognitum alloquerer, evicit tandem, ut calamum arriperem,

scripturus quidquid occurreret. Quod cum fecissem, lætus et voti compos abscessit: mihi autem in silentio cogitanti quonam artificio familiaris epistola de nihilo texeretur, mirantique et mihi requirenti quid mihi tecum rei esset, quæve scribendi materia, nihil prius in animum venit, quam Ciceronis illa vulgata quidem, sed præclara sententia: Virtute nihil amabilius, nihilque quod magis alliciat; tantamque eius esse vim, ut eos quoque, quos nunquam vidimus, diligamus. Itaque confestim veluti percussa valido aquilone nubecula, et cunctatio, et admiratio omnis evanuit. Iam latum scribendi campum video, iamque nihil miror, talem animo meo virum esse carissimum, quamquam facies eius, mihi hactenus quidem nec visa sit. Si enim, nisi quod oculis vidimus, amare non possumus, primus et maximus amandi gradus evertitur: semetipsum nullus amabit; nemo namque suum animum, nemo faciem suam vidit. Hoc nimirum interest, quoniam ut nos ipsos, quos nunquam vidimus, amemus, natura est; ut vero alios, virtus efficit, et fama virtutis nuntia. Hæc est quæ præclarissimum regem Masinissam, oblitum patriæ ac pignorum tantorum, Africani mei congressum coegit expetere, ac præsentia tanti ducis attonitum, e Carthaginiensium castris ad Romana signa perduxit; et, quod instar monstri facit morum animorumque diversitas, eiusdem ducis et rei causam sui quidem hostis, sed virtutum amici honorificentissimo decreto, et supplici ac venerabunda prædonum acie absentis honestavit exilium: [1] denique divinæ eius originis in pectoribus hominum opinionem genuit, et nedum veris

[1] Tit. Liv. Lib. XXXIX, Valer. Max. Lib. II. c. 5.

laudibus, sed etiam fabulis locum fecit. Hæc est quæ bene meritos et viventes in terris celebrat, et extinctos ad cœlum effert, tuncque æternitate victuros elicit e sepulcris. Credibiliora recenseo. Quantum sane quamque accensum studium, quanta inter legentes audientesque heroum solet esse contentio, amante ac venerante quolibet non quem vidit, sed quem famæ credidit? Magnum hoc: quod sequitur maius; quoniam non modo quos non vidimus, seu quos videre nequivimus, sed etiam quos odimus, mediatrix illa conciliat, quod et breviter attigi, et dicendum est latius. Hæc est enim quæ, odiis in amorem versis, prævalidas munitissimasque urbes expugnavit, quæ gravissima sæpe bella confecit, et Camillo quidem ferreas Faliscorum portas aperuit, Pyrrhum regem ductoresque Romuleos, Curium rigidumque Fabritium, quanta esse potuit, familiaritate devinxit: Porsennam superbum illum Hetruriæ regnatorem, ab obstinata raptim obsidione distraxit. Hæc tantum virorum, et tam multos orientis populos, unius viduæ subiecit arbitrio; hæc ad genua Cæsaris Iulii, adhuc forsan grande aliquid ausuros, Gallorum regulos inclinavit; hæc Magnum Pompeium ad Posidonii fores, hæc Alexandrum Macedonem ad Diogenis dolium duxit; hæc Tito Imperatori humani generis assensu gloriosissimum cognomen tribuit, dilatumque Germanico in personam licet immerentis filii restituit principatum. Atque ut aliquid de Hebræorum historiis attingam, hinc quoque miratrix illa Salomonis regina de tam longinquo Hierosolymam venit, visura quod audierat. Et legatio Machabæi maria transivit, amicitiam expetens Romanorum.

Innumerabilia huius generis exempla se ingerunt; sed ut iam longiusculam epistolam brevi fine concludam, quid hic miri est, si virtus tua, et fama virtutis comes individua, multorum atque in primis latoris præsentium fidei credita, me in amicitiam tuam dulcedine captum trahit? Præsertim cum nihil impediat, non ætas, non patria, non imparitas studiorum? Confabulari tecum hactenus iucundum animo meo fuit, hinc iam mihi manum solitæ occupationes iniiciunt. Tu vero vale, et quotiens amicos tuos numerabis, cave, quæso, ne meum sileas nomen. Patavii, VI. Idus Ian. sub intempestæ noctis silentio.

EPISTOLA XII.

FRANCISCUS PETRARCA AD IGNOTUM.

Se morem ei gerere negat, dum rogatur ut litteras ad ignotum hominem mittat.

Mirarer quod ita te amor meis fallit in rebus, nisi sæpe doctissimos fefellisset vicissetque fortissimos, et altissimos inclinasset. Extorsisti ut ignoto scriberem, successitque feliciter. Amicum bonum in longum ævum quæsisse videor scripto brevi. Orta fiducia ex eventu, quod in rebus ferme omnibus accidit, instas ut scribam alteri, ingenti quidem ut ais viro, quem nec viderim tamen, nec audierim, nec omnino noverim, quasi certum habeas sic illum deme iudicaturum, ut tu dictitas; nec advertis, seu quod plus intelligat, seu quod amet minus, posse illi aliud esse iudicium. Ita famam, quam inter

amantes mei nominis utcumque custodio, ad incogniti iudicis tribunal invitam trahis. Nam quod argumentum habes eius cui nuper hortatu tuo scripserim, ut ut cætera cuncta similia sint eis quæ dissimilia esse possunt, vel origo sola reddit invalidum. Is enim, ad quem scripsi, Italus, hic, ad quem scribi iubes, est Dalmata, ut cœlo sic stilo alteri assuefactus. Unum mare est nobis, sed non unum litus, non unus animus, non unum ingenium, non unus denique seu vivendi seu loquendi mos. Utque nos a Gallis ac Germanis Alpes aeriæ, ab Afris æstuosissimum Tyrrhenum mare, sic a Dalmatis atque Pannoniis sinus seiungit Adriacus, quem inquietum merito eius accola Flaccus ait. Vides oculis quanta diversitas, atque ut alteri exigua scribendi causa fuit, sic huic penitus nullam esse. Notis quidem ac familiaribus amicis interdum scribere, sæpius vero rescribere soleo, non tam cupidine laudis, quam spe veniæ et colloquendi quadam non parva dulcedine. Ignotis et præcipue talibus, qualem tu hunc facis, ingerere nostra hæc nuda atque incompta non soleo. Parce igitur, amice, parce, oro, famam, cuius inter cultores, scio, non ultimum locum tenes, nimis amando urgere et in discrimen trudere. Si te error de me tuus iuvat, sine consorte utere. Si nihil sine socio delectat, veteribus, si qui sunt, contentus, noli novos quærere, et felix errore tuo, ut ait ille, noli alios in errorem cogere, illos præsertim qui et cogi nequeunt et maiorem rigido ex vero, quam ex blando errore, percipiunt voluptatem. Noli quoque committere ut curiositate nimia delectatio tua pereat, cum casu aliquo perveneris quo non vis, ubi scilicet amici ignorantia, quam tibi amor gratis fucis illinit et placito velamine palliat,

severiore iudicio retegatur, simulque mihi velum quo sub oculis tuis lateo, tibi tuus ille, quo gaudes, error excidat. Proinde quid libet de me credere, crede libere, crede pacifice, neve ultro arcessas qui te opinionum veterum consuetudine spoliatum novas induat, teque, quasi advenam licet et invitum colonum finibus tuis pulsum, suis inferat, etsi fortasse sermonibus non tam animo tuo gratis. Non est sani gustus appetere quod offendat.

EPISTOLA XIII.

FRANCISCUS PETRARCA PHILIPPO DE VITRIACO S. P. D.

Graviter obiurgat quod Guidonem Cardinalem Episcopum Portuensem in Italiam Legati munere missum quasi exilio laborantem fuerit miseratus.

Amicas aures amicus sermo pulsabit, non tam blandus quam verax, neque tam compositus quam fidelis. Quid enim loqui verear de longinquo, qui coram positus non verear? Magna est amicitiæ libertas, magna securitas. Qui multum diligit nihil timet, immo vero timet omnia, et omnia circumspicit magnus amor, illa, inquam, omnia quibus amatum suspicatur offendi. De amico quidem suo Seneca viderit, de quo ait: *Non amo illum, nisi offendero;* ego nihil minus velim, quam te offendere. Sed absit, ut offendi vero possis, veri semper acutissimus et ardentissimus inquisitor. Delectare potius spero, et imbecillitati animi virtutis ope succurrere, ut tantus ætatis nostræ philosophus, abiectis vulgi delirantis ineptiis, iam non modo viriliter sed

philosophice sentias et loquaris. Quid enim, quæso te, ne dicam æternum sed vel diurnum restat homini, si in animum quoque senectus admittitur? Ego quidem et ratione ingenita et experientia magistra et illustri etiam historico attestante didiceram, orta omnia occidere, et aucta senescere: sed ab hac ineluctabili sorte mortalium exemptum animum arbitrabar, quippe qui, non terrestris sed æthereæ substantiæ, sese in altum vi propria et quibusdam, ut ita dixerim, naturæ suæ alis attolleret, mortemque despiceret; quodque de quibusdam vetustissimis Italiæ populis apud Poetam legeram, quod scilicet *nec tarda senectus debilitat vires animi*, latius extendens ad omne genus hominum referebam. Cogis me, in hac dubium opinione subsistere; videris enim mihi, et eloquar aperte quod sentio, videris, inquam, mihi, vir egregie, non tam corpore quam animo senuisse. Quod si accidere tibi potuit, in tanta bonarum artium copia, tantaque virtutum supellectili, quid eventurum credimus his nudis et enervibus, nullum virtutis solamen habentibus, nullum præsidium litterarum? His dico, qui passim in triviis oberrant, curis inanibus circumacti, ad nil aliud quam ad explendum turbæ numerum idonei, et fruges consumere nati? ut eleganter ait Flaccus. Atqui hoc mihi non negaveris, si senescere animus potest, posse etiam interire, cum haud dubie ultima vitæ pars, et quasi quidam descensus ad interitum sit senectus; quod ubi concesseris, vide quid sequitur. Dulcedo enim vitæ intercidit: spe immortalitatis erepta, quæ una præstabat, ut me hominem non dolerem, ex parte altera morti temporaliter obnoxium, nobiliori interim, et, quod naturæ fides

addiderat, utraque tandem parte victurum. Nec sum nescius mirari te, quorsum tam longis anfractibus mea pergat oratio; immo vero, si ingenium tuum novi, iam iam conscientia vellicante, quid dicam et quid sim dicturus intelligis. Est hic, ut nosti, præclarissimus pater et communis amborum dominus Guido Bononiensis Cardinalis et Apostolicæ Sedis Legatus. Iam faciem tuam intueri videor; modestam illam rubor invasit. Non præsagiebas me de manibus suis tuas litteras inspecturum; quod si eventurum cogitasses, nunquam profecto tam molliter, tam demisse, nunquam, da veniam veris nominibus, tam muliebriter loquereris; et si non mihi, at saltem Musis hospitibus meis parceres, quæ ne modo adversus te numeris suis armentur, non illarum patientia, sed temporis brevitas causa est. Quid enim ais? oro te: cognosce mecum, verborum tuorum formulam: consignatis, ut dici solet, tecum agitur tabellis. Hunc ipsum dominum nostrum arguis, pungis, increpitas, et nimis intoleranda mollitie non absentiam, sed, ut tu vocas, exilium eius defles, peregrinationemque sanctissimam et qua gloriosior nulla esse potest, exilii cognomine decoloras. Hæc nimirum est illa senectus animi quam in te lugeo, amice. Nunquam quo primum mihi tempore notus esse cœperas ista dixisses. Deferbuit sanguis et ille ardor egregius, quo nulli secundus videbaris, abdita quælibet et incognita perscrutandi. Itane inter curiositatem anxiam ultimamque segnitiem nihil est medium? Parum tibi distans India videbatur. Iam Taprobanen et si quid orientalis oceanus habet occultius cupido metiebaris ingenio: iam ad extremam Thulen ignotis litoribus la-

titantem suspirabas, quoniam Orcades et Hybernia, et quidquid terrarum noster fluctus alluit, ipsa in civitate sordebant. Quid autem miri si angusta animo literatissimi hominis terra erat, in hunc assiduum cœli verticem, qui supra nos stabili temone convertitur, inque illum alium quem, si qui sunt, Antipodes suspiciunt, in obliquum denique solis callem, inque fixas et errantes stellas infatigabili studio conscendenti? Nam quid non dies longior evertit? Esse in Italia miserum exilium reris, extra quam esse, nisi quia omne solum forti patria est, potius videri posset exilium? Pace tua dixerim; nimis tibi parvus pons parisiensis impressit testudinei sui arcus effigiem, nimis aures tuas subterlabentis Sequanæ murmur oblectat; postremo nihil calceo tuo nisi gallicus pulvis insedit. Oblitus mihi videris illius qui, interrogatus cuias esset, Mundanum se esse respondit. Tu usque adeo Gallus es, ut Galliæ fines excedere quamlibet ob causam exilium voces? Est quidem, non inficior, natalis patriæ dulcedo nobis insita; scio præclarissimos viros nequaquam huius affectus expertes; audio apud Livium restitutorem Urbis et Imperii Camillum, quibuslibet summis ducibus parem, sese in exilio ardeatino fractum fuisse, cœli patrii memoria; confitentem audio Diomedem, apud Virgilium, suum Calydona Deorum invidiæ ascribentem; audio Nasonem suam absentiam non paucis verbis, sed integro volumine deplorantem. Cum hoc autem et illud scio pusilli et invalidi animi esse, ubi honestæ vacant causæ, abiectis his compedibus non posse consurgere. Ingens est Romanorum et externorum ducum, ingens quoque philosophorum copia, qui vel ut bellicam, vel ut inge-

nii gloriam cumularent, vitam in perpetuis peregrinationibus exegerunt. Sed quia libentius professioni nostræ viciniora commemoro, philosophorum aliquos attingam. Plato, relictis Athenis, ubi, si dici fas est, pro terrestri quodam numine colebatur, Ægyptum primo, deinde Italiam circumivit. At quantus labor homini sedere solito? Sed per omnes viarum difficultates, discendi cupiditate pro vehiculo utebatur. Est et peregrinatio famosa Democriti, famosiorque Pythagoræ, qui semel domo egressus, nunquam rediit, veri flagrantior amore, quam patriæ, lustravitque Ægyptum, ut ait Cicero, Persarum Magos adiit, tantas regiones Barbarorum pedibus obivit, tot maria transmisit; cuius peregrinationis extremum si quæritur, in Italiam ipsam venit, ibique reliquum vitæ egit, et quatuor ibi lustra consumpsit, ubi tu nunc annuam Domini nostri moram, velut flebile exilium et prorsus perditum tempus, doles. Expergiscere, obsecro, et ingenium tuum excita, vir insignis, atque inclinatum animum attolle. Videbis quanta opinionum nube vulgarium tenearis, dum illæ tibi voces exciderint, quas utinam non legissem! Non est exilium quod tu putas, sed brevi labore famæ materia sempiternæ. Hoc tibi persuadere nunc difficile est, qui, ut video, nihil extra Parisios magnificum aut delectabile suspicaris, et extremas illas agelli tui glebulas, quibus animum addidisti. Cum vero ad te ipse redieris, et profanis vulgi rumoribus exclusis, te unum percontari, tibi credere malueris, bene de te sperare non desinam. Redde mihi collocutorem meum, redde mihi pristinum Philippum; me quidem tacente, veritas perorabit. At modo non tecum, sed cum altero nescio

quo Philippi illius hoste, conflictatio mihi ista suscepta est. Quamobrem si quid forte liberius dictum legis, quam blanditiarum nostri ævi mos habet, ignoscito. Iuvat enim magnifice loqui, et certe decet, ut quadam ad Ciceronem epistola Brutus ait, adversus ignorantes quid pro quoque timendum sit. Ut enim ad exulem tuum revertamur, videres hunc vultu augustiorem solito et fronte siderea per urbes italicas incedentem. Videres populorum ac principum concursus, summo illum honore prosequentium; audires plaudentium atque faventium voces; enervati puderet eloquii, neque iam exulem, sed pacis et quietis auctorem, atque sospitatorem Reipublicæ nuncupares veriore vocabulo. Cum enim inter Hungariæ et Siciliæ regna profundis odiorum fontibus scatentes bellorum causæ magnam Europæ partem in discrimen traherent, *tanto par oneri nemo alter inventus est.* Hoc Romani Pontificis iudicium, hunc sacri collegii consensum, si tu sibi miserum aut pœnitendum censes, quod felix faustumque dicturus sis nescio. Sed adiuro te per illam, quæ præesse debet affectibus, rationem; quod tu mihi otium cum hoc negotio, quas mihi delicias cum his curis, quam mihi requiem cum his laboribus comparabis? Viderit Epicureum vulgus quid pronuntiet. Ego tam generosum exercitium omnibus deliciis omnibusque voluptatibus prætulerim, quas somnus aut venter aut ambitio præstare potest. Omnis enim virtus, omnis gloria, omnis honesta delectatio in arduo sita est. Ad obscœna descendimus, conscendimus ad honesta. Noli igitur Domini nostri deplorare fortunam: exulem te potius credito, et exilium tuum geme, qui tam procul a contemplanda illius glo-

ria recessisti. Dolerem et ego nunc pariter vicem tuam, nisi tu iter eius miseratus, tacite quidem te felicem absentia iudicares. Gaudenti autem compati, non pietatis, sed dementiæ opus est, nisi forte miserari falso gaudio gaudentem, ea demum misericordia summa est. Cæterum etsi tu ante tempus immobilis factus es, patere tamen æquo animo hunc, quem tota mente diligere certe scio, inertes moras itineri posthabuisse magnifico. Virens enim ætas est, corpus validum, præclarus sanguis, altum ingenium, ardens noscendi cupiditas; hi sunt stimuli, quibus impulsus et Sequanam et Rhodanum amittere ausus est. Neve solos philosophos peregrinatos, atque hoc obtentu hunc regia prosapia ortum ab illorum humanitate segregandum putes, illustrioribus exemplis agam. Quatuor et viginti annos natus erat Scipio, cum adversus quatuor validissimos Carthaginiensium exercitus, totidemque clarissimos duces in Hispanias profectus est, inde innumerabilibus victoriis ornatus rediens: cum parta laude contentus domi manere posset, tonante per Italiam Hannibale, in Africam transire maluit, et se inter asperrima vocantem maioris spem gloriæ secutus est, non inde divitias relaturus, sed salutem patriæ, agnomenque sibi; qui enim Cornelius iverat, rediit Africanus. Ivit ad Troiam Neoptolemus, contemptis avi precibus ac lacrimis. Ivit Ulysses per omnes terras ac maria, et erat illi domi decrepitus pater, infans filius, coniux adolescens et procis obsessa, cum ipse interea Circæis poculis, Sirenum cantibus, Cyclopum violentia, pelagi monstris ac tempestatibus decertaret, vir erroribus suis clarus, calcatis affectibus, neglecto regni so-

lio et tot pignoribus spretis, inter Scyllam et Charybdim, inter nigrantes Averni vortices senescere maluit, quam domi, nullam aliam ob causam, quam ut aliquando senex, doctior in patriam remearet. Et revera si experientia artem facit, quid artificiosum quidve alta laude dignum sperare relinquitur illi qui paternæ domus perpetuus custos fuit? Boni villici est in avito rure consistere, telluris suæ vim bonumque cognoscere; contra nobilis et in altum nitentis ingenii est, multas terras et multorum mores hominum vidisse, verissimumque est quod apud Apuleium legisti. Non immerito enim, inquit, priscæ poeticæ divinus auctor, apud Graios summæ prudentiæ virum monstrare cupiens, multarum civitatum obitu et variorum populorum cognitu summas adeptum virtutes cecinit; quod poeta quidem noster imitatus, suum Æneam nosti, quot urbibus ac litoribus circumducit. Tu domino nostro compateris, quod aliquid præter Parisios vidit? Nec intelligis quam gratum spectaculum illi fuit ingenio, oculis cernere, quod cogitatione præviderat. Etenim si in Tusculano disputans Cicero ait: Aliquid assequi se putant qui ostium Ponti viderunt et eas angustias per quas penetravit ea, quæ est nominata Argos, quum Argivi in eadem lecti viri vecti petebant pellem auratam arietis, aut ii qui Oceani freta illa viderunt,

Europam Libyamque rapax ubi dividit unda;

quid se hic adeptum putare potest, qui fractas punico aceto italicas Alpes vidit, et Cisalpinæ Galliæ lætissimos atque latissimos campos libero permensus intuitu, Mediolanum urbem egregiam et a maioribus ve-

stris conditam, Brixiamque et Veronam ab eisdem vestris maioribus possessa loca prospexit? Inde petens Patavium troici opus Antenoris, hinc Venetiarum inter cunctas litoreas mirabilem atque permaximam urbem, mox cinctum fluminibus et æstivis deliciis amœnum parvumque Tarvisium, quam sibi sedem delegit, delectationi non tam propriæ quam undique convenientium commoditati prospiciens; inde ad compescendos Arctoos motus, Aquileiam prætervectus, Alpesque Noricas transgressus, longe lateque Germaniam peragravit, et illum olim imperii limitem Danubium, Nilo parem, mille superbum fontibus et horrificis gurgitibus æstuantem attigit; inde nuper multa reversus cum laude, hodie minoris corpus Antonii ingenti populi devotione transvexit, quæ una sibi apud Patavium longiusculæ moræ causa fuit, cui translationi ego interfui, gravitatis eximiæ ac cæremoniarum mirator unus ex plurimis. Crastino iter interceptum aget, ut sicut Adriatici fremitum maris vidit, sic Tyrrhenas aspiciat tempestates. Et primo quidem fluviorum regem transibit Eridanum et antiquissimam civitatum Ravennam, post Ariminum, mox Fanum, inde Perusium prævalidam urbem, atque interiacentes alias, tandem rerum caput et dominam Romam petet, quam quicumque non viderit temere alias admiratur, cuius urbis aspectus, ut interdum speciosior foret populo romano fortuna præstabat, ut vero nunquam salutarior iubilæus annus efficiet. Voces licet exulem, ille mihi videbitur felicissimus peregrinus. Ibi Apostolorum limina et terram calcabit sacro martyrum purpuream cruore, videbit vel muliebri linteo vel in cunctarum Ecclesia-

rum matris parietibus extantem Domini vultus effigiem; videbit ubi profugo Petro Christus occurrit, et super præduram silicem æternum gentibus adoranda vestigia; ingredietur in sancta Sanctorum, locellum cœlestis gratiæ plenum; Vaticanum lustrabit et beatis ossibus extructum Callisti specus; incunabula et circumcisionem Salvatoris aspiciet, et virginei lactis vasculum candore mirabili; videbit Agnetis anulum, et divinitus extinctæ libidinis miraculum recognoscet; contemplabitur truncum Baptistæ caput et Laurentii craticulam, et advectum aliunde Stephanum, unoque duos contentos hospitio; videbit ubi Pauli fuso sanguine dulces aquæ fontes eruperint, unde nato Domino fons olei descendit in Tiberim, ubi templi pulcherrimi fundamenta æstivæ nivis indicio iacta sunt, et ubi partu Virginis templa fortissima corruerunt; cernet lapidem infando Simonis cerebro maculatum; monstrabitur ibi Sylvestri latibulum et visio Constantini, et dicta cœlitus insanabilis morbi cura. Innumerabilia quoque alia, quorum partem idem ego ad Clementem VI scribens loquaci quondam sum complexus epistola. Siquando vero a cœlestibus ad terrena descendere libuerit, cernet romanorum principum stupenda licet collapsa palatia; Scipionum, Cæsarum et Fabiorum domos; videbit septem colles, unius muri ambitu circumclusos; mirabitur latas vias, captivorum contra agminibus angustas, et triumphales arcus subactorum quondam regum ac populorum spoliis onustos; Capitolium ascendet omnium caput arcemque terrarum, ubi olim cella Iovis fuerat, nunc est Ara Cœli, unde Augusto Cæsari puer Christus ostensus est. Hæc ille. Tu vero quotiens prata Germani et Genovefæ

collem contemplabere, ortum solis tibi lustrasse videberis, et occasum, opinione tua felix, si tamen ulla est in errore felicitas. Roma autem digressus ille, ne quam nesciat per Italiam Italiæ regionem, Hetruscorum urbes invisere in animo habet, gelidis ac tepentibus circumfluum fontibus Viterbium et Urbemveterem prærupti saxi in vertice sedentem. Senas præterea et lupa altrice et septem collibus Romæ æmulam civitatem, romanorum opus ducum Florentiam, de qua nihil ad præsens, ne qui te mihi, me tibi suspectum faciat amor patriæ. Inde superato rursus Apennino per studiosam transire Bononiam, atque huc iterum reverti cogitat, omnium hic legationis suæ prælatorum solemne concilium acturus; atque ita tum demum Mediolanum repetet, et ad lævam flectens, tertio transiliet Apenninum visurus et Ianuam: nec immerito. Nulla enim animosior, nulla hodie verius regum civitas dici posset, si civilis inde concordia non abesset. Ita per Ligusticum sinum, quo nullus amœnior, per cedrinos ac palmiferos saltus, per odoriferum atque undisonum litus, ad Italiæ finem veniet, in Gallias reversurus. Non hæc properantis tædio affecti animi signa sunt. Vides ut Mæandrio more circumflectitur quo et a pluribus locis adventus sui iucunditas sentiatur, et generosa mens pluriformium rerum recreetur aspectibus. Habet igitur herus tuus magnam gaudendi materiam, multa et magna, et memorabilia vidisse, et ibi præclarissimum nomen suum illa, quæ minuere famam solet, auxisse præsentia; habet et quo lætetur Italia, quæ inter præsentis ævi nubila hoc velut benigno quodam sidere serenata est; et quæ ab initio rerum, ut ipse non igno-

ras, omnium auctorum testimonio laudatissima terrarum omnium semper fuit, tantum præconem nostra ætate, unde non sperabat invenit. Crede enim mihi, mirabere, cubi um reducem audies de rebus italicis prædicantem. Itaque, ut iam tandem aliquando concludam, si desiderium tanti patris ægre fers, si solitudinem tuam et situ nimio contractam animi rubiginem lamentaris, possum humanis passionibus veniam dare. Si vero vel nos illi vel illum nobis invides, prorsus satyrico dente mordendus es, quem torqueat aliena lætitia. Proinde quidquid est, breve est. Æstas te proxima victorem faciet, reddītura tibi quem nobis eripiet: imaginem tamen illius nulla dies de nostris præcordiis extirpabit. Et quanto putas alacrior, quantoque rerum experientior redibit, quanto non solum cæteris, sed etiam semetipso sublimior, qui tam multa oculis suis viderit, et urbanitatem gallicam italica condiverit gravitate? In plausus illud tuum omnipotens vertes eloquium, pudebitque inutilium querelarum, quarum nulla quidem erat excusatio, nisi quia vulgari sermone conscriptæ sunt; ut intelligi detur non te in illis tuam, sed vulgi secutum esse sententiam, cuius cæcum reprehensumque iudicium semper fuit. Tu vive et vale nostri memor. Salutat te Marcus Medicus compatriota Virgilii.

Patavii, XV. Calendas Martias.

EPISTOLA XIV.

FRANCISCUS PETRARCA LUCÆ PRESBYTERO PLACENTINO S. P. D.

Laudat solitudinis appetentem et stimulos addit.

Sentio angores tuos, non magis quos loqueris quam quos taces. Scio: multi te quidem propter me persequuntur, me autem cur? Hoc profiteor me nescire, nisi quia nomine forsan offenduntur meo, quod parvum licet et obscurum, maius tamen illis et clarius videtur quam lippa ferre possit invidia. Iam mirari desino. Ut magna maria, sic quæ sunt vel quæ videntur magna nomina, perpetuis fluctibus æstuant. Cedemus tempestatibus non metu aliquo, sed contemptu, qui, ubi nimis excreverit, nauseam parit. Ibimus et latebimus non sine gloria, nomenque nostrum, nisi fallor augurio, e latebris quam ex urbibus clarius audiet undecumque torturum invidos. Ne dubites: recondet nos Deus in portu optimo, et redimet nos a calumniis hominum, ut custodiamus mandata sua. In hoc totum animum intendi. In hoc diebus ac noctibus laboro: pium votum Deus non frustrabitur. Verum tota res fiet alacrius, si consensus tuus, ut incipere videtur, accesserit. Ita enim, amice, mihi persuasum scito, esse te virum bonum: alioquin nec amicitiam tuam complexus essem, et si in eam casu aliquo incidissem ignorans, vel renunciassem ei more maiorum, vel Catonis consilio dissuissem, non discidissem. Hoc fundamento iacto, quidquid agis, aut loqueris, placet. Sed sic habeto: nihil te unquam dixisse quod tantum mihi placeat, quantum quod dixisti nuper, quando efficacissi-

me et quantum intelligere potui totis animi nervis ac viribus me teque ipsum ad solitudinis studium cohortatus es. Bene loqueris, amice, prudenter, fideliter, graviter, salubriter. Ita enim sentio, non quidem in universo aliquid diffiniens, sed de nobis loquens, vix extra solitudinem posse nos bene vivere, bene mori, nec certe minus iam de morte quam de vita, nec minus de termino quam de stadio cogitandum. Natura dux nostra nos solitarios fecit. Quid tergiversamur et obliquas sequimur vias? Non nos fallat longioris vitæ spes, aut illud Davidicum quod innumerabiles iam fefellit, de annis septuaginta, vel in potentatibus octoginta. Non obluctor prophetæ: vera sunt omnia, sed maior hominum pars quinquagesimum non attingit. Quot millia occupationum, quot cœptorum pompas illa prophetica interrupit auctoritas: dum quod ille extremum posuit, nos quasi medium ponimus, et quod ille paucis atque vivacibus, nos omnibus pollicemur. Cessent spes inanes: nemo nos fallat: immo vero nosmetipsos non fallamus, neque nobis accidat Ciceronianum illud ubi ait: *Metelli sperat sibi quisque fortunam.* Potens est quidem Deus omnia singularia atque magnifica nobis dare: nobis tamen et pro nostra modestia et pro communi sorte hominum de communibus cogitandum est. Sed esto : sit vita longissima. Quantum tamen ab extremo absimus facile perpendes, si oculos in terga reflexeris, et venturum tempus metiri cœperis æstimatione præteriti. Quod autem ad hoc, quasi non leve præsidium, vitæ solitariæ librum petis, ne dici quidem opus erat. Quidquid ex hoc ingenio depromptum et tibi promptissimum erit, etsi in publicum nondum illud exierit, ut sileam

veterum ingenia, quorum nobis copia magna est. Proinde quia de hoc in præsens loqui amplius non vacat, hoc tibi in animum dimitte, mirum in modum auxisse te amicitiam quam mecum habes, per id quod de solitudine tam efficaciter scripsisti; modo mihi perseveranter et fortiter in opinione persliteris. Vale.

EPISTOLA XV.

FRANCISCUS PETRARCA GULIELMO DE PASTRENGO S. P. D.

Librum sibi mitti rogat et de accepto consilio gratias agit.

Gratiam tibi habeo, vir optime, quod te mihi adeo morigerum præbes. Ego enim multo malim studiis meis quam voluptatibus opem ferri, quamvis et studia suas voluptates habeant immarcescibiles, honestasque, quas nulli hominum notiores arbitror esse quam tibi. Libro illo valde egeo in Virorum illustrium congerie, cui hos humeros qualescumque subieci. Oro ergo, festina, scis quam carum est tempus, horas et momenta librantibus. Insuper et pro eo nominatim gratias ago, quod me tam debiti admones officii: tentavi ut suadebas, quod per me ipsum fecissem, et iam cœperam, sed tarditatem meam nosti et contemptum rerum: ita enim mihi contingat mori, ne totus moriar, ut multa versanti ineptissima fabula et prorsus inane somnium videtur fere quidquid in terris agitur. Stimulis ergo opus erat; hos mihi morum meorum conscia tua fides adhibuit: de eventu viderit fortuna: sed quid loquor? Nihil illam esse didici præter nudum nomen, et prævaluit apud me Graii vatis auctoritas. Viderit ergo Deus omnipotens cui Da-

vidicum illud dixi: *In manibus tuis sortes meæ.* Pium certe consilium esse inefficax non debebit. Tu vale, Raynaldum nostrum, ut salvere iubeas precor.

Mediolani, VII. Cal. Augusti, propere.

EPISTOLA XVI.

FRANCISCUS PETRARCA GULIELMO VERONENSI ORATORI S. P. D.

Spe, quam animo conceperat, malis artibus inimicorum se occidisse conqueritur.

Fefellit opinio, spes illusit, pestis quotidiana mortalium. Res nulla mendacior: nulli tamen magis creditur. Miraris? immo vero nihil minus. Rem notissimam atque vulgatam loquor: sed si mali huius causam quæris, adstipulatrix spei est humana cupiditas. Nihil non credere iuberis, dum omnia concupiscis. Itaque illa fallax, hæc credula nos decipit. Cæterum quod in te erat præstitisti; sed consilium fidemque tuam et pietatem illam, qua me patrio more complecteris, aliena temeritas atque iniquitas crudelitasque vicerunt. Trigeminorum acies: notum certamen: indigna victoria. Sed cedamus, ne per impatientiam exacerbemus iniuriam. Nihil est reliquum nisi quod sapiens quidam vir dixisse fertur: ut humanis deficientibus divinum auxilium expectemus. Vale nostri memor.

FRANCISCI PETRARCÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS

LIBER DECIMUS.

EPISTOLA I.

FRANCISCUS PETRARCA CAROLO IV AUGUSTO IMPERATORI ROMANORUM S. P. D.

Enixe hortatur ut Italiam adventet Romani Imperii gloriam restituturus.

Præcipitium horret epistola, serenissime Cæsar, auctoris sibi conscia, dum cogitat unde digrediens, quo ventura sit. In tenebris enim orta quid mirum si in clarissimi tui nominis splendore confunditur? Sed quoniam omnem pavorem amor excutit, in lucem veniet, et si nihil aliud, at saltem fidelis affectus mei nuncia. Perlege, oro, decus nostrum, perlege; neu quas odiosas tibi ac molestas adeo ex me blanditias verearis, publicam regum pestem. Ars ea procul a moribus meis abest; lamentis potius aurem para; non tam blanda quam querula oratione pulsaberis. Quid enim nostri, et si dici fas est, immo tui ipsius immemor factus es? quonam abiit Italiæ tuæ cura? Nos equidem sperabamus te, cœlitus nobis missum, libertatis nostræ promptissimum assertorem. Tu refugis, et ubi factis opus est, longissimis consultationibus tempus trahis. Vide, Cæsar,

quam fiducialiter tecum ago homo pusillus et incognitus. Tu, quæso, ne libertati meæ succenseas, sed naturæ moribusque tuis gratulare, qui hanc mihi fiduciam subministrant. Quid enim, ut cœptum sequar, quasi venturi certus, tempus in consiliis expendis? nescis in quam brevi spatio maximarum rerum momenta versentur? Quæ multis elaborata sunt sæculis sæpe dies unus conficit. Crede mihi, si famam propriam, si Reipublicæ statum cernis, videbis tuas itidem res ac nostras dilationibus non egere. Quid quod ambigua et fugacissima vita est, et quamvis integerrima ætas tua sit, est tamen instabilis, assidueque volat ac rapitur? Itaque non sentientem omnis te in senium dies trudit; dum circumspicis, dum cunctaris, improvisa furtim aderit canities. An forte dubitas, ne ante tempus inceperis, ad quod peragendum vix humanæ vitæ longissimum tempus intelligis suffecturum? neque enim vulgaris aut mediocris negotii tibi cura est. Romanum Imperium, multis diu iactatum tempestatibus sæpe delusam et pæne iam proiectam spem salutis in tua tandem virtute reponit, et per innumeros casus, sub umbraculo tui nominis utcumque respirat; sed sola iam spe diutius pasci nequit. Sentis quantam et quam piam curarum sarcinam suscepisti; perfer ad exitum, precamur, idque quam primum facito. Pretiosissima immo vero inæstimabilis res est tempus, et cuius solius avaritiam doctorum omnium commendat auctoritas. Pelle moras igitur, et quod grande aliquid aggressis ultimum est, singulos dies magni æstima: ea te cogitatio parcum temporis efficiet, ea te coget ut venias, et inter adversitatum nubila desideratum nobis augustissimæ tuæ frontis lu-

men ostendas. Non te transalpinarum sollicitudo rerum, non te natalis soli dulcedo detineat. Quotiens in Germaniam inspexeris, Italiam cogita; illic natus, hic nutritus, illic regnum, hic et regnum habes et imperium, et quod nationum ac terrarum omnium pace dixerim, cum ubique membra, hic ipsum caput invenies Monarchiæ. Nullus igitur ignaviæ locus est. Ut ad nutum cuncta succedant, magnum fuerit tantarum rerum fragmenta colligere. Sentio quidem novitatem rerum omnium esse suspectam; sed ad nova non traheris, neque tibi aliter Italia quam Germania nota est. Ab infantia enim tua nobis divinitate propitia repromissus, altum inclyti patris iter mira indole prosecutus, sub eo et italicas urbes, et mores hominum, et terrarum situs, et gloriosa rudimenta didicisti. Quin etiam adhuc puer, quod plusquam humanæ virtutis fuit, præclaras hic sæpe victorias meruisti, sub quibus, etsi magna erant quæ gerebas, maiora tamen puerilis expeditionis ministerio velabantur, ne scilicet eam patriam vir timeres, quæ tibi puero tantarum victoriarum materiam præbuisset, et quid hic sperare debeas Imperator, primævi tirocinii auspicio provideres. Adde quod nunquam ullius externi principis adventum lætius expectavit Italia, utque nec aliunde remedium vulneribus suis sperat, nec tuum tamquam alienigenæ iugum timet. Hoc singulare, si nescis, habet apud nos maiestas tua; quid enim verear loqui quod sentio, et quod te iudice probari confido? miro quidem Dei favore nunc primum in te nobis post tot sæcula mos patrius et Augustus noster est redditus. Te enim, ut libet, sibi Germani vindicent; nos te italicum arbitramur. Propera igitur, quod sæpe iam

dixi, et sæpius est dicendum, propera. Scio actus tibi placere cæsareos; nec immerito: Cæsar es. Atqui primus opifex Imperii tantæ celeritatis fuisse dicitur, ut ipse sæpe adventus sui nuncios præveniret. Idem fac, et quem titulis æquasti, rebus æquare satage. Noli amplius benemeritam Italiam tui desiderio fatigari; noli ardorem nostrorum nunciis et expectatione restringere. Te unum poscimus; tui siderei vultus intuitum postulamus. Si virtutis amicus es, si gloriæ studiosus, cuius (sic ego Carolum nostrum alloquar, sicut Iulium Cæsarem Marcus Tullius alloquitur) avidissimum te, quamvis sis sapiens, non negabis, noli, obsecro, laborem fugere; nam qui laborem fugit, et gloriam et virtutem fugit, ad quas nunquam nisi arduo et laborioso calle pertingitur. Tu vero, quem et honesti laboris et veræ laudis appetentissimum scimus, surge age et æquus magnorum ponderum distributor, graviora quælibet ætati prævalidæ et fortioribus humeris impone. Iuventus labori apta, otio senectus; profecto autem ex omnibus optimis ac sanctissimis curis tuis nulla gravior quam ut italicum orbem, tranquilla pace componas. Ea sarcina huius ævi par est, cætera leviora quam ut tantum et tam generosum animum occupare queant. Hoc igitur primum fac, reliqua suum tempus invenient, quamquam placata ad plenum et composita Italia, nihil aut modicum putem negotii supererit. Finge nunc animo, almam te Romanæ urbis effigiem videre; cogita matronam ævo gravem, sparsa canitie, amictu lacero, pallore miserabili, sed infracto animo, et excelsæ pristinæ haud immemorem maiestatis, ita tecum loqui: « Ego Cæsar, » ne despexeris iratus me, multa olim potui, multa

» gessi; ego leges condidi, ego annum partita sum, ego » docui militiæ disciplinam, ego quingentis annis in » Italia consumptis, ducentis ordine sequentibus, » cuius rei fide dignissimi testes sunt, Asiam, Afri- » cam, Europam, totum denique orbem terrarum, bellis » et victoriis peragravi multo sudore, multo sanguine » multoque consilio, surgentis Imperii fundamenta com- » muniens. Ego primum libertatis auctorem Brutum, » dum mihi obsequitur, interfectis filiis superbo hosti, » mutuis commorientem vulneribus adspexi. Ego na- » tantes virum armatum et inermem puellam stupui; » ego pium Camilli exilium, et Cursoris laboriosam mi- » litiam, et incomptum Curii caput, et electum ab ara- » tro consulem, et ruricolam dictatorem, et regiam » Fabritii paupertatem, et Publicolæ elatum funus, et » insolitam viventis Curtii sepulturam, et gloriosum » carcerem Attilii, et insigni devotionis habitu procum- » bentes Decios, et Corvini spectabile duellum, et mi- » tem patri, durum filio Torquatum, et profusum una » Fabiorum sanguinem, et attonitum Porsennam, et fu- » mantem generosam Mucii dexteram vidi. Ego Seno- » num flammas, et Pyrrhi elephantes, et opes Antio- » chi, et pertinaciam Mithridatis, et Syphacis amentiam, » et Ligurum difficultates, et bella Samnitica, et Cim- » brorum motus, et Macedonum minas, et Punicas » fraudes pertuli. Ego Carrhas, Ægyptum, Persidem, » Arabiam, Pontum, et utramque Armeniam, et Gala- » tiam, Cappadociam, Thraciam, et Pharium litus, et » Æthiopicas arenas; ego Libyæ campos, et Hispaniæ, » ego aquas Sextias, Ticinum, Trebiam, Thrasymenum, » Cannas et Ocriculanas profuso cruore Thermopylas;

» ego Danubium et Rhenum, Indum et Hydaspem,
» Rhodanum et Iberum, Euphratem, Tigrim, Gangem,
» Halym et Hebrum, Tanaim et Araxen; ego Taurum
» et Olympum; ego Caucasum et Atlanta; ego Ionium
» et Ægeum, Scythium atque Carpathium mare; ego
» Hellesponticum sinum et Euboicas arenas; ego Adria-
» ticum et Tyrrhenum, denique perdomitum nostris
» classibus Oceanum, hostium simul et natorum san-
» guine cruentavi, ut tantum scilicet bellorum semen
» pax æterna sequeretur, et per multorum manus ad
» te venturum stabiliretur imperium. Nec mea me fe-
» fellit intentio; voti compos omnia sub pedibus meis
» vidi. Inde sensim nescio quonam modo, nisi quia
» mortalium opera non decet esse immortalia, in laborem
» meum irrepsit segnities, et ne lacrimabilem ordiar
» historiam, quorsum se res redegerit, vides. Tu mihi
» prope iam desperanti divinitus destinatus, quid ces-
» sas? quid cogitas? quid expectas? sane nunquam
» aut ego egentior, aut tu ad opem ferendam aptior,
» aut Romanus Pontifex clementior, aut favor Dei et
» hominum propensior, aut illustrior res agenda. Differs?
» inimica semper magnis mora principiis. Moveant, mo-
» veant animum tuum exempla clarissima eorum, qui
» nihil in senium differentes oblatam semel occasionem
» impigerrime rapuerunt. Alexander Macedo ea ætate
» qua nunc es Oriente pererrato, Indorum regna pulsa-
» bat, aliena rapturus. Tu tuum repetens, devotam
» tibi non intrabis Italiam? eadem hac ætate tua Scipio
» Africanus in Africam transgressus, senum quam-
» vis retrahente sententia, nutanti iam et ruinam mi-
» nanti imperio pias adhibuit manus. Itaque incredi-

» bili virtute impendens mihi iugum Carthaginiense
» discussit. Magna res in primis et periculi novitate
» memorabilis, nostris ardentibus, hostium fines inva-
» dere, et Hannibalem Italiæ tunc Galliarumque et
» Hispaniæ victorem, ac iam totius orbis imperium ti-
» menda mente versantem, hinc vi deiectum, illic ar-
» mis vincere. Tibi nulla quidem transeunda sunt ma-
» ria, nullus Hannibal vincendus; pronum iter, plana et
» aperta sunt omnia; quæ enim obturata quidam putant,
» præsentiæ tu ætonitrui patescent. Ingens, nisi respuis,
» novæ tibi gloriæ campus ostenditur. Ingredere forti-
» ter, intrepide. Iustorum comes et adiutor principum
» Deus aderit, aderunt armatæ bonorum acies, duce
» te, libertatem perditam reposcentes. Possem te nunc
» exemplis sollicitare contrariis, eorum qui gloriosa
» primordia seu mortis seu insignis cuiuspiam impedi-
» menti obice nequaquam ad exitum perduxerunt. Sed
» ubi domestica suppetunt, externa non quærimus:
» unde tibi non procul, non ex annalibus quærendus
» unus tibi pro omnibus satis erit Henricus VII, æter-
» næ memoriæ serenissimus avus tuus, cui si ad ex-
» plenda quæ sacra mente conceperat vitæ spatium
» suffecisset, versa rerum sorte, et afflictos hostes, et
» me regnantem et liberrimos Italiæ populos ac feli-
» cissimos reliquisset. Expectat nunc ille cœlorum
» perpetuus incola, et ab alto considerat gressus tuos:
» dies computat, horasque dinumerat, teque mecum
» increpitans alloquitur.

» Nepos amantissime, quo superstite, nec
» bonorum spes, nec ego totus interii, Romam
» nostram atque illius lacrimas precesque dignissi-

» mas amplectere, reformandæque Reipublicæ pro-
» positum, quod mea mors mundo quam mihi da-
» mnosior prævertit, et inefficacem animi mei zelum
» pari ardore prosequere; sed felicius, sed lætius. In-
» cipe, ne moriaris, et nostri memor, scito te esse mor-
» talem. I celer et gaudentium Alpium claustra transcen-
» de. Roma sponsum, sospitatorem suum vocat Ita-
» lia, et tuis pedibus tangi cupit. Expectant te læti
» colles ac flumina, expectant urbes et oppida, expe-
» ctant bonorum agmina: et si te nil aliud urgeret, nisi
» quod malis nunquam satis distulisse, bonis nunquam
» nimis festinasse videberis, sat causæ est, ut his gau-
» dium, illis pœnam vel, si resipiscere maluerint, ve-
» niam laturus acceleres. Solus es cui Deus Omnipo-
» tens interrupti consilii mei dilatam gloriam reser-
» vavit. »

EPISTOLA II.

FRANCISCUS PETRARCA SOCRATI SUO S. P. D.

Ægre se ferre quod nullam de valetudine eius notitiam habeat ita ut et de eius vita dubitare cogatur. Mittit ad eum litteras Gerardo fratri reddendas.

Amicorum pavida semper absentia est: fastidiosa præsensio: levibus offendimur, levissima formidamus; atque utinam ego nunc non levia, sed falsa formidem. Fateor enim me de vita tua in cæteris opinionibus fluctuantem peiorem in partem reclinare: quamquam quid melius et quid peius homini Deus solus novit, et nullus omnino hominum mortalium, qui peiorem par-

tem vocant quam vitare non possunt: cum tamen, ut sapientioribus placet, nil morte melius, nil æquius quam his compedibus absolutos in æternam libertatem asseri. Verum quia res ambigua est valde, et soli, ut arbitror, Deo nota, etsi in communibus disputationibus de animæ statu non vereamur afferre quod ratio colorata suggesserit, ubi certitudo tamen quæritur, tutius reor suspendisse sententiam. Huius ergo difficultatis scopulum prætervectus procedo. Nec longo sermone opus est. Persuadere mihi nequeo, te ullo modo tot litteris meis nil responsurum esse, si viveres. Occurrit autem illud, non potuisse mihi tanti amici mortem, si vera esset, diutius occultari, quibusdam adhuc ex his, quibus cari sumus, superstitibus. Sed eam spem novus iterum terror eliminat. Est enim quorumdam mollis et effeminata clementia, qui amicis molesta non nunciant, trahuntque ac dissimulant, ne videantur auctores esse miseriæ, quasi miserius quidquam sit quam esse miserum, nec sentire. In hoc trivio positus, quonam flectar incertus sum. Sicut enim quid cupiam scio, sic nescio quid sperem; quo fit ut mira mihi in animo rebellantium cogitationum turba consurgat. Ad omnem enim vitæ meæ modum non leve momentum mors aut vita tua est. Et vitæ quidem tuæ spem mihi præstat ætas, modestia, valetudo; terrent morbi contagia renascentis, et cœlum apud vos, ut memorant, rursus infame. Hinc, mi frater, quæso ut quamprimum litteris tuis expedias si vivis: alioquin, si quid amicitiæ vel fidei usquam est, quisquis amicorum hoc legis, his me tam mœstis ambagibus, per omnes cœlicolas oro te, libera, et quidquid est aperte rescribito assueto iam tristibus,

et nil iucundius expectanti. Cæterum hic nunc animi labor, et vehemens non magis meorum quam mundi malorum recordatio, ante oculos mihi constituit Gerardum, Chartusiensem monachum, germanum meum unicum, virumque, me iudice, felicissimum, et has omnes, quibus assidue quatimur, miserias supergressum, mihi quoque sempiternum improperium, qui, me in fluctibus laborante, portum teneat, et humanas ab alto despiciat tempestates. Illi ergo scribere visum est: litteræ suæ ut ad eum perveniant, curabis. Vale.

Carpi, VII Kal. Octobris.

EPISTOLA III.

FRANCISCUS PETRARCA GERARDO FRATRI SUO MONACHO CARTHUSIANO S. P. D.

Gratulatur sanctimoniam vitæ, quam inter Chartusianos agit, et multa commemorat de sua eiusque adolescentia.

Subit animum, luce mihi carior germane, longævo silentio finem ponere: quod si forsan obliviosi animi indicium arbitraris, falleris. Non prius te quam me ipsum obliviscar. Timui hactenus tirocinii tui quietem interrumpere; fugere te strepitum, amare silentium sciebam, me vero, si semel inciperem, haud facile desiturum; is amor tui est, ea rerum tuarum admiratio. E duobus igitur extremis non quidem mihi gratius sed tibi tranquillius eligebam. Nunc, ut verum fatear, non tam tibi quam mihi consulturus, ad scribendum venio. Quid enim tu sermunculis meis eges, qui cœleste iter

ingressus, angelicis assidue colloquiis recrearis? felix animi fortunatusque propositi, qui mundum tam maxime blandientem medio ætatis flore sic spernere potuisti, interque Sirenum voces obstructa tutus aure transire. Dum ego te alloquor, ipse res meas ago, si forte vel sic sacro ardori tuo, admodum torpens et longo gelatum situ pectusculum meum incalesceret. Tibi autem clamor meus, ut minime utilis, sic minime importunus esse debebit. Neque enim tiro, ut olim, sed Christi iam miles es, longa militia probatus. Gratias illi, qui tanto honore dignatus, et, ut sæpe alias, ex agmine medio adversarum partium insignem transfugam ad sua signa convertit. Prius ergo verebar intempestivas tibi voces ingerere, deinceps securus te securum ipse compello. Incipientibus formidolosa sunt omnia: quæ timuimus pueri, adolescentes risimus. Militem inexpertum strepitus omnis exanimat; duratus bellis nullo fragore concutitur: rudis nauta primo ventorum murmure terretur; gubernator antiquus, qui totiens fatiscentem et exarmatam puppim perduxit in portum, ex alto despicit iratum mare. Spero autem in illo, qui te ab utero matris tuæ, ad hoc laboriosum certe sed gloriosum iter assumpsit, ut per varias difficultates tutus in patriam pervenires: quod nulla te amplius rerum facies movebit, non luctus, non curæ, non morbi, non senectus, non metus, non fames, non egestas,

Terribiles visu formæ, lethumque laborque;

postremo non ingens

ianitor Orci
Ossa super recubans antro semesa cruento;

et quidquid aliud ad exterrenda corda mortalium poetarum ingeniis cogitatum est. Neque plus constantiæ tribuerit adversus omne terrificum Herculi suo Iupiter adulterio pater, quam tibi natus Virgine, pater omnium æternus, qui rectas in se sperantium respicit et adiuvat voluntates. Quæ cum ita sint, sine metu iam tuorum voces audire, et si quid vacui temporis inter occupationes optimas affulserit, et respondere breve aliquid potes. Patere autem me sæcularibus tecum uti testimoniis, quibus non solum Ambrosius et Augustinus noster ac Hieronymus abundant, sed et Apostolus uti interdum non erubuit: neque cellulæ tuæ aditu prohibeas quæ et ore meo digna sunt et tuis auribus non indigna. Pythagoras peracuti vir ingenii fuit, sed eius acumen, longe relicta veritate, sæpe usque ad aniles ineptias penetravit. Hinc illa ridicula et per multa varia corpora volutatio animarum, et renascens de bellatore philosophus iliaci belli testis Euphorbus, denique famosa μετοικεσία quam miror sequi vel Platonem vel Aristotelem potuisse, sed magis miror Origenem, qui eamdem complecti visus insaniam, ab ipso miratore suo et laudatore Hieronymo et a reliquis veri sectatoribus meruit in finem damnari. Verum ne Pythagoræ occursus me deviare coegerit, vir ille cuiuscumque ingenii, morum illa ætate gravissimorum fuit, clarissimæque modestiæ, unde et viventi summus honor impensus, et ipse, post mortem, Deorum consilio adscriptus est, et domus eius apud posteros pro templo habita. Huius ergo prima institutio quænam fuit? Nempe ut discipuli sui quinquennio silerent. Præclare. Stultum est enim prius velle loqui quam discas. Cæterum ad amoven-

dum ori, non dico custodiam quæ amovenda nunquam est, sed repagulum, quinque tempus annorum sufficiens æstimavit. Tu vero, si rite computo, in servitio Iesu Christi et in schola eius iam septimum annum siles. Tempus est ut loqui posse aliquid incipias; vel, si præ omnibus silentium dulce est, mihi vel in silentio respondeas: meministi, frater, qualis olim rerum nostrarum status erat, et animos nostros quam laboriosa dulcedo et quantis amaritudinibus conspersa torquebat: meministi, puto, ut nunc et libertati tuæ congaudeas et fraternæ condoleas servituti, quæ me adhuc solitis compedibus arctatum tenens, iam cultrum lateri, iam laqueum collo parat, peregissetque iam pridem, ni liberatoris dextera, quæ te servitio exemit, me ab interitu defendisset. Orabis, frater, ut me quoque iam tandem libertati restituat, et uno ventre progressos pari fine felicitet et si præire debueram, non pudebit sequi. Meministi, inquam, quis ille et quam supervacuus exquisitissimæ vestis nitor, qui me hactenus, fateor, sed in dies solito minus, attonitum habet; quod illud induendi exuendique fastidium, et mane ac vespere repetitus labor; quis ille metus, ne dato ordine capillus efflueret, ne complicitos comarum globos levis aura confunderet; quæ illa contra retroque venientium fuga quadrupedum, ne quid adventiciæ sordis redolens ac fulgida toga susciperet, neu impressas rugas collisa remitteret. Vere inanes hominum, sed præcipue adolescentium curas! Quorsum enim ea mentis anxietas? Ut placeremus scilicet oculis alienis. Et quorum oculis, quæso? Profecto multorum qui nostris oculis displicebant. Seneca in quadam ad Lucilium epistola,

quis eam, inquit, quam nulli ostenderet, induit purpuram? Mira quidem dementia statum nostrum non animi ratione, sed vulgi furore moderari, et in consilium vitæ nostræ illos admittere, quorum nobis vita contemptui est. Nemo cicatricosum tergo ducem, nemo gubernatorem naufragiis insignem eligit: illos legimus, quos miramur, illis solemus nostra committere, quos rerum suarum administratio claros facit. Itaque vulgus insanum, cuius mores rideas, cuius omnem opinionem vitamque despicias, in moribus tuis sequi, plusquam vulgariter insanientis est. Ut enim cœptum sequar (cesset ambitio, et vulgus procul exulet), quanto virilior atque ad omnes opportunitates aptior, quantoque tractabilior est vestis plebeia, quam regia? Nobis tamen eo tempore longe aliter videbatur, quorum studii laborisque pretium erat conspici, et, ut ait ille,

digito monstrari et dicier, hic est.

Quam Hortensius orator fuit clarus? sed dilicatior quam deceat virum, et formæ non minus quam eloquentiæ studiosus? Nunquam speculo inconsulto in publicum processit: in illo se comere, in illo se mirari, in illo vultum togamque componere consueverat. Multa sunt eius viri muliebria, sed illud in primis: collegam suum, quod is casu obvius arcto quodam loco se in eum impegisset, et artificiosum ex humero togæ sinum turbasset collisione fortuita, iniuriarum accusare sustinuit, prorsus feminea vanitate: quasi capitale crimen esset tam compositi habitus, quam hominis offensio. Nos, frater, etsi nulli diem diximus ob eiusmodi iniuriam, animo tamen haud absimiles fuimus. Sed te de tantis errorum

tenebris eduxit repentina mutatione dextera Excelsi. Ego sensim multisque laboribus assurgo, credo ut intelligi detur, nullum hic adminiculum litterarum, nullum opus ingenii, sed totum Dei munus esse, qui forte mihi manum porriget, imbecillitatem meam ingenue confitenti. Id sane si ratio non persuaserit, senectus coget, quam magis magisque in dies adventare et iam finibus meis obequitare sentio. Quid de calceis loquar? Pedes, quos protegere videbantur, quam gravi et quam continuo bello premebant! Meos, fateor, inutiles reddidissent, nisi extremis necessitatibus admonitus, offendere paululum aliorum lumina, quam nervos et articulos meos conterere maluissem. Quid de calamistris et comæ studio dixerim? quotiens somnum, quem labor ille distulerat, labor ille abrupit? quis piraticus tortor crudelius arctasset, quam propriis ipsi manibus arctabamur? quos mane nocturnos sulcos in speculo vidimus rubenti fronte transversos, ut qui capillum ostentare volebamus, faciem tegere cogeremur? Dulcia sunt hæc patientibus, passis vel memoratu horrida, incredibilia inexpertis. Quantum vero te nunc illa præterita memorantem, præsentia ista delectant! calceus laxus pedis non vinculum, sed munimen; coma alte resecata, et capillorum sepes non iam auribus importuna nec oculis; toga simplicior, et quæsitu et custodia facilis, nec egressu laboriosior quam ingressu, tamque animum ab insania defendens, quam corpus defendit a frigore. O te felicem! qui ut hæc dulcius saperent, illas amaritudines prægustasti. Et, ut hæc leviora prætercam, recordare etiam, quo promptius e tanta charybdi liberatus dignas Deo gratias agas, quanta nobis fuerat cura, quantæque vigiliæ, ut

furor noster late notus, et nos essemus populorum fabula. Quotiens syllabas contorsimus? quotiens verba transtulimus? denique quid non fecimus, ut amor ille, quem si extinguere non erat, at saltem tegi verecundia iubebat, plausibiliter caneretur? Laudabamur in studiis nostris, et capita delirantium peccatoris oleum impinguabat. Sed ineffabilis Dei pietas gressus tuos interea pedetentim revocabat ad rectum iter, et satietate rerum pereuntium præceps illud desiderium castigabat, ut scilicet diversis ætatibus utrobique incola, quid interesset inter Babylonem atque Ierusalem expertus agnosceres. O misericors Deus, quam tacite consulis, quam occulte subvenis, quam insensibiliter mederis! Quid enim tantis laboribus, bone Iesu, quid aliud nisi amorem mortalem, immo vero mortiferum petebamus? cuius nos fallacem et multis sentibus obsitam suavitatem attingere summotenus permisisti, ne grande aliquid inexpertis videretur: et ne tanta esset ut opprimeret, misericorditer providisti, deliciis nostris e medio sublatis, cum quibus dextera tua spes nostras e terra pæne radicitus extirpavit. Iuvenili ætate revocasti eas, morte quidem ut spero illis utili, nobis necessaria. Et abstulisti a nobis animarum nostrarum vincula. Et tamen, o cœca mens mortalium! quotiens questi sumus quasi ante tempus accidisset quod cum summo vitæ nostræ discrimine trahebatur, aut quasi salutare aliquid intempestivum sit! Quot suspiria, quot lamenta, quot lacrimas in ventos effudimus, et more phreneticorum medico nostro iusultantes, manum tuam repulimus, lenimen optimum nostris vulneribns adhibentem! Nunc ergo, dic mihi, vir Deo ex hoste familiaris, ex adversario civis, dic mihi, quoniam et ista per-

tractas, et illa retractas, quid similis sint cantiunculæ inanes, falsis et obscœnis muliercularum laudibus refertæ, turpi et aperta cum confessione consilii; quid simile habent divinis laudibus et sacris excubiis, in quibus modo per mœnia et propugnacula civitatis Dei mira ordinatione dispositi Christi vigiles, adversus antiquas hominis insidias intentissime pernoctatis? Felix et invidiosa militia, magnusque, fateor, et durus labor: sed brevis et æterno pensandus præmio. Mihi autem adhuc restat, de quo tecum, si pateris, Deus meus, disceptare velim. Quid est enim, responde mihi, quod cum ego et frater meus gemino laqueo teneremur, utrumque conteruit manus tua, sed non ambo pariter liberati sumus? Ille quidem evolavit; ego nullo iam laqueo tentus, sed visco consuetudinis pessimæ delinitus, alas explicare nequeo, et ubi vinctus fueram, solutus hæreo. Quid causæ est, nisi quod, contritis pari ratione laqueis, nequaquam quod sequitur par fuit, *adiutorium nostrum in nomine Domini?* Cur autem hanc Davidicam cantilenam, tanto concentu cœptam, tam dissona voce complevimus? Nulla Dei voluntas sine causa est. Quippe omnes inde dependent et illa sit omnium fons causarum. Frater ergo rite cecinit, erecto ad cœlum animo; ego terrena cogitans et curvatus in terram; forte liberatricem dexteram non agnovi, forte de propriis viribus speravi; aut hoc aut illud causæ fuit cur, effracto laqueo, non sum liber. Misereberis, Domine, ut dignus sim cui amplius miserearis. Sine enim gratuita misericordia tua, nullatenus potest humana miseria misericordiam promereri. Nunc ad te, frater, redeo, et sensim ad graviora conscendo, ut gradatim te tibi

felicissimum ostendam. Recordare quis ille hominum concursus, quænam prælia salutantium, quanta concursantium offensio, quantumve sudoris ac laborum, ut compti et elaborati nunc hic nunc illic in publico cerneremur. Et, Deus optime, qui cæcos illuminas, claudos erigis, mortuos suscitas, qualis illa iactatio est? Postquam enim omnibus vicis omnibusque scenis circumacti omnibus noti erimus, restat iter patrum nostrorum agere, et formidatum sepulcri limen irredituro pede transcendere. Adde nunc conviviorum gloriosa fastidia, quæ sine magno, ut aiunt, famæ discrimine non vitantur, et epularum variam procellam concusso stomachulo fluctuantem. Quæ si ab amicis patimur incommoda, quid expectes ab hostibus? quorum multa sunt genera: domestici, externi; horumque alii clandestini, alii expro-fesso inimicitias agunt, et rursum alii lingua, alii fraudibus, alii gladio decertant. Brevius loquor omne genus experto. Ad hæc quid, quæso, non iniuriarum a servis contumeliarumque perpetimur? Excusat eos Seneca multis quidem verbis et omnem culpam reflectit in dominos, Luciliumque suum laudat servis familiariter conviventem. Quid dicam? Vereor tanti viri vilitare sententiam, et tamen quod perhibet longe mihi aliter videtur. Potuit illis forte vel prudentia ut bonos servos facerent, vel fortuna ut invenirent, præstitisse: mihi fateor neutrum fuit, cum utriusque studium semper fuerit. Itaque de se alii videant: ego, quod nescio, laudare non possum. Apud me et iniquissimum est servorum genus, et proverbium illud vetus a Seneca reprehensum, veri locum habet: totidem hostes esse quot servos. At de bonis servis epistola illa est: mali enim, eodem auctore, a do-

minorum consortio excluduntur. Credo: sic enim sonant verba, et bonorum exempla de libris non pauca colligimus; nec id quidem ignoro, neque scriptoribus fidem nego; sed, sive temporum mutatio, sive sors, sive impatientia mea est, ego bonum servum nunquam vidi. Quæro tamen, et si forte obvius fuerit, velut occursu bicipitis hominis obstupescam. At ne quis hoc vel sævitiæ vel desidiæ meæ imputet, omnia tentavi, neque minus ego quam Lucilius familiariter cum servis meis vixi, et ad consilium et ad confabulationem, et ad cœnam illos admisi, meque ipsum et res meas illorum fidei commisi, fidelesque ut facerem, credidi: nec credendo profeci; quin potius ars omnis in contrarium versa est. Servorum enim a colloquio meo nemo non procacior discessit, nemo non contumacior a cœna surrexit, et ut familiaritas insolentes, sic fiducia fures esse docuit. Ut ergo Senecæ de suis, sic mihi de meis et cunctorum servis, omnes enim fere, nescio quomodo, pares sunt, vera loqui liceat. Ego quidem fateor servili pervicacia nil molestius patior in vita. Cætera enim bella inducias habent: cum domesticis hostibus sine intermissione pugnamus; quamvis non sim nescius æquo animo ferendum esse quod maximis viris accidisse video. Nempe et Ulyssem illa prima ætate quam heroicam vocant, inter multos quos sustinuit labores, servorum et ancillarum quoque contumeliis affectum, clarissimi loquuntur auctores: et hoc recentiori ævo Fridericus romanus imperator de servorum iniuriis, ut fama fert, vivens moriensque conquestus est. Cæterum hæc servorum incidens querela hoc agit, ut te felicem scias, qui servili tyrannide liberatus, levissimo ac

suavissimo Christi iugo colla subieceris. Quid de aliis dicam? quod illud adulationis latens inter dulcia venenum, coram arridentium retroque mordentium? quæ illa de transverso famæ vulnera, incertis auctoribus, et e media vulgi acie clam iaculata convicia? quæ illa avaritiæ rabies, animos efferantis, omnisque divini et humani iuris oblivionem pestiferam afferentis? Hæc de curatoribus prædones efficit: extremum autem mali genus est, dum remediis aconita miscentur. Eligis hominem cuius fide inter hominum fallacias sis tutus; ille te primum fallit. Quid huic consilii capias? et, ut Satyricus ait,

quis custodiet ipsos custodes?

Hæc nos pestis ab infantia persequitur. Seu fortuna seu simplicitas nostra est, adolescentes soli, incuriosi et apti iniuriæ visi sumus. Tritum assiduitate proverbium est: Occasio facit furem. Hæc nos frater, ut semel expediam, de divitibus inopes fecit, immo certe, quod divini muneris recognoscimus, de occupatissimis otiosos, de impeditissimis expeditos. Accessit quod omnes qui se spoliis nostris oneraverunt, brevi quidem ipsius fortunæ manibus excussos, vel gravi morbo consumptos, vel misera senectute languentes vidimus. Nec parvum iniuriæ solamen ultio est, Deo præsertim auctore, contingens. Quid dicam de fori ac litium tempestate, quæ mihi non curiam modo sed terrarum orbem odiosum facere potens est? Quid de aliis, quæ præter mortem gravissima iudicantur, captivitatis insidiarumque periculis, qualia multa olim terra pelagoque pertulimus? Quorum commemoratio stuporem mihi renovat et hor-

rorem. Sed evasimus. Non id nostræ naturæ privilegio accidit; sed divina clementia evasimus. Sed perire potuimus, et certe debuimus, nisi nos misericors Pater vivificis oculis aspexisset. Evasimus, sed eisdem periculorum generibus noti et socii periere, incendio, gladio, carcere, naufragio, aliisque innumerabilibus modis, quorum propter duros et recentes amicorum casus tristis et acerba narratio est. Inter hos laqueos ambulavimus, atque inter hos scopulos navigavimus, frater. Quid loquor? Quasi æqua conditio sit amborum? Ego miser inter eosdem versor assidue; tu iam, Deo gratias, portum tenes. Felix hora qua natus es, felix omne periculum quod te per multa experimenta formidabilium rerum, ad amorem securitatis adduxit. Confer, oro, nunc ista cum illis, cum turbulentis opibus quietissimam paupertatem, cum amaris negotiis dulce otium, cum iniquis hostibus optimos fratres, denique cum litibus silentium, cum turbis solitudinem, cum urbibus silvas, cum comissationibus ieiunia, cum diuturnis choreis nocturnos choros, postremo cum Avenione Chartusiam, cum terrenis periculis cœlestem pacem, cum servitute Diaboli amicitiam Dei, cum morte perpetua sempiternam vitam. Necesse erit, te felicissimum fateare. Urge propositum, preme quod cœpisti. Non te labor terreat, non frangat asperitas. Flacci verbum est:

Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Quod si in hac vita, de qua ille loquebatur, minima etiam magno constant, quod totiens incassum ancu-

pando probavimus, quis labor magnus videri debet, quo ad æternam beatitudinem pervenitur? Absit segnities, languor abscedat. Dum matutino tempore excitaris, ad divinum te colloquium evocari credito. Et heu quotiens nos mortalis domini iussus excivit, quotiens periculis ac laboribus obiecit: et quis, oro te, fructus? nempe nonnisi amicitia humana, anceps, periculosa, difficilis. Tibi amicitia divina proponitur certa, secura, parabilis. Crede mihi: cadet ex animo tædium, somnus ex oculis, cum tibi proposueris vocantem Deum, et optime tecum agi senties, quod vigilare, vulgo circum stertente, iubearis. Mos imperatorum est probatis militibus difficilia committere: dum coqui piscatoresque et, ut Horatiano sermone utar, ambubaiarum collegia circa forum Cupedinarium oberrant; illi inter gladios ac tela versantur, et periculum ingens tenui gloria consolantur. Cum autem orando colloqui cœperis, gaudium cum reverentia certabit, ut insomnem te atque impigrum sub tanto præbeas spectatore. Audisti ex historiis, Marci Catonis milites, illo præsente, et sitim et pulverem et æstum et serpentum morsus tolerare solitos, et sub illo teste sine gemitu ac lamentis occumbere. Audisti Scævam illum fortem potius quam iustum virum, sub oculis sui ducis non modo pugnare sed mori etiam exoptantem. Quod si mortalis domini veneratio præstare potuit, quid Christi præsentia posse debet? Is equidem non expectandus ut veniat, sicut Cæsarem suum infelix ille bellator expectat, sed suscipiendus colendusque omnibus locis omnibusque temporibus: præsens est, videt actus nostros, cogitationes introspicit, ingens calcar animo, nisi funestæ consuetudinis torpor obsistat. Epi-

curi doctrina est, imaginarium vitæ testem quærere. Amico scribens, sic, inquit, fac omnia, tamquam spectet Epicurus. Seneca vero, ut illustrioris viri præsentia Lucilii sui vitam formet, monet ut Catonem eligat, Scipionem, Lælium vel alium quemlibet spectatæ virum famæ. Non potest non placere sententia a magnis viris laudata. Nam et Marco Tullio placuisse eam video, quam Quinto Ciceroni fratri suo scribens, licet aliis verbis, inseruit: placet ergo consilium Epicuri inter illos a quibus scriptum atque probatum est. Nobis hac arte nil est opus. Testem fictum non quærimus, cum vivum atque verum præsentemque semper Christum habeamus. Nam et *si adscendero in cœlum, illic est, et si descendero in infernum, adest.* Omnia igitur coram illo non quasi spectante, sed vere spectante faciamus. Pudebit non modo actuum sed arcanarum etiam voluntatum, quas non tantum fictus, sed etiam vere præsens Epicurus testis, non posset agnoscere. Novit autem eas ille cuius oculis nihil est impervium. Putemus illum ante oculos nostros positum clamare: Quid agitis, o cæci et ingrati? Ego pro vobis mortem sponte sustinui, vos mihi laborem exiguum negatis? hæc vestra pietas? hæc accepti beneficii memoria est? Qui nutu cœlum terrasque et maria guberno, qui fulmina de nubibus iacio, qui alternis vicibus tempestates ac serenum reveho, qui diem noctemque suis luminibus exorno, et vario horarum numero tenebras lucemque dimetior, qui perpetuum solis obsequium duodeno stellarum ordine ad quaternas temporum varietates adhibeo, et fastidio consulens, grata rerum et incessabili novitate, anni circulum circumvolvo, qui non modo calcabilem

terram, labilem aquam, atque auram spirabilem, sed innumerabilium rerum vobis præsidia et oblectationes et ornamenta congessi; denique qui ad imaginem meam, quamvis stulti obstrepent, de nihilo vos creavi, et quo me quæri vellem, iter vobis ostendi; ipse ego, inquam, ut post tot beneficia rebellantes ac devios revocarem, inter vos ex alto sub servili habitu dissimulata maiestate descendens, pro salute vestra paupertatem, labores, insidias, convicia, contumelias, carcerem, verbera, flagella, mortem crucemque non timui. Vos mihi quid redditis? non dico par tantis meritis, quod nec cogitare sufficitis; sed quod omnino signum ostenditis animi grati? Quid ad hæc, Frater, responsuri sumus? An hic quidquam ambigui est? Profecto si hæc intus in anima loquentem Dominum audire voluerimus, surgemus nocte alacres (hoc enim agere cœperam), ut eo tempore devotius Christo laudes canamus, quo illum pro nobis opprobria et iniurias passum esse meminerimus. Sed quia diu te iam, Frater, ab altitudine contemplationum tuarum distraxisse vereor, hæc summa est. Christus tibi totius vitæ testis adsistat. Illum igitur intuere, si vis in illo labore nullis omnino vigiliis fatigari. Ad hoc enim inaccessibili et inenarrabili Trinitatis consilio effectum est, ut æternus et immortalis omnipotens Dei filius vestem nostræ mortalitatis indueret, ut scilicet, quoniam inter Deum et hominem nulla proportio erat, ipse Dei et hominum mediator utramque perfectissime in se uniens naturam, et ad Deum homines attolleret, et Deum ad homines inclinaret, possetque mortalis acies in Deum figi mortali carne vestitum. Quod si, immortalitate recepta, in gloriam suæ di-

vinitatis adscendentem sequi oculis et mente difficile est, et puri hominis testimonio delectaris, elige tibi aliquos de professionis tuæ ducibus, Ioannem Baptistam, Antonium, Macharium, vel, si rigidiores hi videntur, elige Benedictum, elige ab erroribus sæculi redeuntes Augustinum et Arsenium, quos multum semper placuisse tibi scio. Habes Patrum vitas, illas perlege ut facis, ubi amicum invenies, quem testem secretis consiliis non recuses, quo scio, te ipsum vitamque moderetis tuam, sine quo denique nil agas, nihil cogites. Lege Gregorii dialogum, Augustini soliloquia, et scatentes lacrimis confessionum libros, de quibus quidam ridiculi homines ridere solent, tu in eis solamen ac refugium non mediocre reperies. De psalterio enim non dubito te Hieronymi consilium sequi, ut e manibus tuis nunquam excidat, de quo more meo poeticum nescio quid pridem scripsi, quod, quoniam placere tibi animadverti, ne modo graveris, secuturo reservatum nuncio excipies. Tu vero, ut finem faciam, vitam omnem inter contemplationem ac psalmodiam et orationem lectionemque partire. Corpori tuo, tamquam rebellaturo, si possit, et contumaci mancipio nihil tribuas, nisi quod negare non potes; in vinculis habe; serviliter tractari debet, ut intelligat unde sit. Suspectam pacem facit hostis infidus. Nosti quorum insidias in sæculo pertuleris; ab iis in perpetuum cave. Cum fidefragis inimicis, non tuto reditur in gratiam. Hæc inter, gaude, spera, suspira, serviens Domino in timore, et exultans ei cum tremore, ac gratias agens quod tibi pennas dedit tamquam columbæ, ut volares et requiesceres, quibus non segniter usus es, sed elongasti fugiens, ut in soli-

tudine constitutus innumerabilia mundi mala de cætero non sentires; quæ ego miser sentio, quibus et obsideor ac circumspiciens contremisco. Nec addo: dum adhuc de Babylone patet exitus, effugio. Noli tamen desperare, obsecro te; ora potius, ut aliquando consurgam. Multum est, fateor, peccati mei pondus, sed finitum tamen; at eius unde auxilium expecto, infinita clementia est. Hæc tibi, Germane unice, non meo sed peregrino stilo ac prope monastico dictavi, te potius quam me ipsum cogitans. Leges dum ex commodo licebit, et si hinc perfectioni tuæ nihil accesserit, scito, me mihi saltem profuisse dum scriberem, quoniam mea me pericula meditantem status tûi felix interim torsit invidia. Vale memor mei.

VII Cal. Octobris, ex oppido Carpensi.

EPISTOLA IV.

FRANCISCUS PETRARCA GERARDO FRATRI SUO MONACHO CARTHUSIANO S. P. D.

Poetarum lectionem religiosis viris atque theologis haud improbandam esse demonstrat: et Eclogæ suæ, cui titulus *Parthenias*, arcanam aperit significationem.

Si fervorem animi tui novi, iunctum huic epistolæ carmen horrueris, quasi professioni tuæ dissonum adversumque proposito. Noli aliquid temere diffinire. Quid enim stultius quam iudicare de incognitis? Theologiæ quidem minime adversa poetica est. Miraris? Parum abest quin dicam, theologiam poeticam esse de Deo. Christum modo leonem, modo agnum, modo vermem

dici; quid nisi poeticum est? Mille talia in Scripturis sacris invenies, quæ persequi longum est. Quid vero aliud parabolæ Salvatoris in Evangelio sonant, nisi sermonem a sensibus alienum, sive, ut uno verbo exprimam, alieniloquium, quam allegoriam usitatiori vocabulo nuncupamus? Atqui ex huiusce sermonis genere poetica omnis intexta est. Sed subiectum aliud. Quis negat? Illic de Deo atque divinis, hic de diis hominibusque tractatur; unde et apud Aristotelem primos theologizantes poetas legimus. Quod ita esse ipsum nomen indicio est. Quæsitum enim est unde poetæ nomen descendat: et quamquam varia ferantur, illa tamen clarior sententia est, quod cum olim rudes homines sed noscendi veri præcipueque vestigandæ divinitatis studio, quod naturaliter inest homini, flagrantes, cogitare cœpissent esse superiorem aliquam potestatem per quam mortalia regerentur; dignum rati sunt, illam omni plusquam humano obsequio et cultu augustiore venerari. Itaque ut ædes amplissimas meditati sunt, quas templa dixerunt, et ministros sacros quos sacerdotes dici placuit, et magnificas statuas et vasa aurea et marmoreas mensas et purpureos amictus; sic, ne mutus honos fieret, visum est et verbis altisonis divinitatem placare, et procul ab omni plebeio ac publico loquendi stilo sacras superis inferre blanditias, numeris insuper adhibitis, quibus et amœnitas inesset et tædia pellerentur. Id sane non vulgari forma sed artificiosa quadam et exquisita et nova fieri oportuit: quæ quoniam græco sermone *poetices* dicta est, eos quoque qui hac utebantur, poetas dixerunt. Quisnam, inquies, horum est auctor? Poteras, frater, absque fideiussoribus fidei meæ stare. Merui forte

ut vera et veri frontem habentia referenti sine testibus crederetur. Sed si cautius agere mens est, locupletissimos fideiussores ac fide dignissimos testes dabo. Primus est Marcus Varro doctissimus Romanorum, proximus Tranquillus rerum curiosissimus indagator. Tertium non adderem, nisi quia is, ut reor, familiarior est tibi. Horum igitur et Isidorus, breviter licet, et ipso teste Tranquillo, meminit etymologiarum libro octavo. Sed occurres, et possum, dices, sancto saltem doctori credere : tamen meo rigori carminis tui dulcedo non convenit. Noli hoc, frater, opinari. Et veteris Testamenti Patres heroico atque aliis carminum gradibus usi sunt. Moyses, Iob, David, Salomon, Ieremias, psalterium ipsum Davidicum, quod diu noctuque canitis, apud Hebræos metro constat, ut non immerito neque ineleganter hunc Christianorum poetam nuncupare ausim : quippe quod et res ipsa suggerit : et si nihil hodie mihi sine teste crediturus es, idem video sensisse Hieronymum; quamvis sacrum illud poema quod beatum virum, scilicet Christum, canit nascentem, morientem, descendentem ad inferos, resurgentem, ascendentem, reversurum, in aliam linguam simul sententia numerisque servatis transire nequiverit. Itaque sententiæ inservitum est. Et tamen adhuc nescio quid metricæ legis inest, et psalmorum particulas sic ut sunt versus vulgo dicimus. Et de antiquis hactenus. Novi autem Testamenti duces Ambrosium, Augustinum, Hieronymum carminibus ac rhythmis usos ostendere, non operosus labor est: ut Prudentium, Prosperum atque Sedulium et cæteros prætermittam, quorum soluta oratione nihil omnino, metrica vero passim cernuntur opuscula. Noli itaque, frater,

horrere quod Christo amicissimis ac sanctissimis viris placuisse cognoscis. Sensibus intende, qui si veri salubresque sunt, quolibet stilo illos amplectere. Laudare dapem fictilibus appositam, eamdem in auro fastidire aut dementis aut hypocritæ est. Avari est, aurum sitire: non posse pati, pusilli animi est. Non fit auro melior cibus certe nec deterior. Profecto autem, sicut aurum, sic carmen in suo genere nobilius non nego, quanto scilicet rectiora sunt quæ ad regulam fiunt, quam quæ temere. Nec ideo quod carmen, expetendum censeam, nec spernendum quidem. Hæc pro stili excusatione præmissa sunt. Nunc ad propositum sermo vertendus est. Tertia retro æstas me tunc in Galliis agentem ad fontem Sorgiæ compulerat, quam sedem vitæ nostræ quondam delegimus, ut nosti. Sed tibi divino munere sedes tutior tranquilliorque parabatur, mihi ne illa uti quidem licuit, raptante me altius fortuna quam sat est. Illic ergo tunc eram eo animo qui, sicut sub tanta rerum mole magnum aliquid aggredi non auderet, sic omnino nihil agere nesciret, ab infantia mea, bono utinam, sed certe in actu perpetuo enutritus. Media via igitur electa est, ut, maioribus dilatis, aliquid pro solatio illius temporis meditarer. Ipse autem loci habitus et recessus nemorum, quo me sæpe curis gravidum lux oriens urgebat, et unde me sola nox rediens pellebat, ut silvestre aliquid canerem, suasere. Quod ergo pridem in animo habueram bucolicum carmen XII eclogis distinctum scribere orsus, incredibile est quam paucis diebus absolverim: tantum ingenio locus calcar addiderat. Certum quia prius in animo erat, eclogarum prima de nobis ambobus scripta est:

ideoque potissimum ut tibi mitteretur, obtinuit: nescio quidem an pro solatio, an pro impedimento solatii tui dicam. Sed quoniam id genus est quod, nisi ex ipso qui condidit auditum, intelligi non possit, ne te inutiliter fatiges, primo quid dicam, deinde quid intendam, brevibus explicabo.

Duo pastores inducuntur, pastorius enim est stilus; ideo pastoribus dantur nomina pastorum Silvius ac Monicus. Silvius ergo Monicum solum et invidioso otio felicem videns, sub antro quodam quiescentem alloquitur quasi fortunam illius admirans et suam deflens, quod ille grege ac rure posthabito requiem invenerit, ipse vero asperos colles multo cum labore circumeat; quo eo magis miratur tantam esse diversitatem fortunæ, quoniam, ut dicit, una eademque fuerat amborum mater, ut detur intelligi germanos esse pastores. Monicus ad hæc, totam fraterni laboris culpam in eumdem retorquet, nulla vi coactum dicens, sponte sua errare per devia silvarum montiumque cacumina. Cui respondet Silvius errorum causam esse amorem, et amorem musæ, non alium; quod ut pateat longiusculam incipit fabellam, duorum scilicet pastorum perdulciter canentium, quorum alterum in pueritia audisse se memorat, alterum postea, eorumque se captum illecebris cætera omnia negligere: quos dum per montes avidissime sequitur, iam canere didicisse ita ut laudetur ab aliis, licet ipse sibi nondum placeat. Itaque propositum sibi esse ad summum niti, et vel pervenire, vel inter nitendum mori. Contra Monicus, ut antrum suum Silvius ingrediatur suadere incipit, dulciorem ibi cantum auditurus; mox cœptum sermonem inexpletum linquit, quasi signa

turbati animi in ore Silvii agnoscens. Ille autem se excusat. Itaque Monicus orationem peragit, qua audita, mirabundus Silvius percontatur quis ille pastor tam dulciter canens, cuius nunc noviter mentionem audit. Ad quod Monicus, quasi pastoria ruditate, non nomen reddit, sed describit patriam, et more ruralium sæpe in verbis errantium, duorum fluminum mentionem facit uno fonte nascentium; ac statim velut errore recognito, verba prævertit, et quod de duobus inceperat, de uno flumine duobus ex fontibus descendente prosequitur. Utrumque sane in Asia est. Silvius autem se flumen nosse commemorat, signum afferens quod in eo quidam puer hispidus lavit Appollinem. Inde, refert Monicus, oriundum esse cantorem. Quod audiens Silvius mox hominem recognoscit, et vocem modumque canendi deprimit, attollens suos. Ex adverso Monicus suum meritis laudibus accumulat. Itaque tandem Silvius velut adquiescens, se in tempore rediturum et quam dulciter ille canat probaturum ait, nunc autem festinare. Quod admirans Monicus festinationis causam quærit, et audit Silvium, intentum cantilenæ, quam de quodam egregio iuvene, cuius acta multa brevitate perstringit, componere cœpit, non posse nunc aliis vacare. Quamobrem Monicus colloquium hoc concludit, valedicens Silvio, et in finem hortatur ut dilationis pericula casusque consideret. Hæc summa rerum. Intentionis autem meæ sensus hic est. Pastores colloquentes nos sumus: ego Silvius, tu Monicus. Nominum ratio hæc est: primi quidem tum quia in silvis res acta est, tum propter insitum ab ineunte ætate urbis odium amoremque silvarum, propter quem multi ex nostris in omni sermone

sæpius me Silvanum quam Franciscum vocant; secundi autem quia, cum unum ex cyclopibus Monicum dicant quasi monoculum, id quodam respectu proprie tibi convenire visum est, qui e duobus oculis quibus omnes communiter utimur mortales, quorum altero scilicet cœlestia, altero terrena respicimus, tu terrena cernentem abiecisti, oculo meliore contentus. Antrum, ubi solitarie degit Monicus, Mons Rivi est ubi tu nunc monasticam vitam agis inter speluncas et nemora, vel ipsum antrum in quo Maria Magdalena pœnitentiam egit, quod monasterio tuo vicinum est. Ibi enim in hoc sancto proposito, de quo multa mecum prius agitaveras, Deo cor lubricum sublevante, firmatus es. Rus ac gregem, quorum sprevisse curam dicitur, pro civitate et hominibus intellige, quos in solitudinem fugiens reliquisti. Unam fuisse genitricem amborum, quin utrumque insuper parentem, non allegoria sed veritas nuda est. Pro sepulcro ultima sedes intelligitur: te enim cœlum, me, nisi misericordia subvenerit, tartarus manet. Vel simpliciter quod verbum sonat intelligi potest: tibi enim iam certa sedes, eoque certior spes sepulcri: mihi autem adhuc vagus error et incerta omnia. Inaccessum cacumen, ad quod multo sudore Silvium anhelare Monicus exprobrando obiicit, famæ rarioris, et ad quam pauci perveniunt, altitudo est. Deserta quibus vagari Silvius dicitur, sunt studia; hæc vere deserta hodie et vel lucri cupidine relicta vel ingeniorum desperata segnitie. Muscosi scopuli sunt potentes et divites, patrimonio velut musco obsiti. Fontes sonantes litterati et eloquentes homines dici possunt: quorum ex ingenii scatebris disciplinarum rivuli prodeunt cum sonitu

quodam delectabili. Quod per Palem iurat Silvius, pastorale iuramentum est: Pales enim est pastorum dea; posset apud nos intelligi Maria, non dea, sed Dei mater. Parthenias ipse est Virgilius, non a me modo fictum nomen; in vita enim eius legimus quod Parthenias, quasi omni vita probatus, dici meruit. Quod ut per se ipsum lector intelligeret, locus est additus, ubi videlicet lacus Cisalpinæ Galliæ Benacus valde sibi similem filium ex se gignit. Filius autem hic Mincius est, Mantuæ fluvius, quæ Virgilii patria est. Cæterum aliunde advectus pastor nobilis Homerum significat; in quo singula fere verba aliquid important, nam et *inde* hoc est *deinde*, non sine mysterio dictum est: quia Virgilium puer iam, idest non iam infans, deinde autem ætate provectior Homerum attigi. Is enim qui Homerus vulgo dicitur, alterius nescio cuius opusculum scias, *licet ab homerica italicus, nec oratio linguæ particeps latinæ* (sic). Unde nec nostro murmure canere eum dixi, ut qui græce canat. *Generosi* sane pastoris epithetum iure occupat: quid enim vel lingua vel ingenio generosius Homeri? *Nescio* autem *qua de valle* ideo est additum, quia de loco originis eius opiniones variæ sunt, quas locus iste non capit. Postremo *de fonte* homerico *bibere* Virgilium, omnibus est notum qui in poeticis exercentur. *Amica* qua uterque dignus dicitur, fama est, propter quam poetæ sunt: propter amicas enim suas amatores canunt. *Silva horrida* et *aerii montes*, quos miratur Silvius non sequi dulcedinem canentium, vulgus incultum est et principes eminentes. Descensus e *montis vertice ad imas valles*, et ab imis vallibus adscensus in montes, quem de se ipso loquens Silvius

refert, est ab altitudine theoricæ ad praticæ exercitium, et e converso pro varietate affectuum alterna digressio. *Fons qui* canenti *plaudit,* est studiosorum chorus. *Arentes cautes,* idiotæ, in quibus, quasi Echo in cautibus, nudæ vocis est usus et consonans sine discretione responsio. *Nimphæ* deæ fontium, sunt divina studiosorum hominum ingenia. *Limen* intra quod Silvium Monicus invitat, Carthusiensium ordo est, quem nemo certe deceptus, ut multi ex aliis ordinibus, nemo intrat invitus. Pastor cuius cantum Monicus præfert Homero Virgilioque, est ipse David, cui proprie convenit verbum *psallere* propter psalmos, suum opus. *Media* autem *nocte,* propter matutinam psalmodiam, quæ illo præsertim tempore in ecclesiis vestris auditur. Fluvii duo *uno de fonte,* quorum primo quidem Monicus errore decipitur, sunt Tigris et Euphrates, noti amnes Armeniæ. Fluvius autem unus *gemino de fonte*, Iordanes est Iudææ: quod multi dicunt auctores, inter quos Hieronymus illarum partium sedulus et diuturnus incola. Nomina fontium Ior et Dan, e quibus Iordanis ut flumen sic ipsum nomen efficitur, qui quidem in mare Sodomorum fertur descendere, ubi cinereos campos propter incendia civitatum esse narratur. In hoc amne Christus a Iohanne per baptismum lotus memoratur; *puer* enim ille *hispidus* est Iohannes Baptista, puer, inquam, virgo, purus, innocens, hispidus, incultus, hirci tegmine, impexo capillo, facie solibus adusta. Apollo autem filius Iovis dicitur ingenii deus, per quem Iesum Christum accipio, Deum verum Dei filium, deum, inquam, ingenii ac sapientiæ. Quoniam, ut apud theologos notum est, inter attributa personarum summæ et

individuæ Trinitatis, sapientia Filio attribuitur, et ipse sapientia Patris est. Vox autem rauca David, et lacrimarum assiduitas, et repetitum sæpe nomen Hierosolimæ obiicitur, propter asperum prima facie et flebilem stilum, et quia revera in psalmis crebro illius urbis vel historica vel allegorica mentio est. Hoc autem loco summatim inseritur, de quibus poetæ, quos Silvius præferre nititur, canant, quod exponere longum est, sed in eo studio provectis omnia clara et aperta sunt. Monicus contradicit excusans Davidicam raucitatem et pari breviloquio percurrens de quibus apud illum agitur. Iuvenis de quo cantilenam texere Silvius cœpit, Africanus Scipio est, qui in litore afro Polyphemum stravit, hoc est Hannibalem Pœnorum ducem. Sicut enim Polyphemus, sic et Hannibal monoculus fuit post oculum in Italia amissum. *Libyci leones*, quibus abundare Africam constat, reliqui Carthaginiensium duces sunt, quos idem victor ab imperio deiecit. *Lustra* incensa sunt combustæ naves, in quibus omnis Carthaginiensium spes fuerat, e quibus quingentas sub oculis eorum combussisse illum romana narrat historia. Et hic quidem *iuvenis sidereus* dicitur, sive propter heroicam virtutem qua maxime viguit, quæ ardens a Virgilio, a Lucano ignea virtus dicitur, sive propter opinionem cœlestis originis, quæ admiratione viri illius tunc apud Romanos erat. Hunc Itali laudant *de litore adverso;* est enim africano litori adversum litus italicum, neque animorum modo discordia, sed terrarum situ; directe autem opponitur Roma Carthagini. Sed de hoc tam laudato iuvene nemo canit; quod ideo dictum est, quoniam, etsi omnis historia laudibus et rebus eius plena sit, et Ennium de eo

multa scripsisse non sit dubium rudi et impolito, ut Valerius ait, stilo, cultior tamen de illius rebus liber metricus non apparet. De hoc igitur utcumque canere institui, quia scilicet de eo liber meus est qui inscribitur Africa, utinam tam felici exitu claudendus seni, quam magno animo cœptus est iuveni! Quantum sane periculum semper fuerit in dilatione consilii salutaris, et quam varii atque inopinabiles præsentis vitæ casus, quos circumspicere suprema Monici iubet allocutio, dici quidem non expedit. Reliqua cogitatione percipies. Vale.

Patavii, IIII Non. decembris ad vesperam.

EPISTOLA V.

FRANCISCUS PETRARCA GERARDO FRATRI SUO MONACHO CARTHUSIANO S. P. D.

Eius de affectuum humanorum repugnantia sententias laudat et firmat: doctrinam et sanctitatem vitæ miratur, seque de emendatione vitæ suæ solicitum ostendit.

Geminum otii tui munus, amantissime frater, buxeam pyxidem torno volubili perpolitam, opus manuum tuarum, et fructuosam simul epistolam, multis patrum refectam compactamque sententiis, sacri ingenii tui testem, heri ad vesperam magno cum gaudio recepi; sed inter legendum, fateor, tam varie affectus, ut me hinc ardor generosi impetus, hinc gelidi metus torpor invaderet. Adeo mihi magnifice visus es et melioris status desiderium ac stimulos incutere, et præsentis lapsus frena obstringere, ut luce clarius videam ubi sim,

quove ire sit necesse, quantoque, miser, absim intervallo ab alia patria nostra Ierusalem, ad quam, nisi nos nostri immemores fuscus et luteus carcer facit, semper in hoc exilio suspiramus. Quid nunc dicam? Gratulor tibi et mihi gratulor: tibi talem animum, mihi talem esse germanum. Unum inter duas gratulationes est quod doleam, quod lugeam, quod querar, eosdem parentes, non idem sidus fuisse nascentibus. Nimis dissimiles sumus, frater, nimis impares partus eadem alvus effudit; ut intelligi possit, non mortalium parentum, sed Æterni Patris munus esse, quod sumus. Quid enim pater, nisi vile semen? Quid nisi fœdum mater habitaculum? Deus animam, Deus vitam, Deus intellectum, Deus appetitum boni, Deus arbitrii libertatem dedit. Quidquid sanctum, quidquid religiosum, quidquid pium, quidquid excellens habet humana natura, totum ab illo est. Epistolæ quidem tuæ, quæ mihi simul et solamen attulit et pudorem, in qua te cernens gaudeo, me cogitans erubesco, quid respondeam non habeo, nisi optima et saluberrima esse quæ dicis; et quamquam magnis probata testibus, esse tamen vel sine teste verissima. Quid enim, cætera ut omittam, illa certius sententia, cui adstipulator quæritur Augustinus, discordare secum studia hominum et affectus? Qua in re patere, oro, me paulo liberius evagari, et, priusquam ad Augustinum veniam, de meo aliquid loqui, quod et mihi delectabile et tibi forte non molestum fuerit. Discordant otia cum omnium, cum etiam singulorum hominum. Fateor, et negare non possum; scio alios et me ipsum scio. Contemplor catervatim, et singulatim contemplor humanum genus. Quid vero de omnibus dicam, aut, quis fando

enumeret diversitates innumeras quibus inter se dissident mortales, ut nec una species certe, nec unum genus homo cum homine videatur? Omissis ergo quæ perstringi nequeunt, totam rem tres in partes, et unamquamque rursus in multas inimicitias secuere philosophi, unde et sectæ nomen creditur derivatum. Videmus alios voluptatibus addictos, quæ ingens et inæstimabilis turba est: in quibus, Deus bone! quanta varietas, quot artes, quam non idem gustus, non una sententia. Huic displicet quod placet illi, hic miserum putat quod ille felicissimum arbitratur. Multos actuosæ vitæ studiis intentos cernimus, opes potentiamque sectantes; horumque alios bello, pace alios, hos terris, hos pelago, quosdam manu, nonnullos autem ingenio fretos ad optatum niti. Et hic quoque quis multarum labor artium, quæ variæ rerum formæ, quæ distincta sedulitas! In his duobus vivendi generibus versantur illæ omnes quas mechanicas dicunt, corporeis necessitatibus servientes, quæ vix tandem inter artes cæteras admissæ, locum *philosophiæ* [1] novissimum quorumdam iudicio meruerunt. De quo nunc accuratius tractandi non est locus. Itaque varietatem humanorum actuum persequamur. Paucos quidem sapientiæ et contemplationi deditos audimus sæpius quam videmus. Ætas nostra superioribus duabus graditur viis, ac tertia nullus, aut tam pauci, ut prope iam nullo recenti vestigio signata sit. Et quamvis veram sapientiam unam esse non sit dubium, Deum noscere et colere, propter quod scriptum est: *pietas est sapientia;* ad quam omnium nobilissimum ac sacratissimum studium hominibus datum erat, nisi il-

[1] In Cod. Parisiensi VIIIMDLIX legitur: *locum* EPIPHANIÆ *novissimum.*

lud vanitas nostra corrumpens, iam de Theologia Dialecticam effecisset; tamen de hac agendum est, quæ vulgo sapientia dicitur, quam rectius scientiam dixerim. In hac ergo quanta quoque discordia est! Alii verborum regulas texunt, flosculis alii coloribusque inhiant: alii conclusiunculas meditantur. Et rursus alii numerant: numeros alii sonis iungunt: terram alii metiuntur, alii nonnisi cœlum atque astra suspiciunt; felices si cœli potius intuerentur auctorem. Hæ sunt quas liberales vocant. Accedunt aliæ. Est enim et quæ naturas rerum omnium inquirat; meditatio pulcherrima, nisi naturæ Dominum obliviscatur, quod iam pæne perpetuum illi est: et quæ, ut medicinam corporum, sic ipsam salutem spondeat ægrotantium animorum: artium utilissima, si ad præstandum quod promisit e cœlo speret auxilium, sine quo posse se nihil intelligat; quod omnium, sed in primis harum duarum debet esse commune. Etsi enim ægro corpori prosit vis in terra nascentium herbarum, etsi animo affecto et languido multi verborum medicamenta confecerint atque conscripserint, utriusque tamen hominis vera salus a Deo est. Horum sane qui animis quidam unius hominis, quidam familiæ, quidam reipublicæ curam gerunt. Primum quidem Ethicæ opus est, Œconomicæ secundum; tertio Politicæ magistri et legum latores invigilant. Inque his omnibus viæ tertiæ tramitibus sunt qui palam, sunt qui clam pergant, et velut apertum evitantes, umbris gaudeant, neque se profanari et nimia familiaritate contemni, sed videri a paucis et studio quæri velint. Hi sunt poetæ, nostra præsertim ætate rarum genus: in quibus ipsis non omnibus idem finis, non eadem via,

ut non immerito, cum virile hoc et magnificum vatum genus magno semper in pretio fuerit, illud humilius stiloque mollius severis iudicibus infamiæ habeatur. Habes, frater, quantum in tam brevi temporis spatio, tamque arcto verborum ambitu licuit, tres illas vias famosissimas, per quas humana curiositas aliter atque aliter multumque diversis passibus incedit, in quibus omnibus studiorum eminet infinita dissensio. Has autem vias, quarum et Aristoteles et philosophorum plures meminere, nec poetis ignotas noveris, etsi in eis designandis more suo exerceantur occultius. Hoc equidem importari voluit per certamen illud trium dearum, in quo voluptuosus arbiter electus falso penitus sed vulgari iudicio Venerem Iunoni prætulit ac Minervæ, et pretium iudice dignum fuit voluptas blanda sed brevis; dulce principium, amari exitus. Et de primis quidem duabus viis nihil est quod mirer. De tertia non mirari nequeo inter eos ipsos, qui unam tenent viam, eamque tam certam (et in ea ipsa uno nomine gloriantur, dicunturque philosophi) esse innumerabiles pæne sectas dissidentium, quas sciens prætereo: quod et nimiæ nimis sunt, et a Marco Varrone, ac post eum ab Augustino curiosissime recollectæ. Illud vero non prætereo, in his ipsis tantis ingeniis virisque tam gravibus tantam esse discordiam, ut alter alterum spernat ac rideat, quod cum multis possit, uno monstrabitur exemplo. Socrates ille quem primum omnium ferunt philosophiam velut e cœlo in terras traxisse, et a sideribus abductam inter homines habitare, deque hominum moribus ac rebus disserere coegisse, ab Aristotele irridetur, qui eum quasi vilis negotii exercitorem ac mercena-

rium circa moralia negotiantem dicit, et de natura nihil. Ac ne dubites de contemptu, Cicero in *Officiis* sic ait: *Eodemque modo de Aristotele et Socrate iudico, quorum uterque suo studio delectatus, contempsit alterum.* Hoc est igitur quo non modicum me mirari fateor. Sed illud multo vehementius quod unius eiusdemque hominis vota discordant. Quis nostrum, quæso enim, idem vult senex quod voluit iuvenis? Minus dico. Quis nostrum idem vult hyeme quod æstate? Nondum quod in animo est dixi. Quis nostrum idem vult hodie quod heri? idem sero quod mane voluerat? Ipsum diem in horas, horam in momenta partire; plures unius hominis voluntates invenies quam momenta: hoc est quod singulariter miror; quod non mirari omnes homines magis miror. Sed iam satis evagatus sum: ad te, frater, Augustinumque tuum redeo. Illud ergo supra fidem stupeo, quod, illo teste, non his quidem verbis sed hac plane sententia dixisti: Unum hominem secum circa unam eamdemque rem et eodem momento temporis dissentire: vulgata dementia, et ambulare velle nos semper, nunquam pervenire; quod nihil est aliud quam ire velle simul et consistere, id est enim velle vivere, nolle mori; cum in psalmo scriptum est: *Quis est homo qui vivet et non videbit mortem?* Et tamen ita se res habet: hoc volumus, hoc animo sumus, tanta cæcitas est, tanta perversitas, tantus furor: vitam hanc optamus, mortem huius vitæ terminum execramur. En studia vere contraria; en penitus vota pugnantia, non solum quia necessario hanc illa sequitur, sed etiam quia, ut ait Cicero, cui nescio quomodo in hac re prope plusquam catholicis testibus apud me fidei est, *hæc nostra*

quæ dicitur vita, mors est: unde fit ut mortem præ omnibus et oderimus et amemus, conveniatque nobis illud comicum: *Volo nolo*, *nolo volo*. Cæterum ut hæc philosophica in tempus omittam, importuna fortasse sed vera loquar hominum more vulgarium. Ut sit hæc vita, quæ vulgo vita dicitur, tantaque diligentia servatur, quanta tamen, oro, est, etsi hodie incipiat? Facile id quidem intelliget quisquis præteritos vitæ annos cogitatione percurrens, eadem scilicet mensura, qua illos lapsos meminit, venturos metiens, usque, si libet, ad centesimum annum spes curasque porrexerit. Nunc vero longius iam provectis quantulum, quæso, est reliqui? Profecto enim quidquid a tergo est, certa mors abstulit: quod ante est, vita promittit brevis, volatilis, et incerta: quæ, ut impleat quod spopondit, constat tamen, etsi totidem sint, nescio quomodo, breviores senum annos esse quam iuvenum. Iam quis dubitet illud sic esse per omnia, ut dicis: hic nos assidue summoque studio dies bonos et felicitatem quærere, ubi neque dies usquam boni, neque felicitas, neque quies, neque salus, neque vita, neque omnino quidquam est aliud quam durum iter ac difficile ad æternam, ubi respicimus, vitam, vel, si negligimus, ad æternam mortem? illic vero dies bonos quæri oportere, dum tempus est, ubi optima ac perfecta sunt omnia? Cætera eisdem in litteris tuis elegantissime tractata prætereo, quod et absoluta res est, et in ore peccatoris hominis devota parum auctoritatis habet oratio, in silentio admirans et animi tui constantiam, et stili robur, quo satis admoneor alium quemdam habuisse te in monasterio præceptorem quam in sæculo

habuisti; nimirum ille te loqui docuit, qui docuit operari, qui docuit velle; persimilis animo atque actibus sermo est; multum intus et extra brevi tempore mutatus es. Mirarer autem magis, nisi didicissem quid animi mutationi dextera possit Excelsi, cui perfacile non solum unus animus, sed totum genus humanum, totus terrarum orbis, tota denique rerum natura versatilis est. Ita mihi copiose sanctorum patrum dicta conquiris, tantoque convertis artificio, ut paulo minus iuncturam cogar quam sententiam laudare; et certe solers iunctura sæpe quod alienum fuerat nostrum facit: cuius quanta vis sit inter artis præcepta poeticæ, non extremum legimus. Unum ut indulgeas velim: modestissimæ verecundiæ tuæ, verecundissimæque modestiæ laxes frena parumper, et maiorum te agminibus non verearis inserere, neque diffidas, eodem spiritu dictante qui disertos illos fecit, de quo scriptum est: *non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris mei est qui loquitur in vobis,* posse etiam te de tuo aliquid dicere, imo vera permulta et tibi et aliis profutura. Postremo de me, cuius vicem valde germanitas tua pertimescit, nec immerito, tot in circuitu frementibus procellis, non dico securitatem sed spem bonam habeas. Scito, me consiliorum quæ mihi supremo digressu dederas, non oblitum. Asserere non ausim adhuc me in portum confugisse; feci autem quod nautæ solent quos in alto tempestas invasit; insulæ, ut ita dixerim, cuiuspiam unum latus ventis ac fluctibus obieci: illic, donec tutior portus appareat, delitesco. Et quem, inquies, in modum? Si quidem, Iesu Christo auspice, tria illa utcumque me implesse noveris quæ mandasti, et ut con-

summatius impleam summis in dies viribus eniti, quod non ad gloriam meam, qui adhuc multis in malis ac miseriis versor, cui multus et de præterito dolor et de præsenti labor, et de futuro metus est, sed ad gaudii tui primitias narro; simul ut, quo melius de me sperare cœperis eo ferventius pro me incipias orare. Sunt autem tria hæc in quibus tibi parui. Nam et in primis abditas scelerum meorum sordes, quæ funesta segnitie longoque silentio putruerant, in apertum manibus salutiferæ confessionis elicui: idque sæpius facere, atque ita omnipotenti medico cæcum animi mei vulnus ostendere, in consuetudinem adduxi. Deinde non diurnas modo sed nocturnas ad laudes Christo dicendas adeo impiger, eodem solicitante, factus sum, ut his etiam brevissimis noctibus, quantalibet serotina fatigatum vigilia, nunquam me vel sopitum vel tacitum aurora reperiat. Ita mihi placuit illud Psalmistæ: *Septies in die laudem dixi tibi*, ut ex quo semel hunc morem sum amplexus, nulla me vel semel ab incepto occupatio diurna distraxerit; et illud eiusdem: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*, ut quotidie illa hora nescio quem ad excitandum me venire sentiam, qui gravi licet somno pressum dormire prohibeat. Tertium est quod consortium feminæ, sine quo interdum æstimaveram non posse vivere, morte nunc gravius pertimesco: et quamquam sæpe tentationibus turber acerrimis, tamen, dum in animum redit quid est femina, omnis tentatio confestim avolat, et ego ad libertatem et ad pacem meam redeo. Quibus in rebus amantissime tuis me precibus adiutum esse credo, et adiutum iri spero atque obsecro per misericordiam Illius qui te in

regione dissimilitudinis (*sic*) ob errantem de tenebris tuis ad lucem suam revocare dignatus est. In qua vere felix et falsæ ac perituræ felicitatis constantissimus spretor, nostrique non immemor in orationibus tuis, vive dulcissime frater, et vale.

III Idus Iunias in solitudine.

EPISTOLA VI.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI EPISCOPO NEUBURGENSI S. P. D.

De laudibus sibi immerito tributis maximas grates agit: eiusque eloquentiam et elegantiam scribendi effuse commendat.

Et quanto putas gaudio evectus sim litteras tuas legens, quantumque præter solitum mihi ipse placuerim? Sensi enim quantulumcumque meum nomen iam nimbosæ Alpis transcendisse cacumina, et per ora doctissimorum hominum cœloque volitare germanico. Non merui, fateor, sed in utramque partem multa, licet immeritis, eveniunt. Quamvis autem inane quoddam ventoque simillimum sit gloria, dulce tamen nescio quid inest, quod magnos etiam animos possit allicere. Amplector igitur sortem meam, et oblatam mihi benevolentiam tanti viri gloriabundus excipio. Tu quidem, etsi procul ab orbe romano genitus, romano autem innutritus eloquio, latinæ mihi clarissimum iubar vocis et pervalidos nervos refers, quantoque tibi videris inferior, tanto superior appares oculis recta cernentibus. Facis ut quod de Italia dictum est, iam plane de Ger-

mania dici queat: non illam virtute et armis potentiorem futuram esse quam lingua, si studii labor non offendat ingenia. Magnus mihi transalpinæ facundiæ testis est calamus tuus. De his modo nil amplius, ne mearum laudum, in quibus, eloquentissime vir, exquisite admodum et tam vere utinam quam diserte versatus es, rependisse me tibi hodie vicem putes: ex quibus quidem pudorem mixtum cum voluptate percipio. Iuvat enim tibi aliquid videri: pudet non esse quod videor. Sentio autem: ille vir optimus te fefellit, cui deinceps in omnibus, præter quam in rebus meis, habendam fidem scito. Amat enim: iam intelligis iudicii cæcitatem: talem ille me prædicat, qualem cupit. Vive feliciter et vale.

FRANCISCI PETRARCÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS

LIBER UNDECIMUS.

EPISTOLA I.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI DE CERTALDO S. P. D.

Ictum calce equi prope Vulsinium crus sibi pæne fractum fuisse narrat, neque adhuc Romæ convaluisse.

Sperabam loci atque animi mutatione mutari posse fortunam, sed fallebar, ut video: quocumque fugio, illa me sequitur. Seu me curru volubili, seu frementi cornipede, seu volanti navigio, seu denique dedalicis alis abstulero, profugum torva præveniet. Nequidquam tamen: vellicare enim potest et impellere; prosternere, iam Deo gressus meos sustentante, non potest. Iam cum Demetrio didici et mandare laqueum minaci et medium unguem indignanter ostendere. Retentat illa me tamen artibus suis, et a quo sæpe sub annis tenerioribus victa est, eum vincere meditatur ætate iam solida et tranquilla, quasi facilius sit cum seniore certamen, atque, ut corporis vigor, sic animi vires vivendo decreverint; quæ nisi crevissent, frustra me vixisse quidem arbitrarer. Perinde quos illa mihi nuper laqueos tetenderit, ne mea te in admirationem mora longior trahat, dicam. Romam ego, ut scis, salutato quidem te, petebam, quo annus hic, quem votis optavimus peccatores,

fere christianum genus omne contraxit. At ne tædio solus peregrinus afficerer, aliquot mihi me comites elegeram, quorum natu grandior religiosæ senectutis obtentu, alter scientia facundiæque vehiculo, cæteri experientia agibilium et fideli obsequio lenituri omne iter, licet asperrimum, videbantur. Sic mihi provideram maturo magis, ut eventus docuit, quam felici consilio. Et ibam ferventi animo positurus iam tandem piaculis meis finem. Nec enim, ut ait Flaccus,

.... lusisse pudet, sed non incidere ludum:

quod profecto propositum, ut spero, nihil potuit aut poterit immutare fortuna: allidat scopulis quamquam et cruento cerebro saxa respergens, laceret hoc infesta corpusculum, sui quidem ac suarum rerum spiritum contemptorem eruet fortasse, non opprimet; et languere artus sæpicule, animum ægrotare nunquam coget. Non modicum sane nuper, ne amplius expectatione fatigeris, in corpus meum illi licuit. Siquidem Vulsino egressus, quod nunc parvum et ignobile oppidum, olim inter Etruriæ capita numeratum est, sacram urbem quinto visurus alacriter festinabam. Unum hoc identidem cum animo meo tractans: ecce ut ætas nostra sensim labitur: ecce ut res et consilia hominum mutantur: ecce quam verum est quod in bucolicis meis scripsi:

Studium iuvenile senectæ
Displicet, et variant curæ variante capillo.

Quartus decimus annus est ex quo Romam miracula rerum dumtaxat videndi desiderio primum veni. Secundo me huc, aliquot annis interiectis, nescio an im-

matura, sed dulcis Laureæ cupiditas attraxit. Tertii ac quarti itineris causa fuit illustrium amicorum miseratio, quorum tunc deiectis miserabilibusque fortunis, impares licet, humeros admovere non timui. Hæc mihi nunc quinta, quis scit an et novissima, peregrinatio romana est; tanto cæteris felicior, quanto generosior est animæ cura quam corporis, quantoque optabilior æterna salus quam mortalis gloria. Talia cogitantem, et, quamvis in silentio, Deo gratias agentem, religiosi illius cuius supra mentionem feci et grandævi abbatis equus, qui mihi loco quidem sinister ibat, sed multo sinistrior eventu, equum meum, ut aiunt, ferire volens, me qua tibiæ poples iungitur, tanta vi percussit, ut ingens velut fractorum sonus ossium multos etiam, qui aberant, ad spectaculum evocaret. Dolore tactus incredibili subsistere primo meditatus sum: ipse me locus exterruit: necessitate igitur in virtutem versa, sero Viterbium, atque inde vix die tertio Romam attigi. Illic, medicis accitis, os detectum atque horrifice albicans dubium an et fractum; vestigia quoque clarissima ferrati calcis extabant. Odor neglecti vulneris tam molestus, ut me ipsum supra fidem impatientia sui sæpe violenter averteret: et quamvis cum corpore nostro quædam nobis innata familiaritas sit, per quam multa in suo corpore fert quisque suaviter quod in altero fastidiret, ego tamen raro unquam in alieno cadavere, ut nunc in carne propria, cognovi quam nihil, imo vero quam miserum et vile animal est homo, nisi ignobilitatem corporis animi nobilitate redemerit. Quid multa? inter manus medicorum intraque metum et spem salutis dubius iam quartum decimum diem Romæ iaceo, qui dierum nu-

merus, si cum annis totidem conferatur, iudice me, longior atque molestior sit. Hic enim status cum ubique mihi gravis et importunus futurus esset, eo quod, præter naturam plurimorum quantulacumque vis ingenii mei situ et quiete corporis torpet, motu sobrio vegetatur, (ut non immerito quamquam Stoicorum sententias anteponens, Peripateticum tamen ambulandi morem semper et verbis et rebus ipsis approbare soleam) tum hic præsertim importunissimus atque gravissimus est propter animum inexplebilem reginæ urbis aspectibus, quam quo magis intueor, magis magisque ad credendum cogor quidquid de hac scriptum legimus. Casum tamen ipse meum doloremque consolor, quasi hoc cœlitus actum sit, ut, quoniam in me confessor meus fuisse levior videbatur, quod ab illo prætermissum fuerat alter impleret; et interdum, fateor, putavi iudicium Dei esse volentis, ut cuius animum diutissime claudicantem ipse manibus suis erexerat, eius corpus de cætero claudicaret. Quæ rite libranti minime tristis aut misera censenda erat alternatio. Gratias ei qui mihi spem restituit, te in proximo recto simul animo ac corpore revidendi. — Cæterum hæc tibi, amice, adhuc, quod ipsa litterarum facies indicat, in grabatulo meo iacens scribo, non ut doleas hæc nobis accidisse, sed ut gaudeas me et hæc æquo tulisse animo et multo graviora laturum esse, si ingruerint. Tu vive feliciter, et vale nostri memor.

Romæ, IIII Nonas Novembris, silentio noctis intempestæ.

EPISTOLA II.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI DE CERTALDO S. P. D.

Quædam carmina ei mittit: adversam fortunam
et cædem Jacobi II Carrariensis lamentatur.

Magnum tempus effluxit ex quo carmen tuum onustum querimoniis ad me venit. Cuius, quantum meminisse valeo, summa erat, quod, cum inter vulgares etiam profanosque crebra otii mei vulgarentur opuscula, tu unus, quo nemo rerum mearum appetentior, nemo ex eis solamen gratius percepturus, expers talium habereris. Cui tunc aliquot versiculos reddidi, festinante quidem calamo, non aliam ob causam nisi ne lamentum tuum neglexisse me crederes, eosdemque vix ad exitum perductos inter confusos scripturarum cumulos perdidi: qui, licet sæpe non segni studio quæsiti, nunquam postea sub oculos meos redierunt, nunc tamen subito præter spem sese agenti aliud ingesserunt. Intempestivum primo visum est eos ad te mittere. Sed quoniam, ut ego sentio, et ipsi etiam in fine testantur, nostra tibi omnia placitura confidimus, mutare consilium libuit, simul ut me pridem tibi, dum perditos nunciavi, non ficta locutum intelligeres. Unum tanto temporis intervallo nominatim addidisse, ne qua ex parte te lateam, prope necessarium duxerim. Si quidem carmen illud meum olim tibi scriptum, nunc demum ad te veniens, me cum fortuna pæne æquis viribus congressum et velut in acie laborantem tibi offeret, non tamen sine spe magna victoriæ. Iam me haud dubie victorem, nisi fallor, dies longior fecit. Vivendo didici vitæ bella tracta-

re. Iam fortunæ ictibus non lamenta, non gemitus, ut quondam, sed callum durati animi obiicio, et titubare solitus, immobilis iam consisto. Itaque indignans illa me tanta telorum nube non ruere, et immitioribus parum fidens, novissime pectus meum ingenti falarica percussit. Post nudatum nempe tantorum mortibus amicorum latus et erepta tot vitæ præsidia, optimum mihi nuper omniumque carissimum atque dulcissimum solamen ac decus meum subita et horrenda ac prorsus indigna morte præripuit; virum omni laude sed præcipua quadam et angelica morum suavitate conspicuum, quem tibi ac posteris notum esse cupio, Iacobum de Carraria scilicet, secundum nascendi ordine, at virtutibus et gloria longe primum, Patavii dominum, imo patriæ patrem, qui unus, quem ego nossem post Siculi regis obitum, toto orbe supererat amantissimus studiorum et ingeniorum cultor æstimatorque iustissimus. Sed mihi de illius viri laudibus dulce erit loqui et meminisse, dum vixero. Quod ad inceptum attinet, ille fuit, fateor, cui omnia debebam, cui totus incubueram: illum mihi abstulit fortuna; heu! quam policiter! quam repente! ut, subducto scilicet fundamento unico spei meæ, quod simillimum veri erat, me simul everteret. Steti tamen mœstus quidem, non inficior, sed erectus, sed interritus, eoque securior, quod vix ullum iam tale vulnus expecto. Deinceps monstrum illud horrificum odero semper execraborque, nec timebo. Vale.

Patavii, VII Idus Ianuarii. Raptim, stimulante nuncio.

EPISTOLA III.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI ARETINO S. P. D.

Iacobi II Carrariensis cædem narrat, et titulum sepulcro eius inscribendum mittit.

Rogas, immo vero debiti mei admones, ut huius iunioris Iacobi de Carraria viri optimi optimeque de nobis meriti, qui nuper Patavii dominus dictus est, re autem ipsa nihil minus quam dominus nec magis quam verissimus Patriæ Pater fuit, laudes atque fortunam stilo amplexus, hinc aliquid ad te scribam, amoris scilicet mœrorisque participem. Parva quidem res, si superficie tenus metiare, sin altius foderis, operosior forte quam putas. Quoniam et panegyricum viri virtus, et mors exigit tragœdiam: præclarissima duo poetici laboris opera. Latam igitur atque uberem dicendi materiam affers, sed in qua disertum fieri rerum potius quam ingenii laus sit. Quid enim illi defuit, quod claro præconio dignum esset? Quid dolori aut desiderio nostro deest? et natura facundus est dolor, et desiderium vi mutuæ relationis accenditur. Pronum opus et de illo ad te scribere, et e duabus vitandis stili metis alteram non timere, ne quid nimis: quin etiam, plaudente Italia, concordi testimonio bonorum, ne obstrepentibus quidem malis, apud amicas aures laudare quem diligas. Accedit indignæ atque insolitæ genus mortis, et in qua fides apertissima vulgato illi proverbio quæreretur: alienæ dominum fieri quemlibet vitæ propriæ contemptorem. Tam repente enim, mediis licet in penetralibus

augustissimæ domus suæ, ingenti procerum ac nobilium, amicorum custodumque sui corporis circumvallatus agmine, luce media, die festo securus et incautus in obscœni ac desperati canis et, ne quid immanitatis abforet, eius canis quem ad mensam suam illo die paverat assidueque pascebat, rabiem cruentosque nisus incidit, ut nullo unquam indigniori spectaculo oculos hominum pollutos rear. Cum enim ipsi qui scelus audivimus sic affecti sumus, quam miseri sunt quibus videre contigit mitissimum atque alio fine dignissimum illum virum belluamque infamem ac pestiferam uno momento temporis unoque velut turbine corruentes? Tam præceps enim inopinumque malum fuit, tamque incredibilis adstantium stupor, ut fidissima pectora pro dilecti capitis salute mortem æquo animo subitura, nihil illi pereunti tempestivæ opis afferre potuerint, nisi ut pars expirantem attolleret, pars infandum carnificem, excarnificatum mille vulneribus conficeret. Heu impar sceleri vindicta, heu nimium par exitus imparium spirituum et in diversa pergentium. Quæ cum ita sint, precibus tamen hactenus obluctor tuis, non laborum fuga, non occupationum mole, quamvis illa sæpe adsit, hæc autem nunquam desit, demum non aliam ob causam, nisi ne semel absumpto doloris impetu, frigescat fortasse animus, qui tanti amici memoria, et indeficienti lacrymarum materia delectatur, exhaurire oculos metuit, quotidieque sibi aliquid reservat (o flebilem parsimoniam!) quod de illo loquatur, quod meminerit, quod deploret; postremo cui propositum est illius viri faciem ac mores, illius virtutem ac fortunam semper ante oculos habere, et cum cuncta suspiciat, nihil præter exitum

lamentari. Quamquam hoc ipsum humani potius affectus, quam philosophici profectus esse non negem. Quotiens enim rationis passibus ad altissimam illam arcem æthereæ mentis adscendo, unde non minus quam e summis Olympi iugis nubes sub pedibus cernuntur, video qua hic rerum caligine, qua errorum nube circumdati, quantis in tenebris ambulemus; video nihil esse, quo passim gaudemus aut dolemus in hac vita; nihil, quod tantopere vel cupimus vel horremus: nugas meras quibus angimur, larvas quas pueri senes expavescimus, auramque levissimam qua deiicimur aut levamur prorsus arundinea levitate. Video eam ipsam, quæ mortalium felicitas dicitur, præter virtutem, solidi nihil esse; eam solam beatos facere quos amplectitur, miserosque quos deserit, et pedibus, ut aiunt, in hanc stoicorum sententiam totus eo. Ita quidem ut definitionem illam omnium philosophorum definitionibus anteponam, quæ virtutem esse ait recte sentire de Deo, et recte inter homines agere. Profecto autem, cui talis animus contigerit, nulla unquam lamentabilis poterit esse fortuna, sed optanda potius et invidiosa felicitas. Sane nos imbecille caducumque genus homines, imis in vallibus habitantes, gravi premente sarcina, ratione quidem ad excelsa conscendimus, ideoque vulgo, quam vero proximiora sentimus ac loquimur. Hinc meæ multorumque querimoniæ de rebus interdum frivolis, interdum nullis, nonnunquam vero felicibus. Tanta votorum perversitas, tanta est cæcitas animorum. Sed ecce iam sensim aberravimus ab incepto. Ad primordium revertamur. Nondum itaque de oblata mihi materia texere continuum aliquid ausus sum, et causam audisti. Cæ-

terum omnis dies homini, etiam nunc morbis obnoxio, novum aliquod de ipsius morte suspirium parit, ut, si cuncta litteris mandare velim, nil fere aliud acturus sim, ideoque ventis mandare consultius sit: interdum tamen et litteris, quale est illud quod cum nudius tertius digressurus Patavio, ad memoriam revocassem rogatum me, ut, quod sine precibus debeo, illi caro et amato cineri aliquod epigramma subscriberem, sed diem de die trahentem neglexisse, dolui mecum et erubui, quidquam omnino tam pio et tam debito obsequio prælatum. Cumque iam frequentes afforent qui me prosequerentur, et in primis promissa reposcerent, quæ nec negari pudor sineret, nec tempus impleri, quid facerem? Cœpi impetu si quo modo possem addere calcar ingenio; profectusque cum paucis ad sepulcri locum, quasi licentiam quam a vivente consueveram, ab exanimi percepturus. Intempestiva hora diei erat, obseratisque templi foribus et meridiantibus æditGuis, vix admissus, iussis expectàre comitibus, accessi solus ad tumulum, sedique iuxta, et non responsuris ossibus verba dedi. Illic ergo pro tempore brevissimam moram trahens, non sine lacrymis sexdecim elegos dictavi ardore magis animi, quam studio aut ratione artis adiutus, tradidique expectantibus amicis vix ad exitum perductos, atque abii, hortatus ut si nihil aut illis aut mihi interim melius occurrisset, ex his si quid placeret eligerent, arbitratu suo, incidendum marmori, ad quod poliendum insignis nunc artificum desudat industria. Vale.

EPISTOLA IV.

FRANCISCUS PETRARCA PHILIPPO EPISCOPO CAVALLICENSI
S. P. D.

Mittit epigramma de Valle Clausa, ex quo patet eam ipsum sibi sedem delegisse.

Multa iam tibi pridem satagit mens anxia, et colloquendi avida: sed inter angustias temporis atque animi festinare cogor ad finem, qui, ut philosophis placet, cogitanti primus est, ultimus operanti. Hunc qualem mihi animo proponam ac vehementer cupiam, videbis, omissis omnibus quibus ad illum pervenitur; quæ amplecti locus, tempus, ardor nuncii, et comitatus fragor vetat. Atque hunc ipsum non sermone libero explicui, sed amicum brevitati carmen sciens, octo tantum versiculis coarctavi, quales occupato ingenio sors obtulit inter urbanas curas et virgulta silvestria. Ex quibus tamen si legens scribentem ante oculos habueris, spero fore ut votum atque habitum fatigatæ admodum et graviter affectæ mentis intelligas. Vale.

Valle locus Clausa toto mihi nullus in orbe
 Gratior aut studiis aptior ora meis.
Valle puer Clausa fueram, iuvenemque reversum
 Fovit in aprico vallis amœna situ.
Valle vir in Clausa meliores dulciter annos
 Exegi, et vitæ candida fila meæ.
Valle senex Clausa supremum ducere tempus
 Et clausa cupio, te duce, valle mori.

EPISTOLA V.

FRANCISCUS PETRARCA PRIORIBUS ARTIUM, VEXILLIFERO IUSTITIÆ, POPULOQUE FLORENTINO S. P. D.

Se ab exilio honorificentissimis litteris revocatum, maximopere gaudet, et debitas pro tanto beneficio gratias agit.

Iam satis me vixisse arbitror, optimi cives, et illam sapientis amici vocem audire videor: *morere dum lætus es: neque enim es in cœlum adscensurus.* Præclarissime. Quo enim insatiabilis ista cupiditas vivendi? Virtute, non annorum numero, metienda felicitas, et cum perveneris quo tendebas, desinendum est. Audebo quidem apud vos familiarius gloriari, eoque fidentius quod, quantulacumque vel esse vel fingi potest mea gloria, ingentis gloriæ vestræ perexigua quædam erit accessio. Nunquam opes aut potentiam optavi, ad quas etsi non forte pertingere, at saltem suspirare permissum erat, ab annis teneris parva ducens quæ multis maxima videbantur. Id, unde mihi quidem nescio; sed me vera loqui testis est vita, testis oratio, testis est animus meus. Huc omnes curas, omnes vigilias meas verti, si quo studio datum esset, ut bonus fierem, aut bonorum benevolentia non indignus. Quorum primum nondum contigisse mihi doleo; secundum vero vestro munere quam cumulate, quamque supra spem successerit, suavissimus litterarum vestrarum tenor indicat: ex quibus, fateor, non minus me stuporis percepisse quam gaudii. Gaudeo enim atque, ut Traianum principem Plutarchus alloquitur, et virtuti vestræ gratu-

lor et fortunæ meæ, sed supra fidem stupeo, ætate hac, quam omnis boni tam sterilem putabamus, et, quod miraculum coacervat, in tot animis, tantum popularis, ut sic dixerim, ac publicæ libertatis existere: *ex quo intelligi potest, quanta in dato beneficio sit laus*, ut ait Cicero, *cum in accepto sit tanta gloria*. Quid enim, quæso, præclarius, quid maius vel precari præsens poteram vel optare, quam quod vos absenti mihi nuper ac tacito, viri illustres et magnifici, contulistis? Cuius unquam patriæ erga benemeritum civem tanta liberalitas, tanta dignatio? Excutiatur antiquitas, proferantur historiæ. Revocavit ab exilio Ciceronem suum Roma, revocavit et Rutilium et Metellum, sed ab eo exilio quod ipsa mandaverat; revocavit et Camillum, sed extremæ fortunæ casibus admonita: et sicut horum omnium iniusta relegatio, sic omnium iusta; Camilli vero necessaria et prope violenta revocatio. Revocarunt Alcibiadem Athenæ, sed conditione non absimili et necessitate publica prope pari. Quo unquam plebiscito quove senatusconsulto sponte absens civis, nullo patriæ periculo revocatus est? Virgilio Augustus Cæsar agrum reddiderit, sed quem ipse præripuerat. Cui unquam filio culpa patris ager perditus, publico consilio restitutus est? Inaudita sunt hæc pietatis et liberalitatis indicia: et cum fere raritatem claritas sequatur, quantus exemplo carentis vestræ benevolentiæ fulgor erit? Advocor, sed quantis, oro, sed quibus et quam validis precibus? quam imperiosis blanditiis? Quanta spe ager avitus de publico redemptus restituitur? At quonam sarculo cultus eloquentiæ? quibus verborum floribus ornatus? quibus laudibus nostris fragrans? quanta no-

stræ virtutis messe lætissimus? Cui unquam tam fertilis et tam felix fronduit agellus? Adeo quippe nativam soli duritiem vestra vicit industria, ut nec Afris ego iam nec Siculis frugibus invideam, et Campanum, Liberi Cererisque certamen, ex uberrima ac iucundissima ruris mei statione despiciam, quamlibet regis opulentiam animo supergressus. Ita enim mihi contingat hunc tantum Reipublicæ favorem, qui nunc vestræ liberalitatis est proprius, aliquando et meriti mei esse, ut ego multo pluris facio vestrum hoc de me tale iudicium et honorificentissimum illud elogium muneri vestro additum, quam non modo restitutum seu verius donatum agrum, sed quidquid insuper seritur vel aratur in circuitu: quod haud difficile me persuasurum reor iis, quibus ulla rerum mearum fuerit ex conversatione notitia. Quid enim mihi præstare potest hæc infinita divitiarum sitis, atque anxia finium et operosa propagatio? Certe quo ulterius metam fixero, longiusque processero, eo magis intelligam quantum restet, et clarius nequidquam laxati ruris angustias, meque inopem recognoscam. O supervacuos labores, cum nihil avaritiæ sufficiat! Quanti est quod naturæ sufficit, quantum quod sepulcro? Regnorum finibus non contentos brevis urna concludit, sine qua tamen et bene vivere et feliciter mori licet. Equidem, gloriosissimi cives, indulgentia vestra hæc ut vobis sempiternam laudem, sic mihi solatium non mediocre peperit, dulcem ac prædilectam in sedem restituto, in qua pater, avus, ac proavus meus, vir, ut litterarum inops, sic prædives ingenii, in qua denique maiores mei reliqui, non tam fumosis imaginibus quam clara fide conspicui, longa serie senuerunt. Ego autem,

seu natura mihi conflante alas, seu fortuna, volare longius edidici. Nunc, vobis auctoribus, primævus mihi tandem nidus panditur quo revolare queam, longis iam fessus erroribus. Magna hæc esse non inficior, sed illa permaxima, quod donum publicum tanto mei nominis, digno utinam, præconio, tanta precum instantia, tanta verborum suavitate conditum est, ut, nisi sim saxeus, æternum mihi hoc vestro beneficio et lumen ad gloriam et calcar accesserit ad virtutem. Quibus rebus si impares grates agam, non meæ mentis ingratitudo fuerit, sed vestræ munificentiæ magnitudo. Ago tamen quas possum, sed, ut ait Cicero, maiores habeo, quibus exprimendis et accuratiori stilo et feliciori opus esset eloquio. Ita me vestris beneficiis obrutum ac circumclusum sentio, ut minus sit omne quod dixero, quam quod dicere voluissem. Unum hoc in finem non omiserim, quod anno altero, Roma reducem, inter clarissimos illos viros qui tum frena Reipublicæ gubernabant, dixisse me recolo. Siquidem eo usque patriæ meæ me attollit humanitas, ut illud quondam pro parti tituli gaudio imperatoris Augusti responsum cum lacrimis redditum Senatui, mihi nunc tantillus homuncio, apud vos, pro tantis rerum ac verborum honoribus, usurpare non verear. *Compos enim factus votorum meorum, Patres Conscripti, quid habeo aliud Deum immortalem precari, quam ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitæ finem mihi perferre liceat?* Proinde quid animi habeam ad reditum, si Deus faverit, quantumve mandatis vestris obtemperare cupiam, ne omnia scripto, sed aliquid vivis legati vestri vocibus committam, vir egregius Iohannes Boccatii, per quem litteras et monitus vestros ac iussa percepi, præ-

sens peraget, qui, ut hanc epistolam fida manu, ad vos ore disertissimo perferet affectus meos, quemve cum audieritis, illius ore me locutum credite. Cupio vos florentissima semper in Republica valere feliciter.

Patavii, VIII. Idus Aprilis.

EPISTOLA VI.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI DE CERTALDO S. P. D.

Quæ sibi tantas moras nectendi caussa fuerit, quidve se in posterum facturum sibi proposuerit.

Iam vero proximiora dixerim quæ leguntur in fabulis, amatam Phœbo virginem obriguisse cursu medio, et dum pedibus tangere terram putat, subitis radicibus inhæsisse. Certe et ego, quod nesciebam, pro mobilium obsequio pedum, tenacissimas interdum radices habeo. Promiseram tibi me Patavio digressurum ad XIV kal. maias:· vix V nonas inde digressus, loquor improprie, immo vero divulsus sum. Veronæ biduum aut triduum agere decreveram: hic quoque iam procrastinando prope circumactus est mensis, et, quamvis hac præsertim parte anni peramœna civitas sit, non sine tædio. Non hæc mihi requies fuit, ad alia festinanti: sed indulgentissimi amici blandis precum compedibus explicari hactenus non potui: qui mihi pæne quotidianus est carcer. Etsi enim amicorum nihil affectu et pietate dulcius habeam aut sperem, sæpe tamen arctius me diligi quam otio meo expediat, questus sum querarque, si vixero. Hinc discedens hoc ipso die Mantuam peto, fa-

mosam Virgilii nostri matrem. Ibi me similis laqueus alter manet, sed, ni fallor, facilius dissolvendus. Parmæ superioris amici frena non habebo: tanta brevis rerum mutatio incessit. In cæteris inde totius viæ urbibus atque oppidis, negotii nihil. Itaque confestim, si vita comes fuerit, e transalpino rure nostro ad te iterum scribam, neque deinceps alias prius ex me litteras expectes, quam quæ pervenisse me nuncient. Illic sane quamdiu ipsa, quæ res et consilia nostra rotat, modum statuet fortuna, ego quidem, quod non tibi tantum tali amico, sed vulgo etiam notum reor, excussis libratisque omnibus, si ex alto datum esset, optarem in eo rure quidquid est vitæ quod restat exigere. Etsi enim loco illi multa desint quibus voluptas eget urbsque affluit, illa tamen adsunt quibus urbs caret quibusque ego maxime delector, libertas, otium, silentium, solitudo. Duo ibi sunt, fateor, adversa animo; et quod ab Italia locus abest, ad quam me naturalis motus attrahit, et quod vicina est nimis Babylon hæc occidentalis, rerum pessima Ereboque simillima, unde me natura itidem dehortatur ac retrahit mea: ferrem tamen utrumque amara dulcibus leniens. Sed alia quædam sunt quæ refugiunt stilum, ex quibus mihi illic moram profecto brevissimam auguror, nisi quid novi forsan inciderit: quod ipsum quale suspicer ignoro. Id scio, nihil omnino non posse homini contingere, animali caduco prorsus ac mortali, licet inter miserias insolenti. Latet ergo rerum exitus: præsens propositum animi non latet, quod et tibi et nostris non ignotum velim. Romanum nempe Pontificem, quem ad ripam Tiberis quærere consueverant patres nostri, nos ad ripam Rhodani quærimus:

quærent nepotes forsitan ad ripam Tagi, ut pateat nihil esse quod non confundat ac transferat longa dies, et ad occasum omnia properare. De hoc tamen sanctus ille rigidusque piscator viderit, qui cum Rhodanum sciret, nec Tagum certe nec Sequanam ignoraret, naviculam tamen ac retia Tiberino fixit in gurgite: ille, inquam, viderit cuius cymba nunc procellis agitur, cuius navalia deseruntur: viderint qui ad gubernaculum sedent. Nos vectores sumus, æstu rapimur, fortunæ participes non culpæ. Illum ergo nunc, quia ubi vellem nequeo, ubi possum quærere est animus, simul ac sparsas dulcium reliquias amicorum; cumque omnibus supremum vale dixero, crudeles terras et avarum vere litus effugere, atque in præfato rure nostro, quod procul inde quindecim passuum millibus ad præclarum ac sonorum Sorgiæ fontem latet, inter silvas ac flumina interque libellos varios, qui ibidem sub rustico custode vincti et taciti iam me quadriennium expectarunt, quod superfuerit æstatis solitaria quiete transigere; ne, si mox vestigia nota relegero, corpusculum hoc, continuis licet ab infantia laboribus exercitum, nimio forsan ardore conficiam; cui parco non ob aliud nisi quo diutius torqueam ac fatigem. Autumnus me revehet, ut spero, simul et libellos illos, bibliothecæ italæ quos inferre disposui. Habes et de præterito tarditatis meæ causas, et de futuro propositi mei summam, ne quid vel admirationis vel ambiguitatis obrepat. Reliquum est ut Senatui nostro, cui quid debeam nosti, nomen meum sedula devotione commendes: ad hæc et tres compatriotas nostros, optimos illos quidem ac probatissimos amicos, quorum, quocumque ierim, vultus ac verba circumfero,

quosque consentientes in peregrinationes longissimas mecum duco, salvere iubeas ore tuo, meis vocibus. Vale.

Kalendis Iunii, Veronæ.

EPISTOLA VII.

FRANCISCUS PETRARCA SOCRATI SUO S. P. D.

Deflet ætatis suæ calamitates insignes, quibus terræ motus in Urbe accesserunt, maiores ærumnas reipublicæ portendentes.

Quid primum? querar aut timeam? Undique dolorum causæ, nec ullum præsens malum non futuri gravioris mali signum præfert. Quamquam quid iam gravius expectari queat vix intelligam. Mundus hinc hominum rabie, hinc manu Dei ultrice consumptus et exhaustus est, eoque miseriæ processum, ut nulla iam cogitantibus nova malorum facies occurrat. Et profecto quisquis hunc statum rerum humanarum posteris, si qui modo supersunt posteri, narraverit, fabulas narrasse videbitur. Nec indignari conveniet, minus ea nobis credi quæ nullo modo nos aliis crederemus. Me quidem, fateor, ad credendum multa proniorem tempus hoc fecerit, quo mali nihil inexpertum humano generi est. Ut enim illa prætercam diluvia, tempestates, incendia, quibus integræ modo urbes funditus periere, bella quoque toto orbe ferventia magna cum strage populorum, ad hæc inauditam sæculis pestem cœli, quæ nota sunt omnibus, quæ civitates vacuæ nudaque cul-

toribus arva testantur, quæ vel afflicti ac propemodum deserti orbis atque ipsius naturæ, ut ita dixerim, lacrimosa frons luget; ut hæc, inquam, prætercam tam in occasu quam in oriente, tamque sub borea quam sub austro positis notissima; iam ab initio, ut nosti, multis in locis Alpes a radicibus motæ sunt, insuetoque ac sævo venturi præsagio, Italiæ simul ac Germaniæ magna pars tremuit. Sequuta mox mala, quæ nec meminisse sine lacrimis possumus nec numerare sufficimus. Novissime cum iam laxatam mortem placatamque Dei iram speraremus nos pauculi, qui erepti publico naufragio videbamur, ecce, quod adhuc forsan ignoras, Roma ipsa insolito tremore concussa est tam graviter, ut ab eadem urbe condita supra duo annorum millia tale ibi nihil acciderit. Cecidit ædificiorum veterum, neglecta civibus, stupenda peregrinis, moles: turris illa toto orbe unica, quæ Comitis dicebatur, ingentibus rimis laxata dissiluit, et nunc, velut trunca capite, superbi verticis honorem solo effusum despicit. Denique, ut iræ cœlestis argumenta non desint, multorum species templorum, atque in primis Paulo Apostolo dicatæ ædis bona pars humi collapsa, et Lateranensis ecclesiæ deiectus apex Iubilæi ardorem gelido horrore contristant. Cum Petro mitius est actum. Res equidem sine exemplo est, et quæ multorum animos iure deiiciat. Si enim membrorum tremor tantarum calamitatum portendit eventum, quid non minatur tremor capitis? Stomachentur et murmurent qui sibi aliquid videntur: mundi caput est Roma: et licet obsoletum impexumque, terrarum caput omnium haud dubie Roma est. Hoc mihi si una voce loqui possit, mundus ipse non neget; si bona

fide non agnoverit, testibus ac chirographis convincendus. Ne autem pessimus in dubiis augur de nihilo finxisse metum censear, et recentibus malorum exemplis et auctoritate Plinii longe clarissimi scriptoris excuser, cuius ne mutasse sententiam dicar, ad contextum verba subtexui: *Nec vero*, inquit, *simplex malum aut in ipso tantum motu periculum est, sed par aut maius ostentum. Nunquam urbs Roma tremuit ut non futuri eventus alicuius id prænuncium esset.* Hæc ille. Nunc vero quid taceam aut quid dicam? Ita ego te alloquor quasi unum quemlibet ex hominibus nostris Rempublicam vehementer amantibus. Nam quid refert unde ducas originem; animum magis intueor, quem plane italicum nostra fecit amicitia. Quamobrem applica aurem, mi Socrates. De summo Reipublicæ statu valde anxius sum, et mœsta mihi præsagia non tam Romæ quam totius Italiæ, neque tam terrarum quam animorum motus incutiunt. Et cum multa me terreant, tum vetus illud vaticinium tanto ante conditam urbem, non quibuslibet, sed sacris insertum litteris, quod ubi primum legi, fateor, etsi sæcularium litterarum typo turgidus, atque illarum insolens, exhorrui tamen et gelidus circa præcordia sanguis stetit. Est autem Balaam prophetiæ ultimæ novissimum verbum, quod, ut laborem tibi auferam evolvendi librum, præsentibus inseram. Ita igitur scriptum est: *Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, et ad extremum etiam ipsi peribunt.* Quamvis hoc iampridem in Romani imperii ruina videri possit impletum, atque utinam non hic urbis tremor aliam pacis et libertatis nunciet ruinam. Tu vero eam virtutis ac constantiæ

basim nutanti animo submitte, ut trementibus terris stabili sede consistat, quin etiam, ut Flaccus ait,

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum feriant ruinæ.

Hæc tibi pridem Patavii dictata et dilata hactenus propter nuncii penuriam, hinc mittere libuit, non ob aliud nisi ut huic communi amico morem gererem ad te venire sine meis litteris recusanti: quamvis nec nuncio nec litteris opus esset, cum ego ipse hunc e vestigio sequuturus sim. Cum ergo has litteras leges, scito me iam proximum. Bene autem feceris si mihi ad fontem Sorgiæ obvium te tuleris. Vive, et vale nostri memor.

III. Idus Iunii, Placentiæ.

EPISTOLA VIII.

FRANCISCUS PETRARCA ANDREÆ DANDULO DUCI VENETORUM S. P. D.

Enixe dehortatur a bello contra Genuenses suscepto.

Ut aliquid ad te scribam, inclyte Dux, hinc mea fides, hinc humanitas tua suggerit, illinc rerum præsentium ac temporum status cogit; hæc quidem præstat ut loqui velim, hæc ut audeam, ille autem ut tacere nequeam. Quis enim ab amante sollicito silentium requirat? Libertas amoris verecundiæ frenum nescit. Os licet obstruxerit rationis manus et magnitudini re-

rum se imparem recognoscens animus quiescendum tacendumve denunciet, erumpet tamen anxium pectus in voces. Non peregrinas sententias aut verba venabitur; quidquid ad manum venerit, quidquid dolor metusque suaserint loquetur: festina, trepida, tumultuaria et quod natura rerum fert, simillima mentis fluctibus exibit oratio. Id si nunquam alias, nunc mihi præsertim evenire noveris. Moveor equidem, vir illustris, et valde permoveor: et, si proprium affectus mei nomen exigis, permetuo frementes in circuitu procellas et quos undique cernimus rerum motus. Sed ut totius humani generis lamenta præteream, italicus homo ad italicam querelam venio. Surgitis nunc ad arma duo potentissimi populi, duæ florentissimæ urbes, duo, ut dicam breviter, Italiæ lumina: quæ, ut mihi quidem videtur, peropportune adeo hinc illinc, circum Ausonii orbis claustra distribuit natura parens, ut vobis ad arcton et ad ortum solis, illis ad meridiem et ad occasum versis, vobis superum illis inferum mare frenantibus, post debilitatum inclinatumque iam, ne dicam prostratum prorsus et extinctum, romanum imperium, adhuc reginam Italiam quadripartitus orbis agnosceret. De qua re, etsi quarumdam forte gentium superbia in terris litem factura videatur, in alto certe nullius unquam impudentia controversiam movebit. Cæterum si in vosmetipsos, quod nedum spectare sed ominari horreo, victricia nunc arma convertitis, haud dubie vestris propriis manibus saucii perimus, vestris propriis manibus spoliati et nomen et multis quæsitum laboribus imperium maris amittimus: ita tamen ut, quod sæpe alias malorúm solamen habuimus, non perdamus: ca-

lamitatibus enim nostris gaudere poterunt hostes, sed minime gloriari. Inter cuncta nimirum quibus angor aut terreor, nil magis quam intractabiles animos et consilia iuvenum pavesco. Ignara ætas est ac fortunæ volubilis inexperta, et cuius impetu magna olim imperia corruerunt. Omnia sibi, quæ cupiunt, pollicentur; eoque sæpissime falluntur. Ut enim verum est quod ait apud Livium ille clarissimus bello vir: *temere incerta casuum reputat, quem nunquam fortuna decepit*, sic et quod sequitur verum est, *nusquam minus eventus respondere, quam in bello.* Falli procul dubio necesse est eos quibus unus dumtaxat, isque serenus ac tranquillus, fortunæ vultus apparuit. Bifrons est enim, aliquantoque sæpius violenta quam mitis; ideoque lætus audivi, te res ambiguas ad senile consilium reiecisse. Hoc prudentiam moresque tuos decuit, quorum gravitas atque maturitas te in illa acie primum fecit, cum adhuc in altera sis ætate. Adolescentiæ ferociam, senio prudentiam adscribunt; et non immerito illi quondam Romanæ Reipublicæ magistri, quorum virtuti nihil inaccessum fuit, sive ob honorem sive ob similitudinem paternæ sollicitudinis Patres dicti, ob ætatem certe Senatorum nomen acceperunt. Qua cura iuvenibus primum, mox ætate nostra pueris quoque permissa, ex quam alto ceciderimus, utinam non tam publice notum foret. Sed de hoc alibi. Neque enim leve est dolori ac pudori simul obsequentem et deflere præterita, et venientia providere, dare damno lacrimas et periculo cautionem. Ad id ergo, quod venturi metu crucior, revertor. Sollicitum, fateor, atque attonitum me habet patriæ tuæ status. De te quid dicam? Cuius enim gloriæ gra-

tulor, si compatior labori parum ipse mihi consentiam: ingenio tuo non compati non possum. Sentio namque quid intersit inter armorum strepitum, et Pieriam quietem, quamque tenuiter inter Martis tubas plectrum sonet Apollinis. Quia vero nihil patriæ negare potes, quæ de te sic in pace merita est, ut eam nec belli tædio, nec mortis terrore desereres, sed relicto tantisper Helicone ac feriantibus libellis, secutus es publici fati viam; et grati civis et boni viri et egregii ducis officio functus es, ita tamen, ut armatus pacem cogites, pacem ames, atque ita persuasum habeas, nullos te triumphos clariores, nulla opimiora patriæ spolia referre posse, quam pacem. Libenter, ubi de pace agitur, Hannibalis verbo utar, quo scilicet ex ore bellicosissimi viri veritas ipsa videatur loquentis adversum studiis testimonium extorsisse. Is ergo apud eumdem Livium, quid ait? *Melior tutiorque*, inquit, *certa pax quam sperata victoria.* Hoc ille, vincendi desiderio ardens, et qui pacem toto orbe turbaverat. Quid igitur amicus pacis? Nonne potius dicat, melior sanctiorque est certa pax, quam certa victoria? Propterea quod illa quietis, charitatis et gratiæ, hæc laboris et criminum et insolentiæ plena est. Quid autem pace iucundius? Quid felicius? Quid dulcius? Quid vero sine pace vita hominum, nisi periculum pavorque perpetuus, ac tristis curarum immortalium officina? Quænam ista voluptas, oro, est sub dio pernoctare, classico somnum frangere, corpus lorica atque, ut ait Maro, canitiem galea premere, ferreis semper vinclis arctatum mori subito, et, quæ ultima virorum fortium cura est, inhumatum abiici? Iuvat mordaci sollicitudine, iuvat metu et odio miserum cor

atterere, et his studiis incertum huius brevissimæ vitæ tempus impendere? Siccine tutum est cum pelago simul et cum hoste certare, hoc est gemina pariter cum morte luctari? Nemo enim, quæso, vos fallat. Cum asperrima atque invictissima, et quod tristius dico, cum italica gente bellum geritis. Utinam inimicæ urbes vobis essent Damascus aut Susa, utinam Memphis potius aut Smyrna, quam Ianua; utinam adversus Persas aut Arabes, utinam adversus Thracas aut Illyricos pugnaretis. Nunc vero quid agitis? Si qua latini nominis reverentia est, quos delere molimini fratres sunt; et heu non tantum apud Thebas fraternæ acies, sed per Italiam instruuntur: amicis flebile, lætum hostibus spectaculum. Quis autem belli finis? Ubi, seu victores fueritis seu victi (anceps est enim alea fortunæ), necesse est ut alterum e duobus Italiæ luminibus extinguatur, obscuretur alterum. De tanto enim hoste incruentam sperare victoriam, vide ne non tam generosæ fiduciæ quam incuriosæ dementiæ signum sit. Sane vos videritis, viri magnanimi et præpotentes populi: quod enim uni dico dictum ambobus intelligo, nisi quia ut ad te potissimum hæc scripta perveniant, et devota familiaritas, quæ mihi cum virtutibus tuis est, et ipsa locorum vicinitas causam præbuere: vos, inquam, videritis quorsum pergatis animo, quis sit irarum modus, quis terminus odiorum, quid de salute propria, quid denique (cuius non parva portio pendet ex vobis) de statu publico cogitetis: modo ne illud excidat, quod, nisi gliscentis belli ardor fonte aliquo pietatis extinguitur, de vulneribus quæ parantur, non numantinus aut pœnus, sed italicus sanguis fluet, et eorum, qui, si qua repen-

tina vis ingruat aut si qua barbaries, quod interdum sed nunquam gratis ausa est, fines nostros irrumpat, primi vobiscum arma pro communium fortunarum defensione suscipient, qui simul pectora sua morti atque hostilibus telis obiicient, qui et vestris tegentur et vos clypeis et corporibus suis tegent, qui profugos hostes classibus prosequentur, pariter vivent, pariter morientur, pariter pugnabunt, pariter triumphabunt. Tales igitur hos viros propter levis forsitan iracundiæ stimulos invadere, et, quamquam impune possis, evertere, quid delectationis habeat, non intelligo. Norunt fortasse melius incensi quorumdam animi, qui supplicio amicorum et vindicta quarumlibet offensarum more femineo delectantur: profecto nec utile nec honestum, denique nec humanum est. Satius est oblivisci iniuriam quam ulcisci, et inimicum placare quam perdere, illum præcipue cuius et merita præcesserunt, et, si in gratiam redierit, sequi possunt. Nempe si utrobique par labor esset, tamen mansuetudo hominum est, ferarum rabies: eaque non omnium, sed ignobilium, et quas sinistra naturæ manus attigit. Si igitur inter consultores tuos, quos plurimos gravissimosque non dubito, mea vox auditur, non modo venientem non repelles pacem, sed ultro illi obviam ibis, et tenacissime complexus inventam, ut apud vos æternum maneat curabis, quod facilius assequeris, si, quidquid erit, sobriam venerandamque canitiem in consilii partem voces. Illos audi, qui et fortunæ ludos nosse et amare Rempublicam didicerunt. His enim dulcedo pacis est gratior, qui contrarii amaritudinem prægustarunt. Cæteri ergo tamquam pacis hostes a limine arceantur. Neque enim tamen illos admit-

to, quibus nulla sunt senectutis insignia, præter rugas, canos et calvitium, et incurvum tergum, nasique madentis infantiam, et *cum voce trementia membra*, ut Satyricus ait. Suas sibi autem equidem invidiosas dotes habeant, nos enim non putres quærimus, sed maturos. Neque rursus illos excludo, si qui sunt, qui, florentibus annis, animi præoccupaverunt senectutem, neque quod in te miror, in aliis sperno, sicubi præcox indoles affulserit. Non sum nescius quantum Africanus meus adolescens afflictæ Reipublicæ non manu solum, sed consilio profuerit; aut, dum secretum senatus celat, Papirius Prætextatus quonam ioco matrem deluserit; quid pædagogo suo Portius Cato, quid seni anxio puer suasit Alcibiades. Sed, mihi crede, perrarum genus hominum quibus tenera ætate contingat sapere. Ubi sane tale aliquid et prægressum annos adolescentem videris, (nec enim inficior fieri posse), senum choris adscribito. Tu qui et consilii prima vox et rerum caput esse meruisti, hoc semper tecum cogita, primas ad te partes vel gloriæ vel infamiæ pertinere, ideoque, sopitis omnibus, solus vigila. Neque enim, quod illustribus viris placet, par imperatoris et militis labor est. Promptior ad actum venit, quem maior præmii pars impellit: et quamquam multæ et variæ sint præmiorum species, ad quas pro varietate affectuum non uniformiter inclinamur, haud dubium tamen, quod nobilibus animis, post virtutem, summum calcar est gloria. Hinc igitur excitatum animum curis optimis exerce. Sunt autem optimæ curæ de salute patriæ, ut ait Cicero. His igitur tibi nunc in cœlum iter facturus assurge, teque supra te ipsum erige. Vide, circumspice, contemplare omnia, et felices bellorum

exitus cum infelicibus confer, et damna cum commodis, et gaudium cum mœrore. Et quoniam, ut dixi, in causa pacis aptissimus testis est Hannibal, diligenter cave, ne, ut ait ille, tot annorum felicitatem in unius horæ dederis discrimen. Quantis enim, putas, laboribus hæc collecta potentia est? quantis gradibus ad hoc fortunæ fastigium est ascensum? Pervetusta, si nescis, gentis tuæ fama est, quod plerique non putant, multisque ante urbem conditam sæculis non Venetorum modo, sed quod magis mirabere, Veneti etiam ducis clarum nomen invenio. Quod diligentius advertendum est, ne virtutem casibus, et tot annorum consilio partum decus fortunæ vastaturo subdas imperio. Et quoniam, ut sapientibus visum est, nullo maiori quam famæ pretio virtus constat, optime et e Republica te facturum noveris, si, ubi res exigat, iactura etiam propriæ laudis bonum publicum redemeris, frementique turbæ tuta magis quam speciosa consilia et profutura potius quam placitura præbueris. Quod enim eidem duci accidit, et cumulatior gloria et cum admiratione omnium amor te publicus sequetur. Quæ si etiam spes abesset, sentis tamen quid virtuti, quid gloriæ debeamus, tantumque inter eas, quantum inter solidum corpus et inanem umbram, interesse, et per te ipsum noveras et a philosophis accepisti. Quanto autem cum dolore, ne quid omnino tibi subtraham, audivisse me putas recens vobis cum Aragonum rege fœdus initum? Ergone ab Italis ad Italos evertendos Barbarorum regum poscuntur auxilia? Unde infelix opem speret Italia, si parum est quod certatim a filiis mater colenda discerpitur, nisi ad publicum parricidium alienigenæ concitentur? Dicet

aliquis: idem mali genus prius ab hoste tentatum. Iam dixi: etsi unum alloquor, utrumque redarguo. Quanto dignius fuerat, irarum detersa rubigine, a qua non ullius amicitiæ sinceritas, non fraternus amor, non suprema demum parentis ac natorum pietas prorsus immunis est, Venetos cum Ianuensibus unum fieri, quam formosum corpus Italiæ lacerari, vobis occidentalium, illis, ut audio, dextras orientalium tyrannorum in partem furoris implorantibus? O ferales et supervacuas cautelas, o malevolentiæ genus ultimum! Quod manu propria non possis, ad id circumspicere quod irrites, et, argumentum odii præbente vicinia, vicinos scelerum subrogare. Atqui multarum hinc iniuriarum fluxere primordia, dum, indigno et nescio unde prodeunte fastidio nostrarum rerum, in admirationem rapimur externarum, et iampridem consuetudine pestifera, italicam fidem barbaricæ perfidiæ posthabemus. Insani, qui in venalibus animis fidem quærimus quam in propriis fratribus desperamus. Quo effectum est ut iure optimo in has calamitates inciderimus quas sero iam et inefficaciter lamentamur. Postquam Alpes et maria, quibus nos mœnibus natura vallaverat, et interiectas obseratasque divino munere claustrorum valvas, livoris, avaritiæ superbiæque clavibus aperiendas duximus Cimbris, Hunnis, Pannoniis, Gallis, Teutonis, Hispanis, quotiens illud pastorium Maronis flendo cecinimus:

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? En quo discordia cives
Perduxit miseros!

Sed ut ad rem redeam, quid vos deliberaturi sitis

ignoro: illud scio, quod in æmulatione olim pari, sed conditione longe impari, dum evertendi infestissimam Athenarum urbem Lacedæmoniis oblata esset occasio, nec de potentia iam, sed de voluntate sola superesset quæstio, e duobus Græciæ luminibus eruturos se alterum negaverunt. Præclarissimum sane responsum, et prisca illa Spartanorum dignissimum disciplina. Quod si ex ore illorum sonuit, quos victoriarum principandique libidinis notat Plato, quid vobis mitissimis ac modestissimis viris visum iri arbitror? Certe ego, qui in tantis motibus non moveri nequeo, ut diversis affectibus, amore, metu, spe unum pectus urgentibus secumque certantibus, pace animi careo, iusta me reprehensione cariturum credidi, si, cum hi silvas in classem traherent, hi gladios acuerent ac sagittas, illi muros ac navalia communirent, quod unum mihi telorum genus erat, ad calamum confugissem, non belli auctor sed suasor pacis. Finem facere iamdudum cogito, non ignarus quanto verborum freno uti deceat cum superioribus colloquentem: sed nullus est amore superior. Ille te coget ad veniam qui ad multiloquium me cogit. Hoc unum in finem coram duorum populorum ducibus affusus et lacrimosus obsecro: Infesta manibus arma proiicite, date dexteras, miscete oscula, animos animis, signis signa coniungite. Sic navigantibus Oceanus et Euxini maris ostia patebunt, nullusque regum aut populorum nisi venerabundus occurret. Sic vos Indus, sic Britannus Æthiopsque permetuet. Sic Taprobanen, sic Fortunatas insulas famosamque sed incognitam Thulen et omnem Australem atque Hyperboream plagam securus vester nauta transiliet: modo invicem tuti

sitis, nil aliunde trepidandum est. Vale, ducum ac virorum optime.

Palavii, XV. Kal. Aprilis M. CCC. LI.

EPISTOLA IX.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI ARETINO S. P. D.

Severiora nostris antiqua quæque fuisse: seque illum ad Vallem Clausam propediem expectare.

Speratum solatium Padus abstulerat. Nihil ioculare quod scriberem fuit, nisi illud sat forsitan risu dignum, quæsisse anxie quod riderem. Severior, quantum mihi videtur, antiquitas, ætas nostra iocosior: quando natura rerum est ut in curas seriis, in iocos ineptiis moveamur. Crede mihi, plus quam semel risisset Crassus ille senior, si sibi nobiscum vivere contigisset, sæclisque collatis intempestivum risum suum Democritus non negasset: tot modo stultis senibus, tot delirantibus aniculis plena sunt omnia, ut vanos ac ridiculos iuvenes prætermittam. Coram tamen ista iucundius. In transitu Alpium tibi hæc scribo: ne litteras Alpinas angustoque loco ac tempori conformem epistolam mireris. Tu me, oro, confestim sequere, et facies, scio. Mallem comitareris, ut sæpe alias: sed nulla iucunditas hic perpetua est. Ad fontem Sorgiæ te expecto locum semper mirabilem atque amœnum: sed æstate persimilem campis Elysiis. Illic aliquantulum respirabimus prius quam

illud tartareum limen vicinæ Babylonis ingrediamur. Vale.

XII. Kalen. Iulii. Genevæ montis e vertice.[1]

EPISTOLA X.

FRANCISCUS PETRARCA PHILIPPO EPISCOPO CAVALLICENSI S. P. D.

Nunciat se ad Vallem Clausam pervenisse.

Impatiens desiderii quod absentia mihi diuturna pepererat, atque in primis verendam exoptatamque mihi revidere cupiens faciem tuam, deinde sparsas ac laceras reliquias amicorum, adversa parte anni longas ac difficiles vias, animo corpus sublevante, complevi, ut de me poeticum illud proprie dictum putes:

Vicit iter durum pietas.

Nunc ad caput Sorgiæ quietem nactus solitarii ruris tui, me ipsum ab itinere et fessa membra recolligo. Hinc igitur hæc tibi raptim scribo, ne ab alio prius audias, quo desidiam meam culpes: reliqua coram

[1] *Gebennæ montis e vertice* scriptum legitur in apographo quod e bibliotheca Imp. Parisiensi mihi descriptum quæsivi: quibus verbis designantur Montes quos *Gebennicos* Pomponius Mela et *Cemmenos* appellavit Strabo; vulgo *Les Cevennes*, aut *Monts d'Auvergne*. Quicumque tamen animadvertat Petrarcam Padua profectum non ultra Avenionem fuisse progressum, et litteras has e medio itinere misisse ad Aretinum, facile intelliget errorem in Codicem vel in apographum irrepsisse. Sunt enim Gebennici illi montes longe ultra Rhodanum in Arvernia, quo Petrarcæ iter nullimode protractum est. Sequutus ergo De Sadium (tom. 3, pag. 141) *Gebennæ* montem in montem *Genevæ*, aut si mavis *Genebæ* mutandum duxi. Est enim hic unus ex Alpium montibus qui ex Italia in Galliam euntibus per viam Pineroli et Segusii tribus circiter passuum millibus ab urbe Brigantia (*Briançon*) occurrit.

propediem: veniam enim mox, ut squalorem et æstivum pulverem lucidi fontis ope detersero. Vale.

V. Kalend. Iulii.

EPISTOLA XI.

FRANCISCUS PETRARCA PHILIPPO EPISCOPO CAVALLICENSI S. P. D.

Gratias agit quod se duobus Ecclesiæ principibus viris litteris commendaverit.

Quæ de me scribis, pater, duobus illis tam magnis apostolicæ cymbæ remigibus intenta mente perlegi; quam vera quidem, et qui dictavit illa viderit et qui legent. Ego certe quo te et tua profundius scrutor, eo plus fidei habeo veteri illi laudatoque proverbio: amantum cæca esse iudicia. Sic tamen esse gaudeo, cupioque persuadeas quod intendis, ita quidem ut, cum auctoritate tua moti tecum sentire cœperint, idem etiam velint, errorisque simul fiant amorisque participes. Ego utrinque et incognitus permaneam et dilectus. Vale.

III. Kal. Iulii. Ad fontem Sorgiæ.

EPISTOLA XII.

FRANCISCUS PETRARCA OLYMPIO SUO S. P. D.

Animi sui volubilitatem excusat, laudat Vallis Clausæ amœnitatem et ocium, ibique se duobus annis mansurum nunciat.

Quam instabiles et quam variæ sint mortalium voluntates, et quam de futuro semper suspensa consilia,

eorum præsertim qui a sapientia procul absunt, ex me licet intelligas. Cœpit ecce impetus colles et specus et nemora revidendi virentique *musco* obsita atque ad famosum Sorgiæ fontem semper saxa sonantia. Ubi puer olim, post adolescens, denuo vir fueram, ego iam senectuti proximus redii, quo, ut nosti, nunquam amplius redire decreveram. Dulcedo quædam subiit locorum, et latens animo calcar incussit: frenare illum ratio non potuit. Non me huc ulla spes attraxit, non necessitas, non voluptas, nisi aspera quædam et agrestis, non denique, quæ una temporalium causarum honestissima est, charitas amicorum. Quos enim hic amicos habeam, ubi nemo est qui ipsum amicitiæ nomen intelligat? Exilis glebulæ et felicioris vitis atque oleæ cultibus, vel flumineis hamis ac retibus intenta plebecula nullum vitæ sermonisque commercium habere mecum potest. Neque tamen rerum ignarus aut casu aliquo delatus sum: quippe ubi bonam ævi partem exegisse memineram, iudicio potius sciensque ac volens certusve quid dimitterem, quid sequerer, reversus. Si quidquam excusabile est in hac mutatione propositi, amor est non rei alterius nisi solitudinis et quietis. Usque ad satietatem notus in patria, fugiensque fastidium, quæro ubi lateam solus, inglorius et ignotus. Mira cupiditas inter tot præsertim inanis gloriæ sectatores. Sed sic est; hoc sequor; hoc appeto; nec me hinc quæsitæ olim vel speratæ famæ claritas ac celebrioris vitæ iucunditas retrahit, hinc autem contrariæ et præterea ruralis metu deterret austeritas. Ut scias quanti otium facio, nihil habeo quod cum illo permutatum velim. Impulit animum, ut dixi, non sine quadam dulcedine memoria

ruris abditi et silentis ubi ab ineunte ætate versatus sum, ut minus mirer Camillum summum illum virum potuisse exulem patriæ desiderium et romani situs sentire dulcedinem, cum ego italicus homo, ad Arni ripam genitus, loci dulcedinem transalpini senserim. Sane consuetudo longior in naturam vertitur: hinc illa cessat admiratio, cur tam cupide verser in finibus alienis: usu enim iam ruris huius incola factus sum, et huc veniens in patriam meam commigrare mihi videor. Nihil autem me vehementius movit quam spes ingens supremam opusculis quibusdam meis imponendi manum, ut hic incepta, Deo auspice, hic, eodem duce, finiantur. Si autem moræ meæ in his locis spatium quæris, incerta res est, sicut ventura quælibet. Iam iter ingressus, priusquam Italia excederem, dum amicis abitum meum et redeundi propositum litteris indicarem, scripsi me autumno proximo reversurum. Ita tunc opinabar. Sed nunquam bene consilium capitur de longinquo. Vetus verbum est, gladiatorem in arena consilium capere: præsentem esse oportet qui deliberat: multa sæpe temporum conditio, multa locorum facies, multa colloquium amicorum innovat in consiliis humanis. Quantum vero de præteritis futura coniicio, biennii tempus ad id quod molior satis erit, et fere huius temporis spatio italicam et gallicam sedem alternare soleo. Quamvis non sim nescius, non biennii tantum sed unius etiam diei spes ambiguas; semperque mihi placuerit religiosi senis verbum, qui a rege, ut aiunt, sero ad crastinum prandium invitatus, crastinum sibi nullum esse respondit. Præclare quidem ac graviter, et non se fallente animo, ut magna pars hominum, quæ

crastini spe hodiernum sinit effluere. Is sane, quantum illa vox innuit, sarcinulis compositis, omnem diem ut ultimum agebat, utque eventu clarius responsum fieret, eadem illa nocte defunctum senem memorant. Nobis solemne est, futuri expectatione præsens perdere. Sed mitto hæc in quibus pæne pariter omnes erramus. Ad propositum revertor. Si quid vero contra promissum olim tibi factum egisse videor, ignosce. Excuset humanæ mentis varietas etiam doctioribus insita, et, nisi a perfectis uni summo bono inhærentibus, nunquam prorsus evitabilis, et de qua nunc multa disserui. Mutatione locorum declinanda fastidii mater identitas. Denique patere, oro, me hortulos meos his manibus consitos, vel si quid hic supervacuæ, et quæ me desideret, familiaris superest curæ, permitte saltem colles ac fontes silvasque revisere studiis nostris amicissimas; postremo libellis meis, quorum hic quoque non parva nec inamœna copia est, lucem reddere, qua longo tempore caruerunt clausi arculis et clavibus; reddere illis oculos meos et oculis meis illos, et si forte plus non detur, at saltem vetustissimis membranis tineas cariemque discutere. Sed dabitur plusculum aliquid, ut spero, et biennium cœptis operibus pendentibus suffecturum auguror, ut dixi: quibus, si datur, explicitis, alia mihi restat vitæ via, ad quam iam pridem, nisi ponderibus meis premerer, anhelo et magna mentis agitatione suspiro. Vale.

Ad fontem Sorgiæ, XIV. Kalendas Augusti.

EPISTOLA XIII.

FRANCISCUS PETRARCA NICOLAO ACCIAIOLO MAGNO REGIS SICILIÆ SINISCALCO S. P. D.

Diuturnum suum silentium excusat, eiusque res gestas laudibus effert.

Non possum, vir egregie, tarditatem meam eo clypeo protegere quem magna scriptorum inertium pars prætendit, me nihil habuisse quod scriberem. Scribendi nempe latissimum mihi campum aperit virtus tua non familiares tantum epistolas sed libros. Tam magno enim tamque invicto animo te fortunæ colluctantem video, ut sæpe impetus incenderit sub tuo nomine grandiusculum aliquid ordiri, et tibi et mihi debitum et communi patriæ non indebitum, quæ nos multum diverso sidere, te quidem gloriosos atque magnificos ad actus, me ad verbula hæc qualiacumque progenuit. Accessit ad uberiorem stili materiam recens regia fortuna tuis semper adiuta consiliis, quæ mihi lætam spem restituit, illo incolumi, nunquam Barbaros in Italia regnaturos. Proinde rerum gestarum satis est seu historiam meditantibus seu poema, ut lyrici carminis subiectum, vitæ serenioris morumque dulcedinem, atque altissimæ tuæ mentis tranquillitatem mansuetudinemque prætercam. Verumtamen hic calamus virium sibi conscius suarum, prope iam fessus veterum, nova cuncta formidat. Hæc vera silentii causa est. Habeo, fateor, et si aliud non haberem, tu das abunde quod scribam: tempus utinam dare posses; illud enim certe

non habeo, curis meis obsessus, quæ, sicut moderatæ iuvant exercentque animum, sic immodicæ pergravant enervantque. De reliquo, fortunæ crimen fuerit. Tu vero, vir optime, affectum meum, nudum licet effectibus, illa tua precor humanitate complectere, non ignorans me vel in silentio tuum esse: et si, quod spero quidem et cupio, cœptis illustribus favor cœlestis adfuerit, ut corpus italicum labe barbarica purgatum medullitus agnoscam, in quod iam nunc, ut fama est, dulcia nostris, amara hostibus præparatoria confecistis, sentio me desiderio meo non posse diutius obstare, quominus in illud litus cui, non modo in Italia sed in toto etiam orbe terrarum, scriptores rerum dant pulchritudinis principatum, inter occupationum mearum retia dilapsus evadam, et faciem tuam visurus et Parthenopen revisurus. Vive, et vale, decus nostrum.

III. Kal. Septembris. Avenione.

EPISTOLA XIV.

FRANCISCUS PETRARCA PHILIPPO DE VITRIACO ELECTO EPISCOPO MELDENSI S. P. D.

Gratulatur evectum ad pontificatum, sed muneris grave pondus miseretur.

Congratuler, an vero compatiar, amantissime pater atque optime, quod quum maxime necessaria quies esset, tum maxime tibi superimpositum laborem video, et prædulcibus studiorum curis iucundissimoque otio prædura negotia et episcopalem sollicitudinem succes-

sisse? Heu! quoties Augustus Cæsar, ut unico et omnium altissimo sim contentus exemplo, quoties hac ætatis parte, quam nunc degis, ut laborem dimitteret, de dimittendo imperio cogitavit! Testatur quædam eius epistola ad senatum missa, in qua erat, ut privatam agere sibi liceat et liberam senectutem, quam procul ab illo fastigio honoratam sibi spondere non dubitabat. Tu cum honoratus esses et quietus, omniumque liberrimus quos ego nossem, ultro laborem et voluntariam servitutem subiisti: dum nodosis atque inextricabilibus et a falce repullulantibus plenum curis pontificatum es amplexus, prorsus magno animo et excelso, qui propriæ quieti et honestissimæ voluptati tuæ utilitatem publicam prætulisti. Proposito igitur tuo gratulor, compatiorque fortunæ, atque illud hortor in primis, ut quod invito animo suscepisti, indefessa constantia prosequaris, gloriam in terris, in cœlo autem stabiliora quædam præmiorum genera meriturus. Hæc tibi raptim scribere visum est, expectante nuncio, cum aliud quod scriberem non haberem, præsertim ut scires ubinam terrarum sum. Ad ripam Rhodani rursus me compulit sors, utinam, antequam roter iterum, te visurum! Tu vive feliciter, et vale, nostri memor.

Avenione, X. Kal. Novembris.

EPISTOLA XV.

FRANCISCUS PETRARCA PHILIPPO EPISCOPO CAVALLICENSI S. P. D.

Gaudet de reditu eius, utque tandem ab itineribus cesset et otium vitæ quærat, hortatur.

Reducem te peregrinatione longissima lætus audio et tensis ad cœlum palmis cum Anchise ordior:

Venisti tandem . . . . . .
Quas ego te terras et quanta per æquora vectum
Accipio!

Quid ni autem gratuler tantum et tam bene de me meritum patrem sospitem mihi restitui, si tota mecum gaudet Ecclesia, quam bimestri spatio, quod plusquam bienne visum est, acephalam reliquisti? Totus amantissimus ille grex tuus exoptatum pastoris sui plaudit ad reditum, serenissimæ semperque mitissimæ iubar frontis aspiciens, benesuadæ et salutiferæ sonum vocis audiens, læta pascua designantem; ad hæc et leve iugum et pastoralem baculum suavissimum recognoscens. Ipsi colles, ipsa urbis tuæ mœnia mihi certe videntur vel in silentio gratulari sibi reddito sole suo. Molesta quidem amantibus semper absentia, sed interdum utilis excitandis affectibus. Multos ego arbitror quonam cultu sis colendus præsens per absentiam didicisse; ut enim ruris sic convictus mutui prodesse solet intermissio et cessatio temporalis, et sicut frugum ex novalibus, sic ex animis uberiorem messem dilectionis elicere. Verum hæc et in terris sterilibus agriculturæ lex, et in

animis tepidis amicitiæ regula locum habet. Contra autem sicut qui felicius arvum colunt, sic ego cum tuis omnibus, quibus animus desiderio ardens est, tali vicissitudine non egemus. Semper potius te præsentem, si fieri possit, nullamque tui vultus eclipsim oculis nostris occurrere et cupimus et rogamus. Et sane ut tibi, nec mihi minus qui loquor, utile consilium vetus meum inculcem, tempus est iam ut proris ad litus versis portum petamus proximum, ubi iactis tandem ancoris quiescamus, linquentes aliis terrarum pelagique circuitus plenos innumerabilium difficultatum atque discriminum. Satis superque satis, nisi fallor, experti sumus quantum torqueat pernox cura, quantum diurna negotia fatigent, quem anhelitum, quem sudorem vel adscensus montis excitet vel descensus: quid tædii pariat immensa planities, quid nimbosæ noctis cura in tenebris terroris afferat, et irati maris unda ferventior, et ululatu nautico permixtus ferientis scopulum cymbæ fragor. Et lutum et pulverem et nives et glaciem et saxa transivimus; et grandinem et procellas, ventos nubesque pertulimus, æstus et frigora et prædonum insidias et impetum belluarum. Nullum fere mali genus intentatum liquimus, et sicut per ista iuveniliter transivisse, atque horum postea meminisse delectabile, sic ab his nunquam divelli posse miserrimum est. Dimittamus igitur hæc aliis vel inexpertis vel expertis forte felicius. Hi quidem quod nostris didicimus periculis, suis discant. Hi autem suo marte protendant, unde nobis iam et tempestivum et commodum est reverti. Sunt quibus inexhaustus labor et iuge periculum pro voluptate sit. Nobis, si professionis rerumque nostra-

rum memores sumus, amabilis quies est, et optanda securitas. Longe lateque pervagati sumus : tempus est subsistendi : advesperascit enim, pater optime, et ante noctem de hospitio cogitandum est. Hanc litterulam tibi redeunti obviam præmisi, e vestigio sequuturus. Vive feliciter et vale, decus nostrum.

VIII. Kalen. Novembris, Avenione.

EPISTOLA XVI.

FRANCISCUS PETRARCA QUATUOR CARDINALIBUS REFORMANDÆ REIPUBLICÆ URBANÆ DEPUTATIS S. P. D.

Reipublicæ regundæ magistratus non e patriciorum numero, sed e plebeiis esse eligendos.

Fragilibus humeris grande onus imponitur ab illo et pro illa, quibus negare nil potui. Ne quid ergo reiicerem iussit animæ dominus amor. Meæ communis patriæ et parentis publicæ salus in ambiguo vertitur. Non est filius, quem piæ matris non tangit iniuria. Accedit ad humani generis universale debitum singulare quoddam erga me meritum urbis Romæ, quem et suum insigni privilegio civem vocat, et fortasse non ultimum hoc tempore nominis sui et famæ senescentis in me præsidium repositum arbitratur. Denique sic semper de me meruit, ut, ubi de statu eius quæritur, non modo turpe silentium meum sit, sed inhumanum et ingratum. Hæc idcirco præfari libuit, ne quis me insanum aut mei ipsius oblitum putet, qui maiora viribus meis sim aggressus, contraque consilium sapientis, altiora me quæ-

sierim et fortiora me scrutatus fuerim; seu indignanter audiar, quod romana libertas pio quidem sed humili prorsus et subito ac pedestri et forsitan impertinenti eloquio defendatur. Magna res, fateor, et coram magnis agitur, et ad Maximum referenda. Ego vero parvitatis meæ mihi sum conscius; sed ad loquendum animos dat innata devotio. Itaque, patres optimi, quibus huiusce rei cura mandata est, si a vobis, ut spero, hactenus meæ procacitatis excusatio faventibus animis est admissa, pias oro dehinc aures fidelibus adhibete sermonibus, non quis ego, sed quænam intentio mea sit, neque tam qualiter, quam quid dicam, immo vero non tam quæ dicam, quam quæ dicere velim, et quid super tanta materia dici potest, misericorditer attendentes.

Primum animis vestris reor insitum, nullius humanæ rei nomen esse sonantius, quam reipublicæ Romanorum. Hoc mihi nulla regio, nulla barbaries negabit, sed orbis ipse terrarum, si loqui posset, uno ore fatebitur, et suum caput ingenue recognoscet, impexum licet neglectumque miserabiliter et incultum. Quam ob rem etsi nihil aliud esset Roma quam nomen, esset tamen reginæ olim nomen urbis, ut arbitror, quadam cum reverentia tractandum; illius, inquam, urbis quam Deus omnipotens tot tantisque prærogativæ temporalis et spiritualis insignibus adornasset, penes quam et veræ fidei basim et Ecclesiæ fundamentum et supremum totius orbis imperium statuisset. Nunc vero, ut plus aliquid quam nomen Roma sit, unde sperari possit vel timeri, illud ex ordine cogitantibus occurrit, non frustra nec temere sed divinitus factum esse, ut

vobis potissimum ex omni sacro collegio Romanus Pontifex gloriosum hoc et meritorium, quamvis æqua lance librantibus apprime grave, pondus iniunxerit, e quibus tres, præter profundissimam sapientiam uberrimamque doctrinam, romanarum quoque rerum notitiam experientia docuisset; quartus vero non modo romanæ esset originis, sed genus etiam, ut quidam putant, ex altissima ac vetustissima traheret gente Cornelia; et hic (o vera pietas, o patriæ dulcis amor!), adversus superbam nobilitatem, athleta fortissimus, indefensæ causam plebis ageret et oppressæ patrocinium libertatis. Hanc igitur ad causam a Deo iudices dati nullum socordiæ locum, nullum humanis precibus aut gratiæ relinquatis.

Sed ut iam tandem quæstionis et sententiæ meæ summam brevi sermone complectar, lis antiqua repetitur. Atque utinam priscæ superbiæ nil novæ tyrannidis accessisset. Ignava placensque sibi et spernens cuncta nobilitas humilitate nimia romanæ plebis abutitur, nec aliter quam totidem Pœnos aut Cimbros captos et sub iugum missos, ignominiosum protrahit ad triumphum. Atqui nulla lege cautum, nullo more servatum, nunquam alias fando auditum est, ut domitis civibus triumphetur. Verum hoc etiam loco non alienum fuerit interfari, ne qua orationi meæ vel levis odii sit intermixta suspicio, me scilicet harum, unde ea lis oritur, familiarum alteram non odisse, alteram vero, quod commemorare superfluum, non amore solum sed familiari quodam semper obsequio coluisse, nullamque in toto orbe principum familiarum me cariorem habuisse. Carior tamen mihi res publica, carior Roma,

carior Italia, carior bonorum quies atque securitas. Ea itaque, ut defunctorum ac viventium pace loquar, causa fuit, cur in hanc magnitudinem urbis una consenserunt Deus, virtus, labor pariter, et fortuna, ut Ecclesiæ et Imperii caput esset, non ut regnum fieret paucorum civium, immo vero, si verum petita venia loqui licet, nec civium quidem romanorum, nec romanum nomen amantium. Non insistam in utriusque gentis origine recensenda; nota res est, et Rheni vallibus et Spoletinis etiam decantata pastoribus. Ita dominá gentium in omnes lapsa miserias, nullique miserabilis, non, ut quondam, propriis, sed alienis manibus lacerata, vetus illud solatium perdidit malorum,

> . . . . Nullos admittere reges,
> Sed civi servire suo.

Et an huic iniuriæ occurrendum sit, ambigitur? Illud autem omittitur, quod ante omnia dignum erat, quibus seu quam exquisitis suppliciorum generibus prædones publici puniendi, aut saltem in libera civitate libertatis hostes quam procul a muneribus publicis sint arcendi? Id nunc quæritur, stupendum dictu, an dominator olim omnium populorum populus romanus eo usque restitui debeat libertati, ut in Capitolio suo, unde Senonum flammas atque arma submovit, ubi reges captos ante triumphales currus vidit, ubi legatos gentium supplices audivit, unde præcipitans superborum civium atque hostium colla confregit, hodie possit una cum domesticis tyrannis partem ullam provinciæ administrationis attingere? O bone Iesu, ubinam gentium habitamus? Aspicis ista, Salvator, aut quonam, piaculis nostris of-

fensus, solitæ pietatis oculos avertisti? Miserere iam, et tanti maculas absterge dedecoris. Hucne igitur vivendo decidimus, hic erat ærumnarum terminus, ut in publico, vel quod publico maius est, coram Christi Vicario et coram Apostolorum successoribus quæreretur, liceatne romanum civem in senatum eligi, cum tam diu alienigenas regnare, et tot Tarquinios superbos in Capitolio videamus? En quæstio ad quam solvendam quatuor cœli cardinum labor invigilet! Certe ego si consular, respondere non dubitem, romano more senatum romanum nonnisi ex romanis civibus constare, et externos a limine secludendos, non tam quos miserint longinqua terrarum, sed Latinos et gentem proximam et contiguam Romanis et pæne cum eis unum corpus, neque illos solum verbo vel calamo, sed, si fieri possit, etiam gladio deterrendos; exemplo Auli Manlii Torquati, qui, cum Latini quondam peterent ut ex eis altum consilium et senatus pars dimidia legeretur, tanta indignatione permotus est, ut iuraret, se in curiam cinctum gladio venturum, et, si quem ibi Latinorum cerneret, manu propria peremptururn. Quonam ille animo spectasset Senatum totum a Rheni ripis vel ab Umbria venientem, qui solam partis dimidiæ mentionem tam indigne pertulit a Latinis?

Nostri autem peregrini, ne sine causa furere videantur, hanc usurpati senatus rationem afferunt, quod potentiores sunt ad onus tanti officii perferendum. Quæ ista potentia est, nunquam nisi damno civitatis cognita? Unde autem, quantulacumque est, nisi ex sanguine populi et reipublicæ conflata visceribus? Ut magna tamen sit et iusta potentia, quid ad rem? Certe dum illa

cuius proxime memini, Romam venisset legatio Latinorum, armis virisque et opibus florens Latium describitur; nec minus ideo repulsi sunt, qui potentiæ fiducia ad honorem indebitum aspirarent, ut virtutis præmia fortunæ tribuerent immerenti. Profecto enim si nudæ potentiæ senatoria Romæ dignitas deberetur, nec respectus esset vel originis vel virtutis, poterant et Macedonia tunc temporis, et Carthago, et nunc alia per orbem magnis viribus regna pollentia multum sibi iuris hac in re multumque præminentiæ vindicare. Sed dicent et ii, quia Romani sumus, et longa vel detentione magistratuum vel libertatis oppressione, romani cives. Ego vero profecisse me non modicum arbitrarer, si ad hoc elatissimos animos inclinassem, ut cives et non vastatores civium esse vellent, neque tunc illos ab honorum gradibus Manliano rigore depellerem. Si, per miserantem res humanas Deum, mitissimi patres, si qua romani nominis miseratione tangimini, percontor vos, an eo proposito capessere illos rempublicam æstimatis, ut eius penuriæ propriis opibus opem ferant? Utinam id in animum inducerent! Possem munificæ ambitioni veniam dare, et undecumque venientes candidatos admittere. At, mihi credite, contrarium meditantur, ut scilicet de reliquiis sparsæ urbis insatiabilem avaritiæ suæ famem non tam mitigent quam accendant. Verum et hoc negare forsitan audebunt, et unius verbi impudentia notam mundo totius vitæ seriem occultare, et romani cives et amantes patriæ dici volent. Non ita est, quippe quos cives, immo quos homines, et non principes aut dominos vocare, capitalis offensa est. Quia vero, licet sub æquis iudicibus, ini-

qua rerum sorte contendimus, detur, concordiæ gratia, quod facillimum est negare, et cives et pacificos cives esse. Indigni veniant ad honores, ita ut dignissimos non excludant. Iam ex quo cum romanis externi litigent et sint omnes uno nomine Romani, quid est cur illi soli honorari debeant, quibus hoc precarium nomen est, immo vero cur ulla in re suis contribulibus anteferri? An propter nobilitatem? Sed quid sit vera nobilitas non parva disputatio est; tum vero quam sint nobiles intelligent, cum intelligent quam sint et virtuosi. An propter divitias? Quas nunc extenuare verbis nolo: illud tamen moneo, ut inde tenuiores non despiciant, sciantque illas bonis moribus omnino nil conferre, et quas de fecundis ecclesiæ matris uberibus suxerunt, eis sobrie et pro transitoriis utantur, vel, si libet et ad maiora pigriores animi non assurgunt, fruantur etiam pro æternis, modo unum præstent, ut quas de communi liberalitate perceperunt, in communem perniciem non convertant. Quod si ad publicum regimen privatas divitias necessarias opinentur, velim mihi respondeant, quam dives erat Valerius Publicola, dum adiutor Bruti superbos reges eiiceret, dum primo consulatu de Tuscis, tertio de Sabinis, vir sepeliendus e publico, triumpharet? Quam dives Menenius Agrippa, dum discordem scissamque rempublicam sacro conglutinaret eloquio; quam dives Quintius Cincinnatus, dum, deserto rure, inopi victu Romam, et obsidione consulem romanum atque exercitum liberaret; quam dives Curius, quam dives Fabricius, dum Pyrrhi regis ac Samnitum signa prosternerent; quam dives Attilius Regulus, dum Carthaginiensium funderet legiones; quam dives Appius

Claudius, dum luminibus captus rempublicam consilio gubernaret? Operosum est omnia gloriosæ paupertatis exempla colligere. Audeo tamen affirmare, licet obstrepat multitudo, nil magis quam supervacuas divitias obesse virtutibus, et, ne certas notiones ac radicatas medullitus opiniones convellam, quod inter scriptores rerum constat, Romam victricem gentium vicere divitiæ, nec dubium est una eademque via et paupertatem romanam exivisse, et peregrina subintrasse flagitia. Ita quod maxime nocet rectoribus civitatum, id isti ei maxime profuturum putant, sive, quod potius reor, putare se simulant. Reliquum est ut veriorem causam præsidendi cupidinis inquiramus. Ea vero non alte fodientibus præsto est. Omitto avaritiam, quæ, etsi magnis indiciis suspecta sit, propter honestatem quamdam nominari in hoc sermone mihi videtur quidem indigna, eo quod ea in animis nobilibus turpissime habitat, immo procul inde exulat; sed loquor nunc de nobilitate vulgari. Superbiam igitur solum dico commune nobilitatis malum, ut Sallustius ait, non utique novam pestem in republica. Siquidem et veros illos et veteres Romanos attigit, interque virtutes maximas lividus tumor obrepsit, semper tamen humilitatis gravitate compressum, vestro et nunc, ut spero, gloriosissimi patres, arbitrio comprimendum. Egere videtur res exemplo.

Iam ab initio plebs romana inhumanis iniuriis affecta, suos magistratus et libertatis ambiguæ patronos ac vindices poscebat. Acri nobilitas adversata luctamine: hinc in sacrum montem prima secessio. Vicit tandem superbiam nobilium plebeia iustitia, et, reclamantibus nequidquam patriciis, tunc primum calcar unicum

ac frenum illorum violentiæ Tribunatus plebis est inventus. De hoc quoque petitum a plebe ut is magistratus suis, hoc est tribuniciis comitiis crearetur, et hic quoque plebs victrix, Appio Claudio viro licet acerrimo patriciatus obluctante. Nova dehinc orta contentio, primoribus superbo fastidio negantibus inter plebem patriciosque matrimonium, et sic abrupto sanctissimo vinculo generis humani, in duas iterum partes scindentibus civitatem, indignata plebs restitit. Sic, invitis adversariis, lege lata promiscua sunt permissa coniugia. Decemviratus sacrorum causa, quæstura, curulis ædilitas, nonnisi patriciæ gentis erant; animadvertit plebs se ludibrio haberi, ac nisa est evicitque ut harum quoque particeps dignitatum fieret. Qua in re non est silentio supprimendum parvum illud per se, sed superbiæ nobilium et plebeiæ libertatis evidentissimum argumentum a Tito Livio relatum. Cneius Flavius scribæ filius, humilis vir fortunæ, cæterum vafer ac disertus, ædilis curulis factus erat; ea res nobilibus, novitatem eius horrentibus, tantum stomachum excitaverat, ut in illius honore velut in luctu proprio plurimi ex eis anulos aureos et ornamenta deponerent. Contra ille nihil motus adversus eorum insolentiam, liberrimam contumaciam exercebat. Itaque dum Cneio ægrotantis collegæ thalamum intranti nobiles iuvenes, qui tum aderant, unanimi contemptu non assurgerent, confestim sellam curulem iussit afferri. Atque ita suorum nobilium contemptorum contemptor ipse nobilior, illos invidia tabescentes non de privato scamno, sed publica de sede despexit; qua unica libertate mihi quidem videtur non ædilitatis modo, sed consulatus etiam honore dignissi-

mus; de quo loqui sciens ad ultimum reservavi, quod scilicet senatores duo, qui e tanta conscriptorum patrum frequentia supersunt, videri possunt in loco duorum consulum successisse. Ut enim hic habet, sic ille finem habuit magistratus; senatorum potestas terminum non habebat. De hoc igitur consulatu quotiens et quanta indignatione certatum sit si retexere incipiam, elongatur ab epistolæ fine, ad quem festinat, oratio. Hoc nosse sufficiat, quod cum plebs romana summi etiam loci partem posceret, idque nobilitati summum dedecus videretur, summa vi obstitit; ad extremum, ut in reliquis, victa occubuit, multisque hinc inde contentionibus agitatis, primo quidem ad id deventum est, ut non consules, sed consulari potestate permixti tribuni militum quatuor crearentur; cumque ne hinc etiam plebis animi quiescerent, quod diu tumore superbiæ negatum erat, iustitiæ viribus est obtentum, ut plebeius consul iuxta patricium sederet, et communem patriam et communi opera partum imperium pari regerent maiestate.

Quæ si vera, si apud clarissimos historicos nota sunt, quid dubitamus adhuc longius, providentissimi patres, aut quid hortatoribus indigemus? Si Romanorum calamitati miseremini, si pios humeros immensæ ruinæ subiicere decrevistis, eius temporis exempla sequimini, quo urbs illa de nihilo surrexit ad sidera, non huius, quo de tantæ fastigio fortunæ pæne ad nihilum est redacta. Dubitare non oportere arbitror, quin urbs Roma multos et nobiliores et meliores habeat his, qui solo nobilitatis cognomine gloriosi cœlum terrasque fastidiunt, quos ego, si boni erunt, nobiles non negabo, romanos certo non ego solus, sed ipsa etiam negat

Roma. Esto autem sint nobiles, sint romani. An maioribus nostris, cultoribus iustitiæ, subiectorum protectoribus, debellatoribus superborum, fundatoribus imperii præferendi sunt? Hoc dicere quantalibet impudentia non audebunt. Quod si illi cesserunt, non pudeat hos etiam plebi cedere dignissima postulanti, ne in urbe scilicet sua exulet, neu, velut infecta, de publico repellatur. Qua in re Aristotelici dogmatis meminisse conveniat, ut, quod dirigentes tortuosa lignorum solent, cogatis hos nobiles, non modo senatorias et reliquas dignitates participare cum aliis, sed diu etiam ab his penitus abstinere, quas diu soli per arrogantiam suam et plebis patientiam usurparunt, donec in partem alteram deflexa respublica ad æqualitatem debitam revertatur.

Hoc censeo, hoc supplex oro, hoc senex Roma cum lacrimis obtestatur. Quod si segnes in eius restauranda libertate fueritis, ad tribunal tremendi iudicis vos appellat. Hoc Christus iubet, qui, dum consultabitis, in medio vestrum erit, ut quos elegit a principio, eorum usque in finem se præbeat semper tutorem; hoc Apostoli Petrus et Paulus flagitant, qui romano Pontifici, ut non alteri quam vobis ista committeret, inspirarunt; quorum tacitas preces si audire volueritis, quorumlibet contrarias preces ac gratias facillime contemnetis, non quod alienæ superbiæ libeat, sed quod vestram deceat honestatem, quid urbi, quid Italiæ, quid mundo expediat, cogitantes.

XIIII. Kal. Decembris.

EPISTOLA XVII.

FRANCISCUS PETRARCA QUATUOR CARDINALIBUS REIPUBLICÆ ROMANÆ REFORMANDÆ DEPUTATIS S. P. D.

De eadem re quæ superioribus litteris continetur.

Inter humilitatem sobriam effrenamque superbiam iudices deputati, optimi et virtutis amantissimi patres, scio vos pusilli hominis consilio non egere, ut pro iustitia iudicetis: sed delectat in communis patriæ quæstione aliquid loqui, et pro parte virili me tangente, cum facta non possim, ad auxilium libertatis saltem verba conferre. Loquar igitur ex fide purissima, conscientiæ serviens non gloriæ, neque id cupiens, ut meus sermo laudetur, nec magnopere curabo quem mea pungat oratio, modo iustitiam non offendat. Dura nempe conditio contra potentes insurgere, præsertim caros; sed ille veritatis est amicus, qui eam et amicis et rebus omnibus anteponit. Itaque postpositis affectibus meis, quamvis mihi carissimos et diu cultos, alienigenas hos tyrannos interrogo: Unde sibi tantum arrogantiæ in urbe non sua? Mirantur tres ex vobis forte: quartus enim procul dubio, quid loquor, intelligit. Quod si forsan irrideant (sperant enim utriusque gentis originem in oblivionem tractu temporis abiisse), verum esse, vel Roma vel Italia teste, probabitur. Mira prorsus et intoleranda superbia! Hospites exilio advecti, cives antiquos ab honorum consortio diutissime repulerunt et in perpetuum repellent, nisi summi dextra Pontificis et vestris consiliis arceantur. Nos forte pec-

catis nostris vestrum auxilium non meremur; sed meretur certe domus Apostolorum a tyrannorum violentia liberari, merentur de prædonum manibus eripi templa sanctorum, meretur sacro tellus ornata martyrio civili sanguine non fœdari. Quod ni, tyrannica per vos rabie compressa, plebi miseræ tempestivo remedio providetur, non possunt ista contingere. Sunt enim qui peccandi finem faciant et in viam rectam, sera licet pænitentia, revertantur; sunt qui, nisi compulsi, nunquam redeant. Sic affectis salutariter vis infertur. Optimum est homini sponte sua virtutem colere, vitia deserere; proximum, vel coacte. Cogite igitur vel invitos, pestiferamque tyrannidem licet reclamantibus extorquete, neque solum romanam plebem in partem publici honoris admittite, sed pessime semper administratum senatus officium possessoribus indignis eripite; qui si cives et si boni essent, non tamen, nisi pro dimidio, ius haberent: nunc autem ita se gerunt, ut civitate, quam destruunt, et convictu civium, quos opprimunt, nedum summis honoribus, sint indigni. Sane quam frivola sit nobilitatis divitiarumque iactantia, quibus fixi sine ullo virtutis adminiculo se extollunt, aut quonam pacto Romani veteres, quibus singularis et eximia virtus fuit, plebem tamen ab honoribus excludere nequiverint, verborum plurium opus est, longusque fiam, si hoc loco particularia sequi velim. Summa est, quod quotiens fere honorum controversia exarsit, semper a plebe humili superba nobilitas victa est; quam rem expressius epistola nuper ad vos prolixiore complexus sum, cui si horam unam non occupatis mentibus dare dignemini, spero quod, maiorum vestigiis inhærentes, salvam iube-

bitis esse rempublicam et ovile illud potissimum Iesu Christi, ad cuius tutelam cum pastores egregios promisisset, videns eos luporum feritate deterritos, ipse etiam, sicut nostis, secundam crucem non metuens personaliter festinabat.

VIII. Kal. Decembris.

FRANCISCI PETRARCÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS

LIBER DUODECIMUS.

EPISTOLA I.

FRANCISCUS PETRARCA CAROLO IV. AUGUSTO IMPERATORI ROMANORUM S. P. D.

Hortatur iterum ut in Italiam descendat et Urbem romani caput imperii præsenti ope sospitet.

Olim tibi, princeps inclyte, quod famæ tuæ salutique publicae convenire visum est, scripsi familiaritate quadam, non tam de ingenio meo quam de moribus tuis sumpta fiducia. Deinde autem mecum ipse reputans difficultates multas et varias communibus votis oppositas, imperio fortunæ, quæ, ut aiunt, omnibus imperat imperiis, nec dubitans ex adverso per te tuumque consilium fieri omnia quæ humano consilio fieri possent, et oculis tuis et huic calamo plusquam annuas inducias dedi, quamquam non sine mœrore animi tempus labi cernerem, et tranquillitatem multorum interim populorum prolatando aut procrastinando differri. Sed difficultatum obice impossibilitati proximo, ut dixi, tarditatem excusabam. Nunc tandem præparante divina providentia vias tuas, et fidelis populi salutem misericorditer ordinante, ita dispositus est Italiæ tuæ

status, adeoque fervens expectatio, ut dilationem ipsam, quæ gloriosis primordiis intercessit, eidem providentiæ adscribam potius quam fortunæ, quo scilicet immensum exoptatissimi principis mora brevis ardorem publicum excitaret. Iam vero bonorum animos ardere amplius non posse, tibi persuadeas velim; verendumque ne, quod natura rerum fert, incendio sensim tepor obrepat, nisi generosis flammis, quas tuum nomen accendit, præsentiæ tuæ alimenta præbueris. Cum itaque, quod neminem omnino te melius nosse reor, eo res perducta sit ut neque maiestas tua, salva gloria, Cæsareum differre possit adventum, neque mea devotio, illæsa fide, cœptum diutius tenere silentium; loquor ecce iterum ad dominum meum, et, nisi piget, ad cunctorum dominum loquor, simplicitate quantalibet, sed fide purissima: et loquor non novi aliquid, sed quod notissimum tibi et ab omnibus amicis imperii romani vel consultum iri scio. Non enim id ago ut doceam, sed ut mea fides suo fungatur officio: ideoque rem non nitor adornare coloribus, sciens ut coloratis fictisque mendacium, sic veritatem apertis ac simplicibus delectari. Simpliciter igitur et aperte pro honore imperii, pro salute Italiæ, pro consolatione urbis Romæ, desolatissimæ sponsæ tuæ, pro amicorum studio, pro subiectorum commodis, pro quiete laborantium Christianorum, pro maturando negotio Terræ Sanctæ, pro adipiscendo in terris præclarissimæ ac immortalis famæ præconio, pro æterna beatitudine post huius fugacissimæ vitæ miserias promerenda, oro, precor, obsecro, toto nunc animo genubus tuis affusus, quatenus occasionem res maximas atque optimas gerendi cœlitus oblatam incun-

ctanter arripias, reiectisque curis omnibus, quæ gressus tuos a tam pio itinere retrahunt, moram tollas, claris semper exordiis nocituram, ac tuo egentem auxilio quam primum invisere velis Ausoniam. Optato succedunt omnia: noli unus deesse fortunæ: quod si facias, ingens posteritatis odium nec minorem tibi conflaveris infamiam. Vix equidem optare, vix verbo exprimere potuisses tam facilem fati viam. Putas ne perpetuum hunc favorem? Ut vehemens, sic volubile fatum est: non humano quidem ingenio sed suopte volvitur arbitrio: nullus status, nulla facies rerum durat. Non tu idem semper eris, neque hæc tibi semper occasio. Intelligis, providentissime princeps, non tantum quid loquar, sed quid cogitem. Præsentem Tusciæ statum vides; ubi plurimum rebellionis avo tuo aliisque retro principibus fuit, illic tibi plurimum erit obsequii. Utere rerum mutatione felicissima, sortemque tuam ne neglexeris. Brevitatem ac fugam vitæ mortalis ante oculos habeto, et instabilitatem rerum, et fortunæ vim, cuius natura est ut audentibus atque sollicitis faveat, timidos pigrosque reiiciat, et, ut sapientibus placet, retro calva esse cum soleat, frontem habeat capillatum.

Pluraque scripsi olim, et plura nunc scriberem, nisi quia sapientiæ tuæ etiam pauciora sufficiunt, et devotioni meæ utcumque hoc breviloquio satisfactum est. Vale, magnanime Cæsar, et propera.

EPISTOLA II.

FRANCISCUS PETRARCA NICOLAO ACCIAIOLO REGNI SICULI MAGNO SENESCALCO S. P. D.

Alumnum eius regno potitum gratulatur: et illum moribus artibusque, quæ regem maxime decent, informandum suadet.

Iam tandem, vir clarissime, perfidiam fides, avaritiam largitas, superbiam vicit humilitas: iam charitas odio, desperatio spei cessit, perseverantiæ difficultas. Iam sub malleo veritatis pertinax mendacium et mendax obstinatio votis tuis obstantium fracta est. Immortale bellum est inter invidiam et gloriam, inter nequitiam et virtutem. Gratias illi qui est *dominus virtutum et rex gloriæ*, quod, eo duce, in præsenti certamine victa parte deterrima, cuius sæpe contrarium videmus, optima pars triumphat. Ecce nunc unica tua cura, gloriosissimi Siculi regis vertex, negatos honores, invito livore, suscipiet. *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet.* Ipse autem solito augustior, multumque serenior avito solio residens, pulsis Latio mœstitiæ nubibus atque imbribus lacrimarum, orbem nostrum fronte siderea et stellanti diademate serenabit, ereptam restituens regno pacem tranquillitatemque populis exoptatam. In quam rem, ut fecisti hactenus, mundo notissimum tuum illud ostendes ingenium, eoque vigilantius, quo maioris est laudis iuste modesteque regnum regere, quam feliciter adipisci. Nunc siquidem tempus est ut omnes animi tui vires colligas, atque ingentibus negotiis accingaris. Nihil est actum, si

quid Cæsarei moris habes, cum et multa supersint, et supremam tua celebris gloria manum poscat. Vidimus te adversæ fortunæ magnificentissime reluctantem: iam cernimus te victorem. Sed en totiens victa revertitur aspectu mitior et auratæ cassidis, ut ita dixerim, fulgore suavior. Vicisti adversam; prospera redit in prælium. Quid putas? Mutata sunt arma, non hostis; et tibi quoque novo armorum genere opus est. Nolo enim æstimes minus esse negotii quando hostis est blandior. Nullum insidiosius bellum est, quam ubi blanditiis credulitas oppugnatur. In arcto quidem egregie rem gessisti: qualem te in aperto exhibeas, expectamus. Multos in angustis indefessos campestris pugna lassavit, multos in adversitatibus fortes viros fortuna prosperior stravit. Hannibal Cannis victor, victus est Capuæ, et ardorem, quem Trebia glacialis accenderat, tepor extinxit. Sæpe pax periculosior bello fuit. Multis nocuit adversario caruisse. Quorumdam virtus otio latuit, quorumdam vero prorsus emarcuit, locum submoti hostis occupante luxuria. Nulla homini pertinacior lis est quam cum animo moribusque suis. Nusquam minus induciarum. Intra murum pugna conseritur; hoc genus hostium bello languidum, pace fervidum experimur, et sub toga plus ausurum quam sub galea. Ut cæteras gentes sileam, Romanos bello indomitos et omnium gentium victòres pax tranquilla perdomuit, et ut quidam illius ævi scriptores elegantissime lamentantur, victum orbem victorum victrix luxuria ulta est. Quod præsagire videbatur Scipio ille, vir optimus a senatu habitus, dum tam enixe, Catonis sapientissimi licet senis adversante sententia, deleri Carthaginem prohibebat, non quod il-

Iam parcius odisset, sed *ne*, ut ait Florus, *metu ablato æmulæ urbis, luxuriari felicitas nostræ urbis inciperet*. Qui utinam consilio valuisset, mansissetque potius nobis cum hostibus et cum Carthagine, quam cum vitiis et voluptate certamen. Meliori loco res starent, ut puto, rariusque pugnatum esset, et crebrius triumphatum. Quorsus hæc? forsan interroges. Quia scilicet multos auguror futuros quibus quiescendi iam tibi tempus esse videatur. Mihi penitus diversa mens est: si me audire volueris, scies unum esse laboris et vitæ finem, tibique et omnibus claris viris usque ad extremum spiritum vel cum visibili vel cum invisibili hoste luctandum fore. Quin etiam (vide quantum a communi opinione dissentio) geminatum tibi laborem et senties et gaudebis. Nullo unquam tempore tam magno conamine consurgendum tibi, tamque supra te ipsum attollendus animus fuit. Ad summa certamina ventum est. Universus orbis intelligat in utraque fortuna qualis quantusve vir fueris: neque tu tantum, sed qui tuis etiam consiliis obsequuntur. Habes regem animo senem, annis adolescentem, cum quo terra marique iactatus es, quem per multa præcipitia, cogente fato, in summum status humani fastigium perduxisti. Ostende illi quibus in hunc fortunæ verticem sit evectus, quibus artibus consistendum sit. Neque tam deinceps enitendum, ut adscendat altius, quam ut adscensu sese approbet non indignum, et hæreditarium sceptrum non magis sanguini debitum, quam virtuti. Non facit virum, sed detegit, principatus; et honores non mutant mores atque animum, sed ostendunt. Persuade illi minus esse regem nasci, quam iudicio regem fieri: esse enim fortu-

næ illud, hoc meriti, doce. Deum colat, patriam amet, iustitiam servet, sine qua regnum, licet opulentum ac validum, stare nequit. Discat violentum nihil esse longævum, et amari multo tutius esse quam metui. Assuescat nihil in terris optare nisi bonam mentem, nihil sperare nisi bonam famam, nihil nisi dedecus formidare. Cogitet quo altior est, eo se clarius videri, eoque minus occultare posse quæ gesserit; et quo potentiæ plus est, eo minus esse licentiæ. Noverit regem a populo non magis habitu differre quam moribus. Studeat, ab extremis æquo spatio discedens, virtutem in medio suam sequi. Cesset prodigalitas, absit avaritia: illa opes vastat, hæc gloriam. Sit sane tenax famæ propriæ, sit parcus honoris, sit avarus temporis, sit largus pecuniæ, et illud romani ducis modestissimum animosissimumque responsum semper in auribus eius sonet: nolle aurum, sed aurum habentibus imperare. Malit subiectos abundare quam fiscum, et intelligat divitis regni dominum inopem esse non posse. Calamitatum semper meminerit ac laborum, quos calamitosa Terra-laboris his temporibus passa est: tunc se felicem, tunc se voti compotem, tunc se vere regem putet, quando criminibus alienis invectas miserias propria virtute discusserit, damna restituerit, ruinas erexerit, pacem confirmaverit, tyrannidem oppresserit, reddiderit libertatem. Inducat in animum amare quos regit: nam et amando amor quæritur, et nullum certius regnum est, quam præesse volentibus. Sallustianum illud dogma regni nunquam excidat animo regis tui: non exercitus neque thesauros præsidia regni esse, sed amicos; eosque nec armis cogi, neque pecunia parari, sed officio

et fide, et quæ in eamdem sententiam sequuntur: concorditer vivendum esse cum suis; concordia enim parvas crescere, discordia maximas res dilabi. Exemplo M. Agrippæ plurimum huic sententiæ debeat, per quam et frater et socius et amicus et rex bonus fiet. Amicitiis post Deum, post virtutem nihil carius habeat: quem semel amicitia dignum duxerit nulla consilii parte submoveat: sequensque Senecæ consilium, omnia cum amico deliberet, sed de ipso prius. Multum fidat, sed non multis: et insistat verum amicum a blando hoste discernere. Veras laudes accipiat ut virtutum stimulos, blanditias coerceat ut venenum. Tarde eat in amicitiam, tardius inde discedat, et, si fieri potest, nunquam: id ipsum non præcipitanter sed pedetentim faciat, et, ut est antiquo proverbio, dissuat amicitiam, non discindat. Qualem præstat, talem ab aliis animum speret, neque a quoquam diligi sibi fingat, quem ipse non diligit. Error iste potentum est. Liberrimi autem sunt affectus: iugum non ferunt, dominum non agnoscunt; nunquam amor nisi amore cogitur. De amico sane nihil mali cogitet, nihil temere cuiquam credat: pellat suspiciones, delatoribus aurem neget, pertinacius instantes arguat, non desinentes puniat. Imperatoria vox est: *Princeps qui delatores non castigat, irritat.* Alexander Macedo, licet impetuosissimus adolescens, eximia tamen fiducia contempsit accusatorem, et felix fuit eventus, ut debuit. Siquidem porrectam sibi potionem a Philippo medico, quem amabat, in manibus habenti, supervenerunt litteræ a Parmenione, quibus admonebatur, Philippum Darii muneribus expugnatum necem eius hosti promisisse: itaque cavendas insidias, et mortiferam potionem.

His ille perlectis, protinus exhausit poculum, et mox Philippo litteras tradidit legendas. Obtrectatores alto animo despiciat, et sic vivat ut eos vel in silentio redarguat probetque mentitos, memorans Augustum rescripsisse Tiberio: *non esse indignandum quod de se quisquam male loqueretur. Satis est enim,* inquit, *si hoc habemus, ne quis nobis male facere possit.* Præclare: alioquin plus haberet homo quam Deus, qui, licet inaccessibilis sit, nec possit offendi, humanis tamen sæpe conviciis attentatur. Hac igitur in re rex tuus exerceat animum atque aures, in qua non tantum huius omnium maximi ac modestissimi principis, cuius modo mentionem feci, sed et Magni Pompeii civis amplissimi, et Pyrrhi regis, et Pisistrati atheniensis tyranni patientia commendatur. Secretum vero suum ab aliis inquiri æquo animo ferat, alienum non magnopere scrutetur. Magni animi est talia non curare. Contra autem prope par utrobique diffidentia. Talis fiat, qualis videri vult. Tum demum in se nihil occultum volet, nec magis horrebit hostis oculum quam amici, nec pluris faciet consilium, quam testimonium æmulorum. Pari fiducia Scipio totis castris exploratores Romanorum atque Carthaginiensium circumduxit: pari animi magnitudine Iulius Cæsar et captum Domitium dimisit, et transfugam Labienum sprevit, rerum licet conscium suarum, et non semel arcana hostium inventa nec unquam lecta combussit. Ad hæc non temere neque fortuito serenissimi titulum sibi impositum arbitretur, sed ut in animum eius, Deo proximum et humanis passionibus altiorem, nulla mœroris nebula, nullus flatus lætitiæ gestientis, nulla pavoris glacies, nullus libi-

dinum terrenarum fumus possit adscendere. Iram in principe turpissimam non ignoret: crudelitatem vero nominari etiam nefas esse, eo funestiorem quo nocendi plura suppeditant instrumenta. Sentiat verum esse quod ait Tragicus:

Omne sub regno graviore regnum est,

atque ideo minaci tumore deposito, communem se subiectis exhibeat, et quidquid in illos statuerit de manu sui superioris expectet. Superbiam, nec minus invidiam plebeium malum credat esse, non regium. Cur enim vel superbire regem oporteret, qui debitor munerum tantorum et tanto sit obnoxius creditori? Vel cur etiam invidere, qui supra se neminem, tam multos autem infra se videt? Veritatem totius fidei fundamentum esse non dubitet, et e mendacio provenire, ut vera loquentibus non credatur: plurimum enim veri parva falsitatis aspersione fuscari. Itaque si credi sibi aliquid cupit, omnia vera loqui in consuetudinem trahat, atque ita linguam instituat, ut mentiri nesciat. Quid enim ridiculosius dicam an periculosius rege mendaci, sub quo necesse est incertam trepidamque rempublicam fluctuare? Stabile prorsus ac solidum verbum esse debet in quo fundata est tantorum spes ac tranquillitas populorum. Cur autem mentiatur cui maxime expediat nullum, si fieri possit, usquam esse mendacem? Cur aduletur qui nullum metuat, nihil speret? quos adulatorum stimulos non improprie videor dicturus. Contra etiam cur se iactet, cum laudare seipsum rebus deceat, non verbis? Cur minetur, cum sola valeat fronte terrere? Cur in quempiam excandescat, cum possit etiam tran-

quillus ulcisci, possit et parcendo vindictæ genus nobilissimum exercere? Caveat præterea immoderatius exultare, occupationes circumspiciens immortales; desinat tristari, honores suos et divinam erga se munificentiam recognoscens. Nulli se negare audeat, cum non sibi soli, sed reipublicæ natus sit. Compertum habeat se res suas agere quotiens subditis opem ferat. Sit æquitate temperatus rigor, sit severitas mixta clementiæ, prudentiæ insit alacritas, maturitas celeritati, securitati cautio, modestiæ iocus, auctoritas levitati; sit in gestu decor, in convivio sobrietas, suavitas in sermone, in reprehensione charitas, in consilio fides, in iudicio libertas, in risu tarditas, modus in accubitu, gravitas in incessu. Sit ei calcar in præmio, frenum in supplicio: ad illud ardenter, ad hoc pigrius accedat; alio vultu superbum hostem, alio civem noxium feriat. Illic exultet, hic doleat: exemploque ducis eximii, suorum scelera invitus, tanquam vulnera, attingat, quæ nisi tracta tractataque, sanari non possunt, ut Livius ait, et cum gemitu ac lacrimis, haud secus quam viscera secet sua: affigatque animo, regem misericordia simillimum Deo fieri, et penitus errasse philosophos, qui misericordiam damnaverunt; magnanimitatem peculiarem regibus esse virtutem, sine qua nec regio nomine digni sunt; humanitatem, si adsit, non virtutem esse hominis, sed naturam; si desit, monstrum potius esse quam vitium. Eo magis regis debitum, quo magis reliquos homines debet excellere is qui primum in hominibus locum tenet, eamque, quæ in hominibus pulchra sit, esse pulcherrimam in principe castitatem; nil pudico rege formosius, nil obscœnius impudico; gratitudinem

mutis etiam animantibus insertam, turpiter humanis abesse pectoribus; eam cæteris ornamento, regi etiam præsidio fore; ingratitudinem regi nervos roburque corrumpere, dum et oblivioso piget obsequi, et ingrati animi voraginem fundo carentem *pertædet* explere muneribus. Denique oneroso honore et honorato se pressum onere fateatur, eumque qui rex fiat, etsi antea fuerit expeditus ac liber, ex illo tamen honestam suscipere, sed laboriosam ac sollicitam servitutem, et sub qua publica sit libertas; vivendumque sibi deinceps exemplariter: exemplo enim regum regna componi; et requiri solere de manibus præsidentum quidquid vulgus erraverit. Nihil sibi proprium velit præter sceptrum et diadema, et quæ hinc oritur curam de salute omnium, gloriosam, sed difficilem ac multorum capitum, hydræque non dissimilem renascenti. Præstet alimoniam ingenio debitam, verecundiam ætati, virtutem generi, imperio maiestatem. Purpuram spernat, contemnat gemmas, despiciat voluptates, et irrideat universa quæ fugiunt; æterna sola suspiciat ac miretur. Arma, equi, litteræ, supellex regia. Pax et bellum, exercitationes regis sint: utrobique romanis artibus regnet, quæ sunt, ut Maro meminit,

pacique imponere modum,
Parcere subiectis, et debellare superbos.

Postremo norit hanc vitam aleam esse magni discriminis, non ad ludum iocumque, non ad iners otium, non ad degenerem luxum, ad nihil aliud demum hominibus datam, quam ut brevi merito æternitatis aditum pandat et famæ materiam sempiternæ. Itaque re-

rum se bonarum docilem præbeat, cupide legat atque audiat maiorum gesta virorum, et exemplorum illustrium sit scrutator sollicitus et fervidus imitator. Illud nominatim demum teneat quod olim ab illo magnifico inimicarum urbium eversore servatum in exercitu numantino, multis deinde romanis ducibus disciplinæ militaris exemplum fuit; ut, sicut ille castris, sic iste urbibus ac regno instrumenta luxuriæ depellat, et mores longa licentia depravatos corrigat, sine quo spes salutis, non dicam victoriæ, nulla est. Hoc ipse ab illo, alia sumat ab aliis, e quibus omnibus perficiat clarum virum; quotque insignia nomina præcesserunt tot sibi magistros vitæ, tot sibi duces ad gloriam datos sciat. Non minus interdum accendunt generosos animos exempla, quam præmia, nec minus verba quam statuæ: iuvat laudatis sese conferre nominibus, et pulchra æmulatio est quæ de virtute suscipitur. Ac ne curiosa inquisitione tempus teram, habeat ante oculos rex tuus, non peregrinum vetustumque, sed recens ac domesticum virtutum omnium, nisi me amor fallit, exemplar idoneum, illustrem ac divinum eius patruum Robertum, cuius quam regno utilis vita esset, mors damnosissima declaravit. Illum intueatur, ad illius gloriam se nitidissimo speculo contempletur. Ille sapiens, ille magnanimus, ille mitis, ille rex regum erat. Illum ut tempore, ut sanguine, sic animo sequatur et moribus. Sæpe enim cum cæterarum rerum, tum præcipue ingeniorum imitatio felix fuit. Iam bonus est qui fieri bono similis studet. Multa dixi, sed pro magnitudine rerum pauca, plura etenim sunt quæ restant. Tu quidem prope omnia, præclarissime vir, humeris tuis sentis incumbere; ve-

rum magno moribus, nihil est arduum, nihil durum, nihil grave, nisi non amari. Id tu causari non potes, de alumni tui amore iudicioque certissimus, duxque et auriga conciliorum eius. Non Chiron Achilli gratior, non Palinurus Æneæ, non Philoctetes Herculi, non Lælius Africano. Eia ergo, perfice quod cœpisti; omnia fert enim charitas, omnia vincit amor. Profecto autem qui gloriæ partem petit consequens est ut sollicitudinis partem ferat. Aurum profunde foditur, de longinquo vehuntur aromata: thus Sabæis sudat arboribus: muricem Sidon, ebur India, margaritas mittit Oceanus. Difficile paratur omne quod in pretio est: non est quæsitu facile pretiosissima rerum virtus; auro splendidior fama est, labore quæritur, studio detergitur, diligentia custoditur: rosa inter spinas habitat, inter difficultates virtus, inter curas gloria. Illic dignus periclitandus est animus. Hunc tu igitur gloriosissimis accinge primordiis: dum enim consummasse putas omnia, incipies; hunc optimis et regis et reipublicæ curis exerce, quibus exagitatus, et felicius hic aget, et postquam hinc abierit, Cicero opinatur et nos scimus, velocior ad sedes æthereas pervolabit. Vale, patriæ decus ac nostrum.

X. Kal. Martii. Avenione 1350.

EPISTOLA III.

FRANCISCUS PETRARCA ZENOBIO GRAMMATICO FLORENTINO S. P. D.

Hortatur ut, despectis grammaticæ scholis, ad sublimiora mentem erigat.

Ille vir clarus, quem certatim gaudent et genuisse Florentia et Neapolis possidere, cuius humeris ad gloriam, ut Herculeo quondam vel Atlanteo cœlum vertici, non ad pœnam, ut giganteis Ætna cervicibus, incumbit nunc ingens trinacrii regni moles, ille, inquam, manu sua mirificæ humilitatis simul et humanitatis epistolam scripsit, cuius una pars in hanc ferme sententiam scripta erat, ut, post dictam mihi honorificentissimam salutem, super eo quod ad litteras meas non respondisset, urbana excusatio sequeretur, culpam omnem in Nicolaum Alifiensem, Barbatumque meum reflectens, qui sæpe requisiti, auxiliare sibi calamum denegassent. Atqui ego ab homine magnas res agente verba magnopere non requiro. Scio tamen, quamvis ipse de se humilius sentiat, eum, si respondere velit, aliena ope non egere. Illud autem, fateor, multo gratius fuerit, si more suo lingua taceat, res loquantur, et, calamo quiescente, mihi clarissimorum operum fama respondeat. Neque enim id scribendo egi, ut eloquentiam viri illius, sed ut magnificentiam excitarem. Altera erat, ut te moverem iam tandem, ut scholas grammaticæ dimitteres, neque totam vitam in Donati regulis, ut verbo eius utar, amitteres. Duo hæc in illius

tanti amici litteris, alterum mihi dictum, alterum ad te præsenti calamo, cui hac in re plurimum fidit, perferendum legi. De quo, licet in rebus humanis nil difficilius sciam quam consuetudinem radicatam repente convellere, sententiam tamen meam tuo utendam arbitrio paucis accipe. Sentis, acutissime vir (quis enim non sentiat quo assidue premitur?) sentis illud grande discrimen, illud grave negocium, quod intrantibus viam vitæ huius obiicitur. Longum iter asperumque, breve tempus adversum, dexterior trames arduus, angustus, vepricosus, scrupeus. Ea nobis ad veram vitam semita est: at læva *malorum exercet pœnas, et ad impia tartara mittit*, quod nec Maro noster ignorat, nec Pythagoras ignorabat, dum Cadmi vestigiis insistens, scripturæ supervacuam, sed vitæ utilem litteram in incude ingenii mallearet. Bicornis et exemplaris littera dextro cornu arctior tendit ad sidera: lævo latior in terram curvata reflectitur; ea, ut aiunt, ad inferos est via, et illa quidem incessu lætior ac dulcior, exitu mœstissima atque amarissima est, cuius omnino nil possit miseriæ superaddi. Dextrum vero iter ingressis, ut labor ingens, sic finis optimus. Sed vix unquam satis exacta custodia esse potest, et pæne quidquid cautionis aut diligentiæ adhibetur, minus est quam oportet pro qualitate periculi. Tot passuum horrenda, tot perplexa, tot lubrica, tam multæ dehortantium, tam multæ detinentium ac retrahentium rerum formæ! Atque utinam vel summa temporis parcitate, et inutilibus sarcinis abiectis, inter tot adversa nudi expeditique, quem destinavimus terminum apprehendamus. Miraris quod ita velim te notissimorum exaggeratione discriminum

deterrere. Ego vero quam longissime terrores cunctos a meo, meorumque pectoribus abesse cupio, idque omnibus modis ago: et ob eam causam in primis philosophiam amo, non illam loquacem, scholasticam, ventosam, qua ridiculum in modum litteratores nostri superbiunt; sed veram, et non in libris tantum, sed in animis habitantem, atque in rebus positam, non in verbis, cuius illud præcipuum munus reor, Tusculanis disputationibus insertum, quod scilicet medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Quid ergo? Ita pellendus est timor ut cautio non pellatur. Ut enim timidum, ignaviæ; sic incautum esse, dementiæ est. Putasne autem in hac via subsistere licitum, aut vagari, aut divertere, propriisque vix usibus suffecturum ingratis pueris tempus impendere? Cum molesto, tum infinito negocio addictus es. Ubi istos erudieris, emergent alii, nullusque unquam erit finis, in nostra urbe præsertim, omnis sexus et ætatis maximeque puerorum feracissima, ut saxis truncisque seu vento genitos, aut Italos dicas esse Mirmidones. Crede mihi: ad aliud, nisi dissimulas, natus eras, maiusque tibi clariusque negocium debebatur. Ut pueros doceres, fortuna quidem esse potuit tua: natura profecto, dum te in lucem educeret, ad aliud cogitabat. Illi parendum ut duci aut genitrici optimæ; fortunæ, ut hosti, libera contumacia resistendum. Dicet autem quispiam: ingrate agis, qui eruditionem a patribus acceptam posteris refundendam neges, et quando in eisdem individuis non licet, in eodem genere humano gratitudinem exercendam. Ego autem nihil minus hominis puto quam amoris aut beneficii oblivisci, vicemque non

reddere, cum possis. Verum altius aspirare suadeo. Quibus id ex alto permissum est, videas ex libris. Maiorum ingenia Pieriamque de illorum ardoribus flammam concipe; ostende te vicissim posteris et illos accende; hoc ingenio tuo debitum, hoc age. Pueros doceant qui maiora non possunt; quibus sedulitas operosa, mens tardior, udum cerebrum, ingenium implume, sanguis gelidus, corpus laborum patiens, animus gloriæ contemptor, lucelli appetens, negligens fastidii (cernis quam procul hæc a moribus tuis absint). Hi puerorum manus instabiles, oculos vagos, et confusum murmur observent, quos labor ille delectat et pulvis, et strepitus, et sub ferula gementium clamor precibus mixtus ac lacrimis, quibus repuerascere dulce est, quos pudet inter viros versari, piget inter æquales vivere, iuvat præesse minoribus, semper habere quos terreant, quos crucient, quos affligant, quibus imperent, qui eos oderint dum metuant. Tyrannica ista voluptas est, et quæ ferocem Syracusii senis animum permulsit, ut memorant, indignum dignissimi solamen exilii. Tu autem, vir modestissime, melioribus incumbe vigiliis. Quales erant qui nos prima ætate docuerunt, tales sint qui doceant iuventutem: quales fuerunt in nos qui animos primum nostros exemplis pulchrioribus erexerunt, tales simus in posteros. Anne cum romanos duces Ciceronem ac Virgilium sequi possis, plagosum sequi malis Orbilium? Adde quod nec grammatica nec septem ulla liberalium artium digna est, in qua nobile senescat ingenium. Transitus est ille, non terminus. Egregium viatorem nec viarum asperitas terret nec mulcet amœnitas, et montem hispidum transit, et prata

virentia: totus in finem prominet. Pulchrum spectaculum argutulus adolescens: elementario sene nil turpius, nec doctis senibus placet. Præstitisti illud: hoc caveto ne præstes: melius puerum mori, quam inter puerilia senescentem vivere. Compaterer quidem tibi: sed bene habes: integra est ætas, et adhuc mutandi consilii tempus habes. Illis sine consolatione misereor qui ætatem prope iam totam in hoc gymnasio consumpserunt, quales mihi duos alit amicos cisalpina Gallia, claros viros, sed obscuro exercitio semper oppressos. Tibi vero etiam gratulor qui illud eximium patriæ nostræ sidus tam propitium experiris. Ille enim unus vir est, qui inglorio labori finem imponere velit et valeat. Surge: ille te vocat, surge, circumspice, teque ipsum nosse incipe, et æquam viribus assume materiam. Quid enim agis, oro te, pueros docens? Reipublicæ negotium agis. Age, sed te dignius: sed melius pueros docebunt, qui similes sunt illis. Ut enim vos dicere soletis: in similibus facilis et prona transfusio est. Tu fac potius quod viri probent, quam quod pueri mirentur. Quæ natura discrevit, cur confundis ingenia? Graio consilio moveamur: *quam quisque norit artem in hac se exerceat:* cui illud addiderim, ut qui plures novit, eam præferat in qua gloriosius se exerceat. Vale.

Kal. Aprilis. Avenione.

EPISTOLA IV.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

De suavitate amicitiæ: de sua in negociis Abbatis Vallis Umbrosæ procuratione: de Pontifice ægrotante. Se invitum Avenione morari, eaque de re carmen ad eum scripsisse: de laude tandem poetarum studio ipsi quæsita.

Miris animum meum modis tuum serenat eloquium. Magnum speratæ felicitatis indicium, eius, inquam, quam post huius miseriæ terminum præstolamur, cum multa, tum præcipue dixerim gaudium illud quod ex amicorum mutuis affectibus et exoptati convictus iucunditate percipimus. Si enim amicos vel audire vel cernere usque adeo delectat, quid futurum rear ubi illum videbimus, qui et nos et amicos et ipsum amicitiæ nomen fecit? Si se ipsum quisque, sique alios tam obnixe amat, si prætereuntibus tam iucunde utitur; qualiter is amandus, fruendumque illo erit, qui cuique nostrum et quod amet et quod se fruatur, animam, dedit? Sed ineffabilis atque immensa res est et solo difficilis cogitatu. Ad nostra descendo. Amici mei, quem tuum fieri velle dignatus es, de quo quæris negocium pendet adhuc. Is quidem unde auxilium sperabatur (et, si honestum omne promissum est debitum, forte etiam debebatur), abbas scilicet Vallis Umbrosæ per umbram fuscæ caliginis et simplicitatis insulsæ, inoffensa viri sanctitate dixerim, videtur mihi, quid decori proprio, quid famæ conveniat non vidisse: quippe non unum est militis et ducis officium, et sæpe cuius fuerat ani-

mosa militia, ductus apparuit inconsultus. Excellentissimi verbum ducis est, imperatorem se genitum esse non bellatorem. Et hic noster, ut audio, eremita fervens fuit; ut video, abbas est tepidus. Ut libet tamen, sua res agitur. Ego enim hinc præter laborem nihil vel expeto vel expecto. Litteræ forsan poterunt prodesse, quas ab eodem nuper extorsit charitas tua. Idipsum tamen in manibus fortunæ situm erit, ut magna pars rerum. Optimus et suavissimus præsul noster magno nisu adiuvat, et bonam spem habere iubet, credo plus fidei mihi habens quam abbas memoratus, qui forte tam sanctus est, ut omnes alios cœlestes putet. Talis, quem scire postulas, illius negocii status est. Sed enim qualemcumque iam pridem res exitum invenisset, nisi obstitisset morbus pontificis maximi diuturnus ac gravis, quo, ut vides, imperatorum et regum negocia retardantur. Ideoque parcius indignor hinc mihi quoque longioris moræ causas traxisse fortunam; sed indignor tamen. De qua re carmen tibi breve iam scripsi, quod ideo nondum mitto, quia ut ex ordine huius inextricabilis ergastuli mentionem facerem, de quatuor veteribus labirinthis prius unius mentio facta est, et de ordine dubito, neque modo quos consulam libri adsunt, et parum fido memoriæ. Proinde quæ prædulciter de amicitia tua scribis, qua non me solum, sed omnes et qui mihi cari sunt, et quibus ego sum carus, ardentissima charitate complecteris, meque post Alpes ac maria plusquam lynceis oculis, plusquam aprinis auribus, insigni quodam et vulgato amantum privilegio, absentem absens audisque videsque, immo vero ubilibet præsens es, etsi te tacente nota sunt, mihi iuvat tamen

audire, nec parvum prosperitati meæ cumulum accessisse arbitror ex eo die, quo me sic amare in animum induxisti. Sub epistolæ tuæ finem graviter admodum verecundeque scriptum erat te vulgo vilem, si lectio et familiaritas poetarum, quibus unice delectaris, in vulgus eruperint, tibi vero vel tacita conscientia cariorem. Utrumque collaudo quod populares ineptias et noscas et calces. Illud prudentiam, hoc nobilitatem animi tui decet. Verum et hæc quoque maior res est quam ut a prætereunte tractanda sit, et modesto, nisi fallor, obruenda silentio, ne aut ocium nostrum iactare videamur, aut ignorantibus insultare. Restat ut amicos salvere iubeas, quos nominare non attinet; nosti cor meum, quibus in locis habitat. Raros habet hospites, sed fidos. Vale felix, et temne vulgaria.

Idibus Ianuariis, super flumina Babylonis.

EPISTOLA V.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

Quam sit difficile animi sensus oratione pandere: quam sibi dulce ab eo præter meritum diligi et in pretio haberi: cur carmina ipsi dicata nondum miserit: Pontificem denique bonam spem de valetudine sua præbere.

Iam celerans die inscripto epistolam claudebam, dum ecce nuntius alter, et epistola tua recens tantum priore dulcior tantumque suavior, quantum *tempore cre-*

scit amor, nescitque consistere, non magis quam, ubi ille habitat, anima, cuius, ut Platoni placet, perpetuus motus est. Quid ad hanc dixerim? Multa mens loquitur, ad quæ disertissimorum etiam lingua non sufficit. Et ciceroniana facundia, sicut ego opinor, in illius pectore clarior fuit quam in auribus audientum, et Mantuani vatis altior ingenio musa quam calamo. Magnas res æquare sermonibus, et verbis arte contextis animi faciem latentis ostendere, is demum, puto, supremus eloquentiæ finis est, cui dum humana mens inhiat, sæpe calle medio victa subsistit. Ecce ego nunc aliquid, quod aures impleret tuas, optarem dicere. Exemplar in animo est, nec valeo tamen (mira linguæ mortalis imbecillitas!) ad te perferre quod cupio. Sed bene habet: ipse animum meum vides, et quod ibi scriptum est perlegis, vocesque conceptas, vel in silentio, exaudis: et, quod de paucis spero, quidquid tecum loquor non tui instructio, sed levamen animi mei est. Id sane stilo quolibet fieri potest. Non tibi ergo, sed mihi, sed aliis, dicta sint hæc. Equidem quo te sæpius intueor, eo magis et miror et amplector et diligo, eoque magis a te diligi gaudeo, tuoque iudicio, mihi ipse sum carior, defectibusque meis interblandior, quasi nunquam tibi tali viro possem esse tam carus, nisi aliquod in me lumen animi vidisses, quod ego qui vicinior sum, fateor, non video; neque, si acrius intenderis, te visurum arbitror, nisi quia verissimum est, quod qui amant *ipsi sibi somnia fingunt*, ut Virgilio Maronem et heroico pastorium carmen obiiciam. Quid vis? Errore tuo felix sum: quæ cum amicis fere omnibus mea sors est: nullius tamen error animo meo gratior quam tuus, nullusve quem ma-

gis sempiternum velim. Simul enim et quo æquæva erit amicitia, hoc mihi, non dubito, præstabit amor tuus, hoc ingenium meum. Utar enim fortuna enitarque pro viribus, ne unquam nubes excidat qua silvæ medio tibi circumamictus apparui. Hactenus hæc. Forensem tuum, immo meum, immo nostrum, ut ait ille, virum per se amari dignissimum, tota, ut iubes, mente suscipio. Utinam aliqua mihi tandem aliter quam verbis retegendi animi detur occasio, vel si fato vetitum est, utinam, æque ac tu, animum ille tacentis intelligat! Et faciet, spero. In versiculis autem ad te scriptis, quos tam ardenter efflagitas, scito Plinii Secundi consilio opus esse, quem Italia excedens in patria sua, Veronæ scilicet, ingenti virorum illustrium comitatum acie, dimisi. Hic mihi Plinius nusquam est, nec alteri, quod equidem ego noverim, nisi romano pontifici. Is autem, fando audisti, ab ipso mortis vestibulo, quo dudum præcipitanter accesserat, nunc pedetentim redit. Cum pervenerit ad salutem, quamvis senibus ultima corporeæ spes salutis in morte sit; ubi tamen utcumque convaluerit, quod iam factum esset, ut puto, nisi medicorum turba loquacium vetuisset, divitum pestis non minima, sed extrema, tunc Plinio eius parumper inspecto, confestim voluntati mos geretur tuæ, et illud, in quo quidem valde, ut in rebus meis omnibus, spe et opinione deciperis, petitum promissumque carmen accipies et dices: sic est ut audiveram; multo plus est in expectationibus, quam in rebus. Vale memor nostri.

XV. Kal. Februarii.

EPISTOLA VI.

FRANCISCUS PETRARCA PHILIPPO EPISCOPO CAVALLICENSI S. P. D.

Queritur sibi de eius in urbem Cavallicensem adventu nihil fuisse renunciatum.

In Helicona nostrum transalpinum, qui est ad fontem Sorgiæ, iam senescentibus musis sacer, venire, ibique me sine quinque dies agere potuisti? Nec venit in mentem, pater amantissime, dum ego absum, vel amœnissimis illis locis vel animo saltem tuo, ut a me afficitur, deesse aliquid quod suppleri facillime potuisset, cum essem adeo propinquus ut pæne vivis possem vocibus excitari? Quid igitur rei est? An inter tot curarum æstus, breve mihi ruris tui refrigerium invidisti? Sed tale aliquid suspicari prohibet spectatissima virtus tua. An indignum censuisti? Sed id amor notissimus vetat credi, vulgatumque de me tuum, utinam tam verum quam mite iudicium et indulgens. An me vocatum venire nolle credidisti? Sed quando, quæso, hanc superbiæ suspicionem merui? An vero labori meo, an occupationibus pepercisti? Quod si ita est, nimis me segnem aut terrenis æquo tenacius inhærentem æstimas. Pace sit dictum tua: quocumque me verto, nescio quid occurrit quod me mirari cogat hoc consilium tuum. De te ergo apud te ipsum quererer, nisi iniuriam mihi illatam in libellis nostris qui ibi sunt, ut litteræ tuæ testantur, prædulciter emendasses, quibuscum fuisti diebus et noctibus tam familiariter. Id stu-

pendum, quod cum inter sanctos et historicos, interque philosophos et poetas nobilissimum illud tuum versaretur ingenium (tanta vis amoris est), opuscula, sive ut dicam verius, nugas meas singulari quodam desiderio flagitares. Verum ita est natura, ut vehementius nostros deformes, quam alienos formosos filios diligamus, nec inepte ab illaudato licet poeta dictum est: *suam cuique sponsam, mihi meam; suum cuique amorem, mihi meum.* Tu quoque nunc, pater optime, in iudicio rerum mearum non quis ego sim, sed quem tu coniectas, attendis. Sane quod aliquos ex libellis memoratis optare te, sed iniussu meo nolle eos asportare, villicus meus refert, nescio quem torporem ardori tuo mixtum indicat. Utere, quæso, in me, inque meis reculis iure tuo. Postremo noveris, me communem dominum Albanensem cum tuis litteris adiisse. Cuius responsio est: gratum se habere quod scribis; cæterum eo se animo esse, ut unquam romanum pontificem in rebus propriis non fatiget. Videtur mihi humanis cupiditatibus excelsior votis suis modum posuisse, nec tam fortunæ suæ quam animo gratulandum. Rumores alios nosti. Rex siculus dilatum diadema percepit, interque eum et hungaricum regnatorem pax, ut æterna, conveniet. Papa noster a morte revertitur, quamvis redeundo eodem properet. Ostiensis autem, dum hæc tibi scriberem, animam agebat; quam, dum hæc leges, exhalaverit; qui, ut mihi videtur, matura sibi ac naturæ, sed acerba reipublicæ morte defungitur. Vale, præsul egregie.

Avenione. Kal. Februarii.

EPISTOLA VII.

FRANCISCUS PETRARCA BARBATO SULMONENSI S. P. D.

Litteras eius sero nimis sibi redditas queritur. Laudat Robertum regem et regni sortem deflet. Bene factum esse quod Romæ anno iubilæi simul non fuerint. De Africa sua in præsentiarum se non cogitare.

Dum ad me, pars mei optima Barbate, litteræ tuæ longis anfractibus viam quærunt, et in Galliis latitantem per Italiam sequuntur, annus prope integer circumactus est: ita non solum nostro vivæ vocis, sed mutuæ etiam scripturæ solatio prohibemur. Hoc iuris in nobis habuit fortuna ex quo die nos intactos præteriens glutinum nobis suavissimum atque dulcissimum inimica mors rapuit, regem siculum, quo nihil maius, nihil ornatius tulerat ætas nostra. Ille qui nos vivens animo copulaverat, corpore disiunxit moriens, totumque propositum vitæ nostræ mœsta rerum mutatione prævertit. Omittamus autem tractare quæ retractari vetat inexorabilis lex naturæ, et tacita patientia feramus quod gravius fit lamentis. Rex noster cœlo dignus erat: tali rege tellus indigna. Sibi requies post laborem: nobis post risum lacrimæ, dolor post gaudium debebantur, unoque actu, et ipse suo iungendus auctori, et nos eramus ab invicem segregandi. Quam rem brevi nuper carmine questus sum, quod in epistolis tuum nomen habentibus proœmii locum tenet. Eodem consilio illam epistolæ tuæ partem transeo, ubi patriæ statum, miserias verbis æquantibus pie prorsus ac

miserabiliter deplorasti. Nam et nihil est quod tuis querimoniis addi queat, et vereor ne prurienti ocello confricatio sit molesta, neve, si semel incepero, nullum res exitum inveniat. Id quidem quod non in ultimis adversitatum numeras, ut me Romæ non inveneris, divinitus factum reor, ne, si congredi licuisset, non templa Dei devotione catholica, sed urbis ambitum lustraremus curiositate poetica, non animæ curam agentes, sed negotium litterarium: quod licet sit iucundissimum pabulum intellectus, nisi tamen ad unum verum finem redigatur, infinitum quidem et inane est. Poteras sane, si tarditatis meæ meminisses, mentis augurio prævidere, quod me Romam non iubilæi principium, sed finis adduceret. Quod ipsum petitioni tuæ responsum sit, ut scias, me de Africa nostra, quam iure tuo postulas, non mutasse consilium: si enim unquam in lucem veniet, noli de fide promissi dubitare: tuum ante omnia limen petet. Verum illa et morositate hospitis et innumeris fortunæ repagulis detinetur. Quæ si cuncta cessarent, tum satius visum est, illam domi manere et cum ætate concoqui ac maturescere, ne, si ante tempus exisset, pomorum more quæ immatura ramis decerpuntur, asperior evaderet, nec ferret ætatem; præsertim cum nec reditus esset semel in publicum egressæ, et ingenii mei incredibilis mutatio in dies fieret. Dehinc forte aliud consilii capiam, incumbamque lima ultima: nam et multa quæ remorabantur, ablata sunt, et ego, ni fallor, iam sum quidquid ut essem ex alto permissum erat; quamvis usque ad novissimum vitæ diem progredi non desinam, quantum sinar, nec desperem pigro etiam magisterio senectutis doctior ac melior fieri,

quotidieque aliquid addiscens senescere. Si quo forsan studio coaptare mihi valeam quod de se ipso senex ille sapientissimus gloriatur, nitar certe. Idque liberius me facturum, feliciusque successurum spero, cum passiones ex animo radicitus avulsæ fuerint, penitusque omnes exaruerint, quibus iam, Deo gratias, interpellor parcius. Reliquum est ut quod in terrena urbe nequivimus, nos in cœlesti Ierusalem, si aliter non sinimur, videamus. Vale.

X. Kalendas Martias super flumina Babylonis.

EPISTOLA VIII.

FRANCISCUS PETRARCA IACOPO FLORENTINO S. P. D.

Se ad fontem Sorgiæ beate vivere et Ciceronis lectione quam maxime delectari.

More meo nuper in Helicona transalpinum urbis invisæ strepitum fugiens recessi, unaque tuus Cicero attonitus novitate loci, fassusque nunquam se magis in Arpinate suo, ut verbo eius utar, gelidis circumseptum fluminibus fuisse, quam ad fontem Sorgiæ mecum fuit. Olim puto Narbonam petens loca illa non viderat, quamquam, si Plinio credimus, narbonensis, si hodiernæ dimensioni stamus, arelatensis provinciæ loca sint. Utcumque se habeat provinciarum ratio, fons ille celeberrimus, nec campaneæ Nymphæ, ni fallor, nec siculæ cessurus Arethusæ, repositique ruris dulce silentium, ac solitudo iucundissima, secus iter publicum,

euntibus ad dexteram, redeuntibus ad sinistram, sunt: quod ideo dixerim, ne mireris, si tum viator Cicero diverticula licet amœna non vidit. Nemo quidem prætericns, nemo, nisi certo consilio volens sciensque, eo pervenit, et vel spectaculo fontis illectus, vel studendi otiandique proposito, quod quam sit rarum intelliges, si poetarum vel honestis omnino studiis vacantium animadverteris raritatem. Delectari mihi itaque visus est Cicero et cupide mecum esse. Decem ibi nempe tranquillos atque otiosos dies egimus. Illic enim, nusquam alibi extra Italiam, respiro. Habet autem hoc pretium virtus: et solitudini desiderium, et frequentiæ fastidium demit, vel densissimis turbis insuetam requiem, vel desertissimis silvis turbam nobilium curarum atque illustrium comitum catervam novit inserere. Innumeris claris et egregiis viris comitatus erat comes meus. Sed, ut sileam Graios, ex nostris aderant Brutus, Atticus, Herennius ciceronianis muneribus insignes. Aderat vir omnium doctissimus Marcus Varro, cum quo Cicero ipse vagus academicum rus subibat. Aderant Cotta et Velleius et Lucilius Balbus, cum quibus Deorum naturam acri studio vestigabat. Aderant Nigidius et Cratippus, cum quibus secreta naturæ, mundi principium, atque essentiam rimabatur. Aderat Quintus Cicero frater, cum quo divinationem legesque tractabat. Aderat Marcus Cicero filius, nondum vilis, cui dictabat officia, quid honestum, quid utile, quænam inter hæc ipsa contentio. Aderant eloquentissimi viri Sulpicius, Crassus, Antonius, cum quibus oratoriæ institutionis scrutabatur arcanum. Aderat Cato censorius ille senex, cuius senectutem testimonio commendabat. Aderant

Lucius Torquatus, Marcus Cato Uticensis et Marcus Piso, cum quibus bonorum fines operosa disputatione firmabat. Aderat orator Hortensius, aderat Epicurus. Adversus alterum ciceroniana philosophiæ laus, adversus alterum infamatio voluptatis. Aderant Lælius et Scipio, cum quibus et veræ amicitiæ et optimæ Reipublicæ formam dabat. Ac ne in infinitum rapiar, externi reges aderant romanis civibus intermixti, quos in capitalibus causis Cicero idem divina prorsus oratione defenderat. Quod autem nominatim ad libellum tuum attinet, amice, et Milo defensus, et Laterensis offensus, et Sylla excusatus, et Pompeius laudatus aderant. His equidem aliisque id genus comitibus tranquilla et iucunda et felix rusticatio mea fuit, modo diuturnior fuisset. Mox enim mihi iterum invito uncus iniectus est, retractusque sum ad inferos, unde hæc tibi nunc scribo. Turba fecit occupationum ut nec puero meo libellum tuum transcribendi copia, nec illi iterum redeundi ad te facultas fuerit, neque prius futuram spero, quam ambo pariter in Italiam redeamus: quem diem mihi propinquum spondeo, si Forensem [1] prius nostrum in præfatum Helicona perduxero, quando eum otiosum ac vacuum in his regionibus nactus fuero: ut si quando posthac vel fati vi, vel studio varietatis propellendique fastidii non quidem huc, quod me volente nunquam erit, sed illuc forte retranseam, tanto teste in medium producto, inter amicos patrios excusabilior sim. Vale.

Kalendis Aprilis.

[1] Heic in codice Marciano (Z) manu Jacobi Florentini legitur: *Loquitur de Domino Forense de Donatis de Florentia, qui erat tum Avenione cum domino Angelo de Azaiolis Episcopo Florentino.*

EPISTOLA IX.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

Se curis obrutum tamen ad scribendum amoris vi impelli: ægre nimis in curia adhuc morari.

Nunquam tam obstinato silentio deditus fui, quod facile tua melliflua vox non mihi posset excutere: idque cum sæpe alias, tum hodie sum expertus. Tædio quidem affectus et in primis rerum curialium fessus eram. Accesserant familiares epistolæ ad amicos, concives, ad externos quoque sub idem tempus plurimæ. Quamvis enim invitus, melioribus subductum curis, non exiguum in iis tempus expendo, cogente verecundia, ne aut cum amicis rationem otii non habere, quam habendam Cato censuit, ut nosti, aut omnino spernere videar a quibus ipse non spernor. Tandem igitur iis in rebus magna diei parte consumpta, surrexeram ferias acturus ad vesperam, dum ecce repente tua me dulcis epistola manu prehensum, quod dici solet, retraxit ad calamum, et scribere iussit, ut ait Cicero. Videbam illam responso magnopere non egere, sed iuvabat colloqui et horam fando traducere. Illa quidem tota est amor et charitas et fides et urbanitas et lepos. Multa sunt quibus melius tacendo respondeas. Quid enim, ut omittam cætera, illi faciam particulæ ubi te felicem vocas qui meo tempore vita frueris? Quid suavius, quid amicius dici potest? Id sane de Socrate suo dicere solitus fertur Plato. Atqui, ut multo Socrates fe-

licior Platonis, quam Plato Socratis convictu, sic ego tua multum amicitia felicior, quam tu mea. Verum ista prætereo, quæ nullum, nisi te unum, adversarium invenirent. Ad summam rei venio. Sensi, fateor, nescio quid vivæ dulcedinis epistolæ illius adventu, velut ipse affores, quo nihil animo meo gratius esse posset; nisi quia non sum usque adeo aut mei amans aut tui negligens, ut, quod Æneas patriæ pietati, Orpheus coniugio, Theseus amicitiæ præstitisse narrantur, id te præstare velim, ut scilicet in Tartarum me sequaris, et, ut scriptum est, descendas in infernum vivens. Dii lætiora ferant: malo in cœlum ascendant preces tuæ. Quando, ut soles, Deum, qui te mensa sua dignatus est, familiariter alloqueris, ora, quæso, ut emergam hinc, si qua est via ad superos redeundi. Opto autem ut, quidquid de me fata decreverint, maneas pars optima nostri, et cœlo patrio felix vivas. Vale.

Kalendis Aprilis.

EPISTOLA X.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI DE CERTALDO S. P. D.

Scribit ne oblitus eius videatur, et dolet se adhuc versari in curia.

Ne præteritum te putares omnia feci, ut aliquid mitterem quoque tibi per hunc nuntium: sed sive fuerit brevitas temporis, sive rerum penuria, sive curarum copia, quibus solito nunc gravius premor, sive etiam vivi spes blanda colloquii, teque in proximo re-

visendi propositum, cum satis me excusserim, nihil quod scribi dignum esset inveni, nisi hoc ipsum novi, nihil esse quod scriberem. Nam si hanc, cui assidue intersum, historiam babylonicam aggrediar, frustra erit, quoniam et multa iam in amicorum litteris inserui, et, si quæcumque fert animus explicare velim, deficiet stilus. Si ad mea me vertero, titubabit oratio. Quid enim mihi est certi, nisi quod utique moriendum est? Arguat licet Seneca, qui in simili Ciceronem arguit, in eorum me grege reperio quos statu liberos vocant; nec vivo, nec valeo, nec morior, nec ægroto: tum demum vivere et valere incipiam, cum invenero huius exitum labyrinthi. In hoc modo sum totus: hoc unum ago. Vale, et quidquid habes incommodi, huic collatum exilio, dulce puta.

Kalendis Aprilis.

EPISTOLA XI.

FRANCISCUS PETRARCA BARTHOLOMÆO EPISCOPO THEATINO.

Laudat quod æquo animo pontifex Theatinus renunciari passus sit. Avenionem, unde se divelli non posse timet, valde vituperat. Laudat Nicolaum Acciaiolum et episcopum fratrem eius.

Quod natura procellosum ver tibi se tranquillum præbuit, superamabilis pater, scito fuisse non Æoli, qui, ut ait Maro:

Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit ac vinclis et carcere frenat.

aut Neptuni, cui imperium pelagi sævumque tridentem sorte datum illusa putavit antiquitas, sed Christi donum, cui vere

divum pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento,

qui vere dicto citius tumida æquora placat, nec tantum æquora, sed cœlum regit ac terras, et, qua nulla gravior est procella, nutu solo comprimit animorum fluitantium tempestates, ac passiones eliminans et serenum revehens, non improprie, ut est apud poetam,

Collectasque fugat nubes solemque reducit.

Multarum illi rerum es debitor, in quibus haud extremam dixerim modestiam illam quæ ex litteris tuis cognita magno me gaudio affecit, ubi et Episcopatum tuum tibi suffecturum spondes, et in finem alto, nisi me amor fallit, animo subiungis, nec minus vere quam ad meam sententiam accommodatissime, nusquam te non longe melius quam Babylone victurum. Præclare quidem ac magnifice. Nam et cui rerum optima mediocritas non sufficit, nullæ sufficient opes; et qui semel fastidia huius sacræ urbis expertus est, nisi forte longa consuetudine imis medullis babylonicum virus insederit (quos exceptione hac notare velim, intelligis), nullum toto unquam orbe videbit inamœnum locum: de quo et multa sæpe dixi et plura dicerem, ni vererer non tam huius paludis habitatores, vulgo magnos ac felices, mihi autem prorsus miserabiles ac pusillos, quam me ipsum offendere, qui indignantem stomachum gravi commemoratione et indigestis nominibus exacerbo. Il-

lud siluisse noluerim: quod in Babylone tu non altius ascendisti, magnum tibi divinæ gratiæ, si nescis, indicium. Ascendisses enim, nisi præsidentium moribus dissimilis videreris, quo quidem puto nihil esse felicius. Si ergo ad salutem spectas, libenter hinc exulabis: immo vero libenter in patriam ab hoc exilio redieris: et quisquis ad supernam spectat Hierusalem, dum captivus detinetur super flumina Babylonis, ad amaras salices suspensis organis, flens ac sedens montem Sion cum desiderio recordatur: si qua vero facultas adfuerit, cupide inde se proripit, ut redeat quo suspirat. De reliquo autem quid nisi et ipse post te tacitus suspirem, quod nos, qui tui sumus omnes, præsenti solutos ergastulo cupis in Italia videre? Et profecto, si voto meo Christus annueret, in Italia viverem ac morerer: nunc vero quid sit futurum nescio. Illi, qui quod cupiam et quid expediat videt, et potens est utrumque præstare, illi res fortunasque meas commisi. Hoc te non ignorare non sum nescius, male mihi esse dum hic sum. Sed quid iterum faciam? Magni nunc motus, ut vides, in Italia parantur. Sed illud quoque verum est, malle me in Italia laborare, quam ubi sum quiescere. Isti quidem Arsacidæ, quorum nonnullis me beneficiis obnoxium non nego, vel Babylone vel in Parthia saltem retinere moliuntur: obluctor, et adhuc finis in dubio est. Si vinco, non ante revertentem audies quam reversum. Si vincor, quod nonnisi negandi verecundia puto posse contingere, tamen extra Semirameos muros ero. Ubinam, inquies? Nulla topographia opus est; diversorium meum nosti: scis ubi gallicas æstates agere, ubi lenire soleam transalpina suspiria. Postremo viri illius qui

magni cognomen habet, cum sit maximus, meo nomine parthenopæi maris in litore magnificus apparatus, quem suis primum, mox tuis et litteris edidici, cuius non animum delectet ac mulceat? Apud quem quod mearum, ut scribis, precum favorem senseris, non miror. Sciebam aliter esse non posse. Cuius enim faciem ignoro, novi animum. Gaudeo sane: et sibi vel in litteris gratias agam vel vivis vocibus florentini præsulis, qui vix tandem his vinclis elapsus in Italiam redit: ante tamen Antonii Ægyptii viennense limen adiit ex condicto visurus in reditu nostri ruris angustias. Crastino igitur, ut pollicitus est, ad fontem Sorgiæ poetico excipiendus prandio mecum erit. Vale.

XII. Kalendis Iunii. Ad auroram.

EPISTOLA XII.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

Episcopum florentinum, quem secum pransurum expectabat, fide sibi decessisse queritur: sed epistola nondum clausa, illum advenisse nunciat.

Nusquam tuta fides, inquit Maro; quod verbum quo magis cogito, magis intelligo, et quo longius in ætate progredior, eo verius experior. Fefellit me quem minime putabam florentinus præsul, quo nil sincerius sol videt. Sed hæc mea sors est: nemo non satis idoneus ad fallendum me. Dixerat se ad fontem Sorgiæ

venturum, simul ut locum toto orbe mirabilem, simul ut me et in eo rure vitæ meæ modum cerneret. His conventis, in reditu me visurus, Antonii domum petiit: et ego, quia festinare illum noveram, rus petii, ubi iam antea quidquid natura loci patitur, studio moribus meis adverso, conquisieram, ut eum lautius exciperem quam minores amicos soleo. Quid te moror? Aut poeticum horruit ille convivium, nec memor fuit illius poetici dicti :

> Aude hospes, contemnere opes et te quoque dignum
> Finge Deo, rebusque veni non asper egenis,

nec dignatus est esse ubi rex olim siculus Robertus ævi nostri gloria, et post eum multi vel romulei Cardines, vel terrarum domini, interdum fontis, interdum (quod gloriari tecum non pudebit) me visendi gratia fuerunt; aut, quod cogitare maluerim, nec ego mei generis ultimus, nec fons, ni fallor, inter cunctos primus, digni visi sumus quos modico viæ flexu et vix tribus passuum millibus æstimaret. Atqui, etsi ego tanto hospite indignus essem, ipse tamen fidem servare dignus erat. ..... Sane, dum huc scribendo pervenissem et longius eveherer, ingens clamor in foribus, et Episcopus ipse adest: ut quotidie discam experientia magistra, curas et querelas hominum vanas esse; quod et tu oculis ut videres, hanc iam supervacuam licet ad te litterulam misi. Vale.

Ad fontem Sorgiæ X. Kal. Iunii.

EPISTOLA XIII.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

Nunciat rem Ubertini monachi a se procuratam bene cessisse, eique quod auxilium præstiterit gratias agit.

Ridiculum, rancidulum stomachulo incidens quod Umbrosæ Vallis abbas instabili mihi votorum alternatione pepererat, de quo tecum sæpe, si memini, questus eram, excutere nisus, summa precum vi, quod mihi nunquam fueram, fui aliis ambitiosus, sedulus, sollicitus. Vidisses, iucundum simul et miserabile spectaculum, me solitudinis avidum atque otii, et in silvis errare solitum, mutatis repente studiis, cum ingenti curialium caterva dies totos pontificum superbis liminibus oberrantem, mirantibus amicis, stomachantibus mecum musis. Quid multa? Vicit tandem labor importunus obstinatam duritiem: pridieque kalendas maias, dum ex more in solio piscatoris pontifex maximus consedisset, pleno concilio conscriptorum patrum, amicus noster sub umbra mei nominis, quod illo die in ore maximorum hominum ventilatum atque versatum, multisque, veris utinam, laudibus oneratum fuit, factus est voti compos. Qua in re et amicitia sibi profuit et meritum, sed nil magis quam inimicorum inexorabilis et implacata superbia, et indignatio mea, quæ de segni me vigilantissimum fecerat. Pati non potui tam licenter veritatem mendacio calcari. Id gavisuro tibi nunciatum volui, si-

mul ut gratias agerem; quod enim in te fuit fidelissime præstitisti. Vale.

IX. Kalendas Iunii ad fontem Sorgiæ.

EPISTOLA XIV.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI BARILIO S. P. D.

Hortatur ut veterem cum Nicolao Acciaiolo amicitiam redintegret, et, secundum Platonis doctrinam, animam humanam pro diversis facultatibus diversis sedibus consistere docet.

Mirum dictu ut nil maius, ita nil dari dignius quam quod ex te hodie petiturus sum. Peto autem, vir insignis, ut animum rationi, sive, ut aliter idem dicam, te tibi subiicias, et parere cogas in te deteriora melioribus. Magnifice quidem Plato naturam ipsam studio imitatus, tripartitam animæ sedem comperit, quodque confusum videbatur, divino secrevit ingenio. Is ergo cum distinctis receptaculis iram in pectore, concupiscentiam subter præcordia collocasset, rationem in vertice, velut in arce, constituit, ut moderatricem illam ac dominam passionum vel ipse situs ostenderet. Quod nec poetas nostros ignorasse crediderim; quamvis eam rem, ut solent, secretius exequantur. De quo si quidquid in animo est nitar exprimere, ingens mihi rerum series oboritur, quam nec tempus patitur nec exigit locus. Et supervacuum fuerit iram tibi velle describere, cuius tristes exitus vulgo etiam notos quidam philosophorum integris voluminibus sunt amplexi, præcipue Plutar-

chus et Seneca. Illud tibi brevissime, quod nemo doctus ignorat, inculcandum reor, ubi passiones habitant nubilum esse teterrimum, et horrendas animæ tenebras, ac rationis, ut proprie dixerim, eclipsim. Quod cum de omnibus tum de ira convenientissime dici arbitror. Nihil est enim quod æque tranquillitatem serenitatemque perturbet, nihil ubi tam clara testimonia læsæ mentis appareant: pallor vultus, confusa vox, membrorum tremor, obducta frons, elatum supercilium, ardentes oculi, celer anhelitus: hæc sunt quæ iram in animis habitantem, veluti eductum latebris Cacum, in lucem trahunt ac spectantibus visibilem reddunt. Contra ubi mens rationis imperio subiecta et passionibus libera est, illic immota tranquillitas, illic iucunda serenitas, illic demum humana felicitas est. Oportet igitur, si felices esse volumus, ea felicitate quam recipit vita mortalis, etsi per hanc ad aliam aspiramus, oportet, inquam, illam æthereæ mentis altissimam esse particulam, ut, quod de supremo dicitur Olympi iugo, nulla eam passionum nubes possit attingere. Talem ego tibi animum esse non dubito; naturam quippe moresque tuos novi optime, quodque mihi de te, de magno regni siniscalco aliis credidi. Illum fama, te mihi experientia notum fecit. Non effractam certe, sed parumper, ut audio, dissutam amicitiam vestram acu solidæ devotionis ac tenui verborum filo reparare disposui, ambobus pariter scribens magna fide nec minori fiducia, non in eloquii mei viribus, sed in Dei auxilio et utriusque vestrum moribus spem habens. Quod si secum audeo, quid me tecum prohibet audere? Proinde unum hoc a te, immo vero ab ambobus postulo, ut ad communis epistolæ le-

ctionem faventibus animis accedentes, examinandam petitionis meæ summam in eam partem animi inducatis, quæ, ut dixi, omnium passionum humanarum nebulas supergressa est. Ut valeas opto.

Ad fontem Sorgiæ IX. Kalendas Iunii.

EPISTOLA XV.

FRANCISCUS PETRARCA ZENOBIO FLORENTINO S. P. D.

Laudat quod Nicolai Acciaioli consilio fuerit obsequutus, eique quem pro meritis celebrat, se epistolam dictasse nunciat. Notat exiguum in carmine ab eo admissum errorem. Rogat ut scriptorum suorum defensionem suscipiat adversus invidos, a quibus satis cavere nequit.

Quanti faciam quod a te tanti fiam, haud facile dixerim. Auctor tibi fueram patriam ad tempus, grammaticæ scholas in perpetuum relinquendi. Paruisti dicto prope ocius, nodosque prævalidos, soli natalis affectum et consuetudinis vim magnifice confregisti. Iam tibi debitam libertatem quo serius eo dulcius tenes. Sicut enim nulli servitus amarior quam libertatem experto, sic nulli dulcior est libertas, quam servitutem præteritam recolenti. Secundet Deus omnipotens consilium meum obsequiumque tuum, et faciet, spero. Salutiferam ad umbram consedisti: auctior alacriorque consurges. Apud me certe iam nunc et honore dignior et titulo clarior, neque mihi tantum grammaticus sed poeta es. Litteras illius viri optimi maximi cum tuis accepi, quibus quid faciam dubius sum. Si enim respondeam quod

sentio, quam minime velim, adulatoris effigiem vereor; si minus, ingrati; si aliud, dementis; si nihil, superbi. Respondebo tamen eo ipso sermone quo scriptæ sunt, et illi quidem quod occurret. Tibi de litteris suis hoc unum: nihil, me iudice, suavius, nihil brevius, nihil efficacius, nihil urbanius: ut dubium mihi si quod ante fuisset, hodie nullum sit, magna ex parte naturaliter eloquentiam inesse, aliquantoque in hac quam in reliquis studio minus agi: sed non parva quæstio est, nec huius temporis aut loci. Ad litteras tuas venio. Quod admonitionem meam super exiguo et haud dubie inadvertenter admisso unius tui carminis defectu tam non modo patienter amplecteris, sed gratanter etiam ac læte, facis, ut soles, quod tale decet ingenium; docti et modesti animi notissimum signum præfers. Nunquam profecto vel tu istud diceres, nisi esses talis, vel ego illud meminissem, nisi te talem scirem. In eo sane quod te rerum mearum defensorem ac præconem exhibes, rem facis et mihi necessariam et honestam tibi, sed, mihi crede, non facilem. Multum negocii subis: sed perge, quæso, et ita fac: quamvis enim tu contrarium dicas, et, quoniam persuasor optimus est amor, forte etiam sentias, ego tamen ita sentio, mea omnia et amicorum præsidio egere, et auditorum patientia; nam et fragilia et inculta sunt, et sæpe occupatissimo in aliis animo elapsa. Quod igitur sponte facis, oratus facito; fragilia qua potes adiuva, inculta extolle, sparsa conglutina; primum ingenii viribus, secundum eloquio et vel suavitate vel acrimonia vocis efficies: tertium artificio disponendi. Arma tibi tua, quibus me adiuves ostendo. Nec tibi nec mihi suadeas non esse opus au-

xilio; nunquam enim defuturos arbitror qui ad hoc unum ingeniosi sint, ut alienis insidientur ingeniis. Certe ego nec latebris nec solitudine et otio nec erga alios accurata modestia mereri potui, ut livor hactenus obliquos oculos ab itineribus meis averteret, et feci omnia quæ adversus hanc pestem fieri possunt, nisi unum quod nec feci nec facere est animus, non me somno nec ignaviæ dedi. Præter hoc unum, nescio quid expectet, nisi supremum forsitan vitæ diem; tunc saltem, ut spero, sequacissimum livorem a sepulcri limine pudor arcebit. Age ergo interim, amice, famam meam non sine tua gloria defendes: quem tui animi ardorem, etsi non egerem, laudarem tamen; nunc egeo, ut dixi. Potentes colere vulgaris favor est; ea demum vera magnitudo animi est, opem ferre debilibus. Destitutus reus maiori laude protegitur, et insignis patroni eloquentia maxime ex ancipitis causæ defensione cognoscitur. Unde non sine audientium assensu per grammaticorum testudines sonat ille versiculus:

Addidit invalidæ robur facundia causæ.

Quamvis a Lucano tota illa res ficta sit: neque enim Tullius thessalicis campis interfuit, sed ad perferendum voces ac vota omnium in aures ducis haud immerito ille unus idoneus visus est. Restat ut mihi et huic calamo gratuler si ad integrandam, ut scribis, amicitiam inter magnanimos illos viros tantum ambo valuimus, quantum præter nudam fidem minime merebamur: multumque illis super antiqui meriti cumulum ob hoc ipsum me debere fatear, quod se mihi tam faciles præbuerunt. Quod extremum petis, ut illi viro magnifice li-

berali pro te gratias agam, fiet, quando omnino ita velle te video. Vale.

Ad fontem Sorgiæ IV. Idus Augusti.

EPISTOLA XVI.

FRANCISCUS PETRARCA ZENOBIO FLORENTINO S. P. D.

Quod Nisum et Euryalum inter illustrium amicorum exempla non recensuerit.

Ne quid imperfectum in me tibi displiceat, amice. Loquor autem de imperfectione notabili; alioquin non in me tantum sed in iis etiam qui vulgo perfectissimi feruntur, imperfecta sunt omnia; verissimumque arbitror illud grammatici plusquam grammaticale dictum in humanis intentionibus: Nihil omni ex parte perfectum: nec minus illud lyricum: Nihil ab omni parte beatum. Fateor, me, dum paria illustrium amicorum numeravi, duobus illis illustribus viris scribens, quorum ut gloriam sic amicitiam sempiternam cupio, par unum famosum siluisse: Nisum et Euryalum virgiliano carmine nobiles. Idque non fortuito, sed consulto, factum noris. Primum non mihi cuncta disquirere ac dinumerare propositum erat; neque enim id agebam, sed ut raritate eximia ad imitandum generosos animos accenderem. Aliquot igitur amicorum paria perstringere satis habui, et præsertim plura quam Cicero, qui in eo libro qui vocatur *Lælius* aut *de Vera Amicitia*, tacitis nominibus vix tria aut quatuor ex omnibus sæculis amico-

rum paria numerari ait. Accedebat quod qui amicitiam stabilem inter nostros et felicibus auspiciis reformatam cuperem, quique viros fortes ac virtutum multiplici splendore simillimos alloquerer, Nisi et Euryali brevem longeque imparem atque dissimilem, cum puer esset Euryalus, ad hæc et infelicis exitus amicitiam, ceu dirum omen exhorrui, nec nominatim inserui quibus felix faustumque nihil fuit, nisi profecto Virgilius. Nec Gracchorum calidas amicitias ignoro, aut quid Lucius Rheginus captivo Cæpioni, quid extincto Volumnius Lucullo fideles tribuerint amici; quorum alter pro amici liberatione dignitatis amissionem exiliumque non timuit; alter nihil amico profuturam mortem miserabili quidem, sed ardentissima fide complexus est, ut quem valde dilexerat, ad inferos sequeretur. Scio qualis Publio Cælio Petronius, qualis D. Bruto Servius Terentius; sed in iis amicitiis aut prælata publicæ privata charitas, aut eximia fides finem mœstum inominabilemque sortita est. Nam et Hephæstion Alexandri, præter quam quod nimis imparem nactus videtur amicitiam, in hominem inciderat in cuius moribus non facile consisteret amicitiæ fundamentum, et Achillis nescio quid amicitiæ fuscum inest. Hæc hactenus, si quid forsan admirationis inerat, dicta sint. Illud enim macedonicum par a plebeio poeta celebratum in tanta luce veterum, nec nomine dignum reor, quando omnes iam qui inertem calamum fuscis agimus membranis, non imitatores sed simiæ facti sumus. Tu vale.

Ad fontem Sorgiæ VIII. Kalendas Septembris.

EPISTOLA XVII.

FRANCISCUS PETRARCA MATTHÆO LONGO ARCHIDIACONO
S. P. D.

Narrat canem eius venaticum, postquam ipse discessit, domum suam venisse, et plura de canum laudibus cumulat.

Canis tuus pice nigrior, vento levior, cane fidelior, te digresso, substitit *erravitque via*, quod de Creusa Virgilius ait: nam quod sequitur, *lassum resedisse*, non suspicor. Nullus eum cursus, nulla difficultas, viarum asperitas nulla lassaret, qui volucrem soleat ac pendentem in aere leporem incredibili celeritate prævertere. Generosa quidem animalia labor alit, immodica quies necat. Sic igitur errore procul dubio, non labore retractus ex itinere, et amissis indiciis, qua te sequeretur ignorans, quid mœstissimus ageret? Iret in silvas victum sibi proprio studio quæsiturus? Facile id quidem nulloque poterat labore, nisi natura parens obstitisset, quæ est ut hoc animal procul ab homine non vivat. E cunctis enim animantibus quæ sub obsequio hominis sunt, nullum cane fidelius, ut fama est, nullumque quod serius ab homine divellatur. Accepimus, quasdam gentes in præliis canum acies pro stipendiariis habuisse, qui, quotiens opus esset, fidelissimam operam navantes nunquam prælium detrectarent. Legimus, quosdam canes morti se pro dominis obiecisse, et alios quidem suos strenue ac feliciter ab iniuria defendisse. Alios non minus fideliter sed minus fauste protexisse tamdiu, donec ipsi confoderentur, ut, nisi

cane perempto, nullus peragendæ iniuriæ locus esset. Alios quoque superstites dominis interfectis, sed afflictos vulneribus perseverasse tamen, et quando ab hominum nequivissent, dilectum corpus a ferarum saltem ac volucrum iniuria defendisse. Quosdam dominorum interitum vindicasse: quosdam vero dominos humi obrutos officiosis unguibus effodisse, et interfectores turbæ spectantium immixtos et morsibus crebris et flebili latratu.......[1] prope ad extrema perventum est. Alios, extinctis dominis, cibo usque ad exitum abstinuisse: quod Patavii nuper illi viro optimo, cuius non modo animæ, sed cineri memoriæque, multum debeo, post crudelem illum et lacrimas renovantem vitæ finem, suus canis mihi plane notus præstitit. Nonnullos audivimus sepulcri saxo pertinaciter inhæsisse, nec ante divulsos quam inedia perirent. Alios ardentium dominorum rogos insiluisse atque arsisse cum illis. Mirum a Plinio Secundo ac Solino scribitur Garamantum regem ab exilio ducentorum canum pro se contra adversarios decertantium obsequio rediisse. Miserabilius quod Romæ actum dicunt: canem damnatum dominum, cum ægre posset excludi, in carcerem prosecutum, ac deinde, percusso domino, canem ingenti ululatu dolorem proprium fuisse testatum, demum cum, populo miserante, ad esum invitaretur, oblatum cibum ad os domini sui retulisse: postremo iactatum in Tiberim cadaver, innatando seque dilecto oneri subiectando, sustentare visum esse, non immerito quidem, ut ipsius Plinii verbo utar, *effusa multitudine ad spectandam animalis fidem*. Innumera-

[1] Aperte patet, heic nonnulla verba deesse, quæ in florentinis codicibus desiderantur.

bilia sunt caninæ, ut ita dixerim, fidei argumenta. Te igitur amisso, quo sese verteret canis tuus, qui naturæ dominique memor hinc solitudinem horreret, hinc alienigenæ cuiuslibet dedignaretur imperia? Quod unum restabat misero, notam domum repetiit, ubi sub te læte vixerat, et quo laudati cursus palmam sæpe retulerat, sæpe cruentos capreolos leporesque remiserat: nec ullo tuorum illic reperto, clauso ostio miserabiliter insultans, omnium adstantium misericordiam tuique desiderium excitavit. Tum primum damna nostra sentire cœpimus, teque, quem præsentem putabamus, abesse perpendimus. Ut me autem ille conspexit, infremuit, mox tremula blanditiis cauda vocantem sponte consequitur. Nunc mecum vadit in silvas, sub me militat: meis auspiciis ruit in belluas, et mihi sæpe gratissimas prædas agit, paratus ille, si iubeas, ad te venire, lætus tamen quod fortuna illum ad amicum limen appulerit. Vale.

Ad fontem Sorgiæ VIII. Kalendas Septembris.

EPISTOLA XVIII.

FRANCISCUS PETRARCA ZENOBIO FLORENTINO S. P. D.

Monet de exiguo errore quem in carmine admisit. Litteras Nicolao Acciaiolo per eum reddendas mittit inclusas, quibus ad redintegrandam cum viro insigni amicitiam illum adhortatur.

Vix amicorum litteras aliquot unum in diem conglobatas absolveram, dum ecce tua nostrum limen pressit epistola, quæ læte visam se, si vivas voces habeat, non negabit. Venit cum illa carmen eximium

quod miror et laudo; verum ex ea charitate, quæ te mihi meque tibi conciliat, in primis admoneo ut, prius quam ad alienas veniat manus, intendas ubi uni versiculo, quem longiusculum offendi, incumbentem obelum inspexeris fidei meæ indicem, abscindasque quod superfluit. Neque tibi forsan idcirco displiceas: scis in arte poetica scriptum esse, quod *quandoque bonus dormitat Homerus.* Sane quod tibi curarum tuarum ponderibus fatigato opus auxilio meo dicis, facis humiliter ut reliqua. Atque utinam in ingenio meo, cuius et imploras opem et dilatam doles, aliquis tuis idoneus tempestatibus portus esset; profecto non sinerem te diutius iactari. Spero autem non in Thetide vel Neptuno, sed in eo cuius *est mare et ipse fecit illud,* quod vitæ nostræ mortalis tumidos fluctus et humanarum rerum perpetuis flatibus agitatos salutifero tridente compescet. Via idem ac terminus, dux et comes, labor ac præmium. Equidem, quod ad summam status tui attinet, satis in epistola, quam ad te ultimo misi, disseruisse videor, meis verbis, sed aliena sententia. Scripsi enim tibi illius viri optimi et excellentis consilium secutus, quod te legisse et probasse iam, reque ipsa probaturum esse confido. Cui viro ut tuo nomine grates agam iubes, quasi meum nomen tibi in illius gratiam assurgenti aliqua et, ut ipse ais, non parva ex parte profuerit. Vide autem, oro, ne, si paream, vel arrogantiæ mihi vel inscitiæ vertatur, cum te potius illi pro me ignoto homine iure tuo gratias agere par sit; quod si nihilo tamen voles, reprehensionis propriæ securus, petitioni tuæ obsequar. Nempe nunc eidem illi de re maxima: quid enim inter homines, post virtutem, amicitia maius

est? De hac igitur illi scripsi, hortatus ut in amici veteris ac spectati benevolentiam revertatur, et hac usus arte ut ambos una eademque clauderem epistola, quo scilicet inter legendum saltem necessario coirent. Quod si votive successerit, gratum quiddam ac magnificum reipublicæ præstitisse gloriabor, et iam multum, super hoc, calamo debebo. Epistolam ipsam ad te misi, ut per manus illuc tuas properet, et securius coram illis tuo etiam favore fulta compareat. Permitto autem tibi, quod in superscriptione eius omnibus interdixi, ut illam aperias, et si quid detrahendum vel addendum duxeris, facias, qui naturam illius atque animum et quibus facile tangi soleat,

Quique viri molles aditus et tempora nosti.

Vale.

IX. Kalendas Iunii, ad fontem Sorgiæ.

FRANCISCI PETRARCÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS

LIBER DECIMUSTERTIUS.

EPISTOLA I.

FRANCISCUS PETRARCA GUIDONI EPISCOPO PORTUENSI CARDINALI S. P. D.

Consolatur in obitu matris.

Scio cui loquor, eique, quem propitium ingenii mei arbitrum et benignum semper interpretem habui, cui præterea fidem meam notissimam esse non dubito, stilum studiosius commendare si nequeo, brevitate temporis arctatus, non magnopere curabo. Animus ipse meus tecum silentio etiam loqui solet: spero te illum intelligere et persuasisse tibi, te mœsto, lætum illum esse non posse. Accedit quod omne fere miseriarum genus expertus, fidentior ad calamum vel festinus venio. Nulla mihi laborum, nulla dolorum facies occurrit incognita. Indoctum natura fortuna talium doctum fecit. Hoc unum dolori meo deerat, ut stilo filio in matris obitu consolator existerem: ea mihi, fateor, usque in præsentem diem luctuosæ materiæ pars intacta permanserat. Id enim nulli eorum quos amo aut veneror necessarium hactenus fuerat obsequii genus, nisi mihi,

vulnus illud prima scilicet adolescentiæ parte perpesso. Sed ut ad rem veniam, pater, audivi heri, cum iam advesperasceret, rumorem mœstum ac flebilem, audivi mœrorem tuum et testes pietatis eximiæ lacrimas, quas non modo non improbo, sed valde etiam probo, ita tamen si breves, si sobriæ, si modestæ fuerint, easque adeo certe non improbo, ut non tam vicina nox ad te confestim, accepto rumore, properantem, quam cogitatio illa retraxerit: demus unam noctem iustissimo dolori, demus pietati spatium; fluat nocturnus lacrimarum imber, quo serenior crastinus dies adveniat. Quid verò nunc dicam? Unum potius recentissimum animi tui vulnus attingam. Mater tibi dulcissima periit, quæ si nihil aliud felix aut iucundum habuisset in vita, quam quod te talem filium genuit, nemo mihi felicissimam negabit. Cornelia illustris femina Africani filia, Gracchorum mater, dum filios acerba morte mactatos cerneret, complorantibus mulieribus quæ aderant, et illam miseram identidem feminea vociferatione iactantibus, *ego vero nunquam me*, inquit, *miseram fatebor, quæ tales filios genui.* Quod si dixit illa filiis suis extinctis, quid, te vivo et incolumi, dicere potuit mater tua? Ipsa te alvo gravida usque in decimum mensem cum fastidio ac labore gestavit, ipsa cum gaudio ac dolore peperit, ipsa in cunis posito somnum blando murmure suasit, ipsa molli fascia obvolutum vagientemque dulce onus amplexa est, ipsa reptantem sedula, ipsa gressus ambiguos tentantem trepida, ipsa coætaneis colludentem anxia, ipsa petentem scholas puerum sollicita, ipsa reducem adolescentem læta conspexit. Sibi iam iuvenis, iam vir, iam sapiens, iam doctus, iam Deo et homini-

bus acceptus ingens gaudium, sibi mox legitimum tempus anticipando merito Lugdunensis ecclesiæ præsul singularis gloria, sibi tandem romanæ sedis presbyter cardinalis summa felicitas, et novissime Portuensis episcopus pæne votorum omnium portus ac requies fuisti. Quibus ita se habentibus, de hoc longævæ matris exitio quid opiner? Profecto cum suis dotibus, cum viri claritate, tum filiorum numero et gratia, tum præcipue tuis titulis tuaque pietate felix mulier, adeoque felix, ut hic vix iam felicior esse posset, opportunissimo tempore ab hac caduca et brevi ad æternam felicitatem translata, nunc in cœlo vitæ mortalis superatis casibus triumphat, virum secuta, filios prægressa, illuc quoque, peractis feliciter ævi spatiis, perventuros: et si quo forsan fasce corporeo tardatur, nec adhuc cœlum tenet, devotis est magis precibus adiuvanda quam lacrimis. Hoc illa de te sperat, hoc illi gratius donum dabis; oro ne lugeas, atque illam, si viventem hic amasti, patere æquo animo, gloriosissime pater, ex alto licet terrenæ conditionis gradu ad summum culmen cœlestis felicitatis ascendere. Quid enim amplius hic agebat? Quem te aspicere, quem optare iam poterat, nisi forte ut romanum pontificem te videret? Verum hac opinione sum, ut tunc felicius mori putem quando de præsenti gaudium adest, et de futuro spes, quam quando, consummata spe atque omnibus habitis quæ sperantur vel optantur in terris, iam sensim spei timor obrepserit. Natura enim demonstrante compertum est ut optantibus consequendi spem, sic consecutis amittendi formidinem inhærere. Sic itaque sentio: nullo melius tempore matrem tuam ad superos migraturam,

quam dum superstitem te et felicem linqueret (duplex parentum votum), et esset præclarissimo filio corporis atque animi plenum robur, solida ætas, status in gloria, facilitas in ascensu. Noli igitur inconsolabiliter illam flere, ne naturæ ordinem accusare videaris. Ita necesse fuit, ut vel illa tibi, vel tu illi superviveres. Hoc ultimum illa optaverat, hoc naturæ lege dignum erat, hoc accidit. Solare animum, vir magnanime, nec evenisse doleas cuius contrarium inenarrabili illam mœstitia confecisset. Utinam tam bene servet in reliquis rectum ordinem natura ut servavit in nobis. Sæpe quidem matres in natorum funeribus gravissime lugentes et legimus et videmus; rarius autem ac moderatius e converso. Invenies matrem quæ filium mortuum cum flevisset, materno impetu ipsa dolori proprio finem fecit. Invenies aliam quæ mortem nati usque ad extremum vitæ suæ diem luxit æqualiter, nec ullas unquam consolantium voces obseratis auribus admisit. Par est illustrium feminarum Livia Augusti coniux, et soror Octavia, quarum simul Seneca meminit ad Martiam suam scribens. Cicero quidem suam Tulliam flevit immodice, seque ipsum in morte filiæ tam dilectæ integro volumine consolatus est: quod postmodum in morte fratris imitatus Ambrosius, et ipse consolatorium edidit volumen. Neutrum certe novum aut insolitum, ut et in natorum aut fratrum mortibus homines gemant, et sese docti homines suis in mœroribus consolentur. Filii autem matris interitum graviter deplorantis, nisi me fallit memoria, vix plus quam unum clarum invenies exemplum, non pietatis defectu, sed naturæ ordine gemitum cohibente. Flevit Augustinus noster amantis-

simam genitricem, quæ eum terris et pelago secuta, omnes filii vias lacrimis sequacibus ac sollicitis aspersit, et quem semel carne pepererat millies mente parturiit; flevitque tam dulciter, ut nunc etiam post tot sæcula lacrimas legentibus excutiat. Verumtamen eam ipsam matrem, quæ illum per omnem vitam fleverat, nonnisi unum diem flevit, et luctum, quem sedare cogitando atque animi sui mollitiem increpando tentaverat, nec ratione, ut ipse meminit, nec balneo lenire potuerat, somnus extinxit. Id memorans, nec ipse statim ad te veni, neque confestim scripsi, ne voluptatem, ut ita dixerim, lugendi (habet enim et suam sed miseram voluptatem mœror), tibi ante tempus eriperem: unam tibi consulto noctem tribui, quæ cum auxilio dexteræ excelsi lacrimas tuas abstergeret; quas, ut dixi, non modo non arguo, sed etiam vehementer laudo, dum tamen eis, ut cupio, modum posueris et finem. Sed quoniam scribendi multa, quæ res exigit, tempus non habeo, metuens non forte secunda tibi nox in lacrimis ducatur, ut festinatæ epistolæ finem faciam, oro invictissimum animum tuum, ut ipse sibi pro viribus opem ferat, et appetitum flendi, qui quam sit vehemens ex me scio, virili meditatione reiiciat: simul et illum oro qui pro peccatis nostris moriens, de cruce mœstissimam solabatur matrem, ut secundum inexhaustum consolationis et misericordiæ suæ fontem, tuæ te matris in funere consoletur.

Avenione, II. Idus Maias.

EPISTOLA II.

FRANCISCUS PETRARCA RAYNALDO VERONENSI S. P. D.

Commendat adolescentem suum Veronensis Ecclesiæ canonicum renunciatum.

Adolescens quem ad te misi, quam mihi sit iunctus sanguine puto tibi non ignotum, nisi forte subitum eius incrementum, quod in ætate sua sæpe accidit, tibi discipuli tui notitiam abstulerit. Hunc si nosti, ne illud quidem, quam mihi sit carus, aut quam bonum fieri cupiam, ignoras. Is quidem a scholis tuis fato suo tener admodum abstractus, apud Gibertum Parmensem non ignobilem grammaticum aliquantulum temporis exegit. Ingenio, ut suspicor, non malo, (iudicare enim nequeo) ita sive vultus mei præsentia, sive ignorantiæ suæ conscientia turbatur, ut sub oculis meis semper obstinatum teneat silentium. Unum est in quo me non patitur errare. Hominem nullum vidi magis a litteris abhorrentem; neminem odit aut metuit, præter librum: illum unicum hostem habet. Male, inquies, incepisti. Male, inquam, sed vere: neque enim heroicum carmen in manibus est. Non egregium adolescentem describere est animus, sed nostrum. Parmæ ac Veronæ et interdum Patavii altus est. Sæpe ego secum mordaciter iocari soleo: vide ne famam suam Virgilio eripias vicino tuo. Ille autem oculos in terram deiiciens subito rubore perfunditur: hoc saltem simulare non potest. Una igitur spes est: verecundissimus videtur, et adhuc cereus est, et aptus ad omnem ha-

bitum pro arbitrio præceptoris inflecti. Hoc sibi super cætera incommodum accedit, quod in ipso confinio libertatis, me, quod miraberis, auctore, parmensi etiam gymnasio ereptus, ad curiam, quæ romana dicitur, mecum venit, ubi prope iam annum perdidit. Irreparabilis, fateor, iactura: sed, si culpa est, ego culpandus, qui id volui: non quod mihi placeret illud Horatii:

> Quærenda pecunia primum;
> Virtus post nummos,

sed verebar ne, si quid mihi humanitus accidisset, meo præsidio destitutum sæva paupertas opprimeret, studiosorum hostis, atque emergere volentibus obstaculum non minus quam immensæ divitiæ: sive etiam eo maius quod divitiarum pondus abiicere possumus, si volumus (quod multi viri famosissimi fecerunt), egestatis sarcinam excutere, non est in nostra potestate. Hunc igitur mecum esse iussi, ut omnibus præsens horis, meque conditionis suæ admonens ac tacitus interpellans, conspectu suo tarditatem meam excitaret. Adfuit humano pietas divina consilio. Itaque iam quantum satis est dives canonicus veronensis ad te redit, cui prima debet pueritiæ rudimenta. Excipe illum, quæso, humanitate illa tua notissima, et insiste, si qua via est, ut tarde surgentium viatorum more, matutini temporis iacturam meridiana festinatione restauret. Quid ulterius dicam? Dono hunc hominem tibi, quem meliorem mihi restitues, ut spero; quod Socrates promisit Æschini. Id ut libentius præstes, dicam quod Philippus Aristoteli. Gaudeo equidem et ego hunc tua ætate natum esse, qui per te aliquid fiat, si per hominem fieri potest; nec

dissimulo, me, dum sibi anxius invigilo cunctaque circumspicio, nil magis quam te tuasque virtutes intuentem, cum alia possem, veronense illi habitaculum elegisse. Vale.

Ad fontem Sorgiæ, V. Idus Iunii: quam festinanter, ipsa litterarum facies indicio est.

EPISTOLA III.

FRANCISCUS PETRARCA GULIELMO VERONENSI S. P. D.

Huic quoque adolescentem suum Veronam adeuntem commendat.

Huius adolescentis ingenium Raynaldo nostro percolendum tradidi, mores tibi; quamvis utrumque sibi quisque vestrum iure suo vindicet, sed ita illum inter duos amicos partiri visum est. Incumbe illi, oro te: bonam indolem si reperis, adiuva; si minus, insere, quam adultam adiuves, in qua tibi placeas, quod tuarum manuum opus notes. Tenero pectusculo, facile quidlibet impresseris; discat te amare, te colere, te vereri, demum virgiliano consilio *primis et te miretur ab annis.* Quid multa? Si me semper fratrem æstimasti, filium hunc habe, et vale.

V. Idus Iunii.

EPISTOLA IV.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO NEAPOLITANO PROTONOTARIO APOSTOLICO S. P. D.

Quam tristis inter urbana negotia, quam læta e contrario in ocio ruris agatur vita.

Maior temeritas minorem contegat vel excuset, ferasque æquo animo, vir insignis, si tibi nunc dixero quod dudum illi longe hominum maximo non sine ipsius assensu dixisse me recolo. Cum tibi enim fere omnes invideant, ego compatior: quod cum sæpe hactenus in animum venisset ut dicerem, tum præsertim hodierno die. Nam dum absens, quod sæpe soleo, tecum essem, tantum solitudinis meæ dulcedinem auxit occupationum tuarum recordatio, ut, pæne me inscio, sponte sua manus iret ad calamum. Non sum usque adeo incultus et agrestis ut nesciam quid inter clarum et obscurum, quidve inter magnificum et pusillum intersit: profiteor autem honoratam ac splendidam, verum inquietam ac turbidam sortem tuam. Censeo nihil prope omnium tuum esse eorum quæ videntur tua, quodque irreparabile damnum est, ne tempus quidem ipsum; quod non certe per negligentiam fluens, sed, ut Senecæ verbis utar, vel subductum tibi vel ereptum alienis usibus datur. Nullum tibi diem, nullam tibi noctem cedere, nullum tibi tranquillum receptaculum usquam fore: hortos ad laborum fugam ac solatium quæsitos, pluribus iam negotiis quam herbis aut floribus, pluribus curis abundare quam frondibus; thalamum ac cubile ad recrea-

tionem humanæ fatigationis inventos, importunissimorum hominum dissonis assidue vocibus strepere: accersiri te millies, et, quo nihil est gravius, cum diu multumque desudaveris, vel cœpta ad exitum non perduci, vel subinde alia atque alia emergere. Ita nullum se laboribus finem, nullum portum tempestatibus ostendere. Si in tergum equi fugacis ascenderis, clunibus hærebit sequax cura; si in puppim confugeris, una et eadem scala sollicitudo tua tecum scandet; denique si mare transieris, illic te ipsum invenies, et senties verum esse quod ait Flaccus, cœlum te mutasse non animum. Hinc igitur illa mea tuæ felicitatis insueta compassio. Quis enim hanc vere felicem vitam dixerit, quis non miserabilem potius æstimet fortunam, quantislibet cumulata sit commodis, plenam laboribus, quietis expertem, intentam aliis, oblitam sui? Occupatorum tota ætas bellum sine induciis est; pace enim carent: dum tranquilli videntur, intus æstuant, et si sopor obrepserit, mens vigilat, clausisque oculis irrumpunt imagines agendorum: quies turbatur in somnis; telam inextricabilem vigilantes ordiuntur, dormientes texunt, quam cum sæpe cœperint diuque traxerint, nec vigiles unquam expediant nec sopiti. Recasurum Sisyphi saxum volvunt, rotis Ixionis agitantur: adversus Hydram dimicant, quæ cum creditur defecisse, capitum fecunda renascitur. Hæc inter anni fugiunt, dulcis iuventa dilabitur, senectus accelerat, mors illam præcedit aut sequitur. Quid faciant anxii, quo se vertant, quibus sese artibus expediant? Omnia in dies evanescere, seque cum universo sentiunt imminui: sola occupatio immortalis, quotidieque crescit inter manus: frustra lima quæritur

aut scalprum; adamantina est. Cum multa quidem congregent occupati homines, tempus effundunt, et cum agere semper videantur, unum idque optimum semper omittunt: vivere. Ubique sunt, præter quam apud semetipsos: loquuntur sæpe cum aliis, nunquam secum. Felicitati contraria sunt hæc, quæ felicia vulgus vocat, eoque magis quo minor finiendarum sollicitudinum spes apparet. Ut enim asperitatem supplicii brevitas consolatur, sic infinitum malum fortes etiam animos sternit ac conficit. Laborat equidem dux belli, laborat et miles; sed ille victoriam ac triumphum respicit, hic emeritæ militiæ stipendia, reditum ad penates, et quietem sperat. Laborat agricola; sed hyemem cogitat ac dies festos et exundantis horrei voluptatem: laborat nauta durus, laborat impiger viator; sed utrumque speratus viæ terminus cogit præsentium laborum molestias non sentire: laborat auri fossor absconditi; sed inter cæcas et horribiles cavernas breve incommodum magna lucri spe et odiosas tenebras gratæ lucis imaginatione permulcet. Tibi quid, oro, spei est? Quo plura enim bene gesseris eo pluribus onerabere, iugoque te subiicies graviori. Prorsus dura conditio, quando et ignaviæ dedecus, et diligentiæ merces est servitus. Indignum, fateor, ac minime ferendum nomen, præcipue inter illos quorum vita non ex proprio sed aut principum aut suæ reipublicæ pendet imperio. Multis sua nocet industria: ita, dico, nocet, non quod ad gloriam, sed quod ad otium ac quietem spectat, summam litteratorum hominum inæstimabilemque dulcedinem. Quiescere poterat Alcides, nisi cum virtus indomita non tantum duodenis laboribus, ut memorant, sed mille laborum gene-

ribus exerceret. Quiescere poterat Ulysses nisi inexplebile desiderium multa noscendi cunctis illum litoribus terrisque raptaret: laboriosa virtus quæ possessores suos quiescere non sinit, laboriosa, inquam, virtus, sed gloriosa, sed clara, et quæ, ut laborem, sic amorem admirationemque conciliat. Hæc est quæ et Ulyssem simulati furoris, si ea fama vera est, et Achillem furtivi amoris latebris eductos perduxit ad Troiam. Nil aut illi proprium aut huic maternum profuit ingenium; lentis virtus adversa consiliis figmentum omne discussit. Non possunt viri insignes, nisi ut excelsi montes, occultari. Cui singulare aliquod naturæ donum est, in perpetuis laboribus ætatem aget: si negotiorum turbines effugerit, illi eum in medias solitudines persequentur. Parvo magna non constant: quisquis es qui virtutis specie illectus eius comptum concupiscis, scito rem te maximam optare, neque parvo parabilem, sed quæ totum te poscat. Proinde, ut, quibus magis forte delectaberis, exemplis agam et certioribus et nostris, poterat Fabricius domi senescere, quamvis esset arctissima; Curius in hortulo manibus suis culto, in agellis suis Serranus, Quintius, Attilius; poterat Camillus in pace degere, nec præclara gloria invidiam civium atque exilium mereri, nisi eos spectata virtus adversus Pyrrhum, Samnites, Pœnos, Gallos, atque undique ingruentem bellorum molem duces perpetuos Reipublicæ debitos ac necessarios elegisset coegissetque sub armis ævum agere. Poterant Scipiones Romæ suaviter ac fraterne vivere, interque suorum busta sepeliri, nisi illos studium virtutis, octo annis gloriose actis in Hispania, post clarissimos labores peregrina tellure procumbentes obrueret.

Quid de duobus Africanis loquar, quorum primus, cum vix quisquam tutus esset in Italia, in Africam transire non timuit, cæteris victis in patria, victor e terra hostili gloriosissimus reversurus; alter in Africa quoque et Hispania duas urbes romano imperio infestissimas, ut ait Cicero, Carthaginem Numantiamque subvertit, late interim vagus multisque provinciis magna cum gloria peragratis. Quid vetabat Marium quiescere, nisi virtus et gloria, ea scilicet ob quam, ut ait nobilis historicus, spes atque opes civitatis in illo viro sitæ erant? Fama hæc illum Afris, Teutonis ac Cimbris opposuit; itaque nunc a meridie captos eum reges ducere, nunc ab Arcto incredibile captivorum agmen ante triumphales currus agere, mox victorem ipsum carcere conclusum et paludibus latitantem videas, vixque sine fatigatione audias labores, quos ille animo pertulit indefesso. Quid Cato? Nonne domum suam poterat incolere? Siticulosas arenas circumire maluit, et Libycis vitam obiectare serpentibus; tanta eum virtus, tantus amor libertatis accenderat; huic tamen domus angustior. Quid vero Pompeius et re magnus et nomine? Nonne amplissimis atque opulentissimis ædibus derelictis patriaque, in qua princeps erat, toto vagus victor orbe terrarum, quietem sibi abstulit ut gloriam inveniret? Quid Cæsares Iulius et Augustus, quid Vespasianus ac Titus, quid Traianus, innumerabilesque alii, quos taceo ne immensæ materiæ succumbam? Prius deficiet dies quam exempla nostrorum. Sed rursus alienigenis locum demus. Clarus apud Carthaginem civis Hannibal, ut clarior fieret mare transivit, permeavit Hispanias, Gallias, Italiam, et a tergo relictis Pyrenæis collibus, igne atque aceto

et ferro fractis Alpibus, transmissisque amnibus Ibero, Rhodano et Pado, superatis Apennini iugis ad ipsius urbis mœnia victor horrendus accessit. Quid in singulis morer? Victor totiens, victus tandem non destituit spem, renovansque bellum alienis viribus, consilio suo Syriam Bithyniamque lustravit. Finis hominis fortunæ fuerit, ardor animi procul dubio suus fuit. Neque id nunc quæritur quam iustus, sed illud quod dicebam, nisi fallor, ostenditur, singularem quamdam inter suos cives excellentiam multorum illi laborum atque discriminum materiam extitisse. Quid Leonidas spartanus, vir fortissimus, quid thebanus Epaminondas patriæ suæ gloria, quid achæus Philopœmenes summis æquatus ducibus, quid cecropius Themistocles vir, ut aiunt, in Græcia clarissimus? Nil his omnibus aliud virtus quam laboriosam ac sollicitam vitam fecit. Idem de Pyrrho Epirotarum, Alexandroque Macedonum, idem de Masinissa Numidarum, Cyroque Persarum regibus deque aliis multis affirmare licet. Sed huius generis exemplorum satis est. Poterat apud Samum Pythagoras, poterat Abderæ Democritus, Athenis Plato, Varro Romæ vivere, nisi eos infinita discendi cupiditas per diversa distraheret. Poterat Plinius Veronæ mori, Mantuæ Virgilius, nisi illum experiendi ardor Vesevi tui favillis opprimeret, hunc gloriæ stimulis impulsum mors nobilibus ingeniis dolenda præverteret, cuius cinerem vel Tarento ereptum vel Brundusio tua possidet ac sua Parthenope. Quid sibi velit hæc exemplorum copia expectas? Ignavumne fieri iubeam, ut tranquille vivas? Absit. Optabilior est enim non modo labor, sed mors quoque cum gloria. Verum illud intendo non usquequa-

que gratuitam gloriam esse tantis quærendam servandamque laboribus. Illorum mihi prope felicior vita est, qui alicui honesto studio intenti, moderatum laborem sobria voluptate miscentes, ita vigilant ut tempestivos ac placidos, quamvis breves, somnos excipiant; ita exercentur ut intermissionem necessariam non excludant, ita soli habitant ut, cum res exegerit, inter homines esse possint: sed si detur optio, rura urbibus et frequentiæ solitudinem anteponant; quos silvæ frondentes et prata virentia delectent non minus quam marmorea et aurata palatia; qui in altum aspirent et ita gloriam petant, ut nulli ideo sint molesti, non tam gaudentes illam assequi quam mereri, eademque semper æquissimo animo carere parati, modo nil sibi sint conscii quo successus infelicior carpi queat; qui ut interdum famæ desiderio seræque posteritatis testimonio tangantur, sic intelligant nihil ad se pertinere si eorum nomina sequentes taceant, cum tacuerint præcedentes, nec pauciores, ut ait Cicero, et certe meliores viri; qui munditias supervacuas mulieribus linquentes, honestis ac virilibus delectentur; quibus non sordeat vel ad umbram arboris vel ad ripam fluminis dormire; qui læti possint bonam diei partem in herbosis collibus expendere, prandium ad vesperam differre, cœnam oblivisci, noctem, si res tulerit, insomnem inter litteras cum delectatione traducere: nec minus antra rorantia quam thalamos ebeno atque ebore vestitos, nec minus floreum cæspitem quam cubile purpureum amare; qui ingenuam diligunt paupertatem, divitias non tam oderint quam contemnant; quos nec terreat aurum nec suspendat; qui pictas tabulas ac statuas et vasa corinthia et eoas

gemmas ostrumque sidonium, non ut possidentium ornamentum, sed ut naturæ decus aut artificium aspiciant, eodemque animo illis utantur et careant: qui, quod olim apud maiores nostros optimos illos quidem vereque viros fuerat, vilissimum mancipium coquum putent; qui gulam ac ventrem ceu contumaces et inertes servos longo ieiunio domare audeant, durum et inelaboratum atque ex omni fruge compositum panem sibi familiarem fecerint, neque haustum puri gurgitis horreant, neque victum agrestem, terræ matris munere sponte nascentes herbas atque arborum baccas et dulcia poma, fastidiant, possintque sine animantium intéritu suam aliquando vitam agere: qui ad auxilium fessi ac languentis stomachi non copiam mollesque delicias, sed abstinentiam et famem et exercitium implorent: postremo qui corpori non servire, sed leges dare, atque imperare didicerint. Horum ego me numeris adscribere non ausim: nitor tamen, et aliquantulum profecisse videor. Ut sileam reliqua, gloriæ me natura quidem cupidissimum non nego; sed ita animum studio formavi, ut lætus illam, si adsit, arripiat, et, si desit, non mœstus abiiciat; paratus nomen, si qua fors faverit, longe lateque diffundere, paratus et intra parvi ruris angustias non cognosci. Natura Demosthenes, imitatione Democritus fieri velim; ille enim, ut legimus, famæ avidus fuit, iste contemptor. Interea ne situ forte marcescat ingenium, exerceo in lectione oculos, digitos in scriptura, mentem in cogitatione detineo, denique pro viribus nihil omitto quominus ad destinatum veniam, ita tamen, ut, si secus accidat, non pervenisse melius putem. Hæc vita mea est, quam tibi litteris indicandam

credidi, cum aliud modo quod scriberem non adesset; forte enim accidit ut, cum sero solus inter fontes multa cogitans constitissem, murmurque illud immensum, quo se carceribus emissum gaudens Sorgia cavis circum rupibus insultat, auribus hausissem, repente ad memoriam rediret ille strepitus qui aures tuas absque intermissione circumtonat. Itaque mecum dixi: En habes unde aliquid viro illi egregio scribas, quo perlecto, sicut tu speciosæ servituti suæ compateris, sic ipse tuæ solitariæ congaudeat libertati. Reliquum est ut, si oculos tuos artificiosis litterarum tractibus assuetos scriptura incultior offendit, montanum claudicans sedile, et concretum atramentum, et palustris papyrus, et pastoralis calamus culpentur: ego autem excuser, digitisque meis tua parcat urbanitas. Vive et vale.

Ad fontem Sorgiæ, IIII. Idus Iunii.

EPISTOLA V.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

Quibus artibus amicos suos fallere potuerit, qui eum ab epistolis Pontificis Maximi renunciari omni nisu curabant.

Flebilem ridiculamque rem audies. Vocatus ad curiam veni, curiam hanc quæ de Roma nihil præter nomen retinet; et veni omnium quæ erga me agerentur ignarus, nunquam, si quid mihi creditur, venturus, sciens. Et quid, inquies, igitur te trahebat? Profecto

nil aliud quam charitas amicorum. Ego enim magna ex parte iam dudum cupiditatibus finem feci, itaque iam deponendis ac spargendis quam aggregandis fortunæ spoliis occupatior sum. Nunc mihi nil penitus commune cum curia est; nunquam concordarunt mores; si quid cupiditatis inerat, evanuit; quæ, ubi spes accesserit, odiosis in locis sæpe nos detinet: spes enim et cupiditas catenam efficiunt, qua vinctus humanus animus extraque rationis imperium raptus, multa aspera et indigna perpetitur. Veni ego non cupiditate, non spe ulla, sed charitate tractus, ut dixi. Veni autem loci gnarus, causæ nescius, non oblitus tamen illud Annæi: *Turpe est non ire, sed ferri, et in medio rerum turbine stupentem dicere: huc ego quemadmodum veni?* Memineram plane, detrectantique abitum nil crebrius occursabat. Sed quid agerem? Duo illi principes Ecclesiæ me certatim evocabant, quos, velut duos tauros validissimos, lateque Christi regnantes in pascuis, grex dominicus nunc habet, quorum me alter veteribus beneficiis, alter insperata et nova ignoti hominis benevolentia, famæ solius testimonium secutus, obstrinxerat. Superbia visa est voces illorum spernere, quos reges ac principes venerantur, et præsertim voces quibus summi pastoris inesse diceretur auctoritas: quamquam, si iam essem ut fieri cupio et nitor et, ut verum fatear, adhuc spero, sperni omnia poterant, sola ut quies animi salva esset. Audias tamen non quod agi debuit, sed quod actum est. Et quid putas? Omnis insidiarum scæna primo mihi patuit adventu. Quod si omnes ambagum formas enumerem quibus, non sine indignatione mea neque sine amicorum suspiriis, unus mihi ubi minime voluissem

annus effluxit, longa erit historia, summa cunctis ope tendentibus ut dives, sed occupatus atque sollicitus, immo quidem ut vere pauper, miser et mœstus fierem; me uno reluctante acriter, ac recusante iugum aureum non aliter quam ligneum aut plumbeum, Deique et hominum fidem contestante eripi mihi libertatem atque ocium, cuius appetitu nil natura melius, cuius successu nil mihi fortuna felicius tribuisset; extorqueri mihi gaudium et omnem vitæ dulcedinem atque has qualescumque litterulas, sine quibus vivere posse diffiderem; fuisse me ab adolescentia contemptorem auri, quando et modicum habebam, et multo egere poteram ac diu, si diuturnum aliquid in his vitæ mortalis angustiis dici debet. Iam vero deformem mihi futuram auri sitim, quando et multum haberem et ad eam ætatem pervenissem quæ mollire ac temperare soleat affectus, et in qua sit eo turpior cupiditas, quo minor et brevior potest esse necessitas: pro longitudine viæ optandum esse viaticum; mihi iam et meridianas horas et asperiora viarum a tergo esse, nec iam minus de hospitio quam de itinere cogitandum. His illud accedere quod olim et plures egentiores amicos habuissem, quorum charitas habendi quærendique studium excusatura videretur: atque in primis germanum, cui, ut tunc multis, ita nunc penitus nihilo opus sit, nempe qui propter Christum universa despexerit. Meorum ergo necessitatibus, partim morte, partim benigniore fortuna, partim inopi religione consultum: me vero prope iam solum et in diebus meis longius progressum, et abunde divitem, optare incipere quod comitatus adolescens pauperior non optassem, turpe mihi et indignum meo nomine

videri. Habere autem me nunc satis multa, illico defutura si cupiditati aditus panderetur; necessitates curasque gravissimas, cum divitiis subituras: postremo orare et obtestari, ut me cœptum vitæ cursum sinerent meo more peragere, neve offendiculum pedibus meis iam fessis et metam spectantibus obiicerent: parcerent labori, parcerent pudori, ne, male mutatis studiis, fierem senilis avaritiæ spectaculum, et quibus comitibus lætam ac liberam iuventutem egissem, auctoribus tristem servamque senectutem agere coactus inciperem. Frustra supervacuos labores laborumque causas tanto studio quæri: esse eis et mihi requiem in foribus: ipsum diem qui eos tam sollicitos haberet, esse forsan extremum: ab extremo certe non magno spatio distare: festinare illam quæ finem curis hominum et inanibus votis imponeret. Talibus agebam sæpe indignans, sæpe vero flebiliter et prope cum lacrimis. Contra autem amicorum obstinata acies, et consilia precesque multorum et opinio vulgi terris semper affixa. Veneram interea ad illius pedes qui digito cœlum pandit, et temperat astra galero. Is equidem adventu meo lætari visus, multa dixit quibus satis apparet non libertati meæ illum, sed opinioni omnium favere. Quid te moror? Unus adversus multos et pertinaces et disertos parum poteram, et iam pæne victus mœstusque sub iugum ibam. Attulit mihi melior fortuna remedium. Æstimatio quædam non mediocris eloquii, sed multo maxime silentii fideique meæ animos occupaverat. Quam vera, viderint famæ talis auctores. Arcanis itaque maximi pontificis idoneus visus eram, inque hoc ipsum evocatus, unum obstare dicebatur, quod mihi altior stilus esset, quam romanæ

sedis humilitas postularet. Quod cum ex illorum ore, qui status mei curam præcipuam agebant, mihi innotuisset, primo quidem stupor arripuit, veritusque sum ne ironicis verbis illuderent humilitatem meam, cuius mihi cum in multis, tum etiam in oratione sum conscius. Deinde ubi iureiurando interposito perdidici sic pontifici, sic collegio videri, et hoc unum a me requiri ut humiliare ingenium (utor enim verbis illorum) et inclinare stilum assuescerem; ubi præterea quod a duobus audieram a multis ex eodem ordine conscriptis patribus audivi, tanto gaudio repletus sum, quantum vix habet qui de limine carceris odiosi liberatorem suum insperatum conspicit: hinc enim evadendi viam patefactam mihi rebar. Nec fallebar. Itaque requisitus ut dictarem aliquid quo posse me prope terram volare et humilibus me coaptare sententiis appareret (id enim mihi facillimum constanter asseverabant qui me in carcerem, altum licet, arctum tamen, urgebant), ut primum dictandi materia data est, omni nisu ingenioli mei alas explicui, quibus me humo tollerem, ut ait Ennius et post eum Maro, et alte adeo volarem, ut, si fieri posset, ab iis, qui me captum ducebant, non viderer. Adfuisse Musas, quamquam minime pierium opus esset, et nostrum favisse putes Apollinem. Quod dictaveram, magnæ parti non satis intelligibile, cum tamen esset apertissimum, quibusdam vero græcum seu magis barbaricum visum est. En quibus ingeniis rerum summa committitur. Tres equidem stilos, auctore Tullio, scimus, quos ipse figuras vocat. Grandiloquum, quem gravem appellat, moderatum, quem mediocrem vocat, atque humilem, quem extenuatum dicit. Horum primus nostra ætate pæne nul-

lorum est; proximus paucorum; ultimus multorum: quidquid infra est, iam profecto nullum orationis ingenuæ gradum tenet, sed verborum potius quædam et agrestis et servilis effusio est, et quamquam mille annorum observatione continua inoleverit, dignitatem tamen, quam naturaliter non habet, ex tempore non habebit. Ego quidem, me iudice, si epistolam scribens apte versor in humili, bene est. Si quis ut ascendam altius hortetur, video gradus quibus assurgendum est, et quantalibet ingenii tarditate niti possum; at si descendere iubeor stans in imo, facultas præripitur obsequendi. Quid est igitur quod me poscunt? Certe quo me uti iubent et quem ipsi stilum nominant, non est stilus. Quid autem, oro, nunc diceret Iuvenalis, qui studiorum spem perditam temporibus suis dolet? Quid Seneca tantus orator, qui post Ciceronem in deterius datam eloquentiam lamentatur? Quid Cicero ipse summus flos eloquii, qui tamen quodam loco eloquentiæ casum deflet? Bene est quod has ineptias non audiunt quibus a supremo vel minimum descendisse ingens præcipitium videretur. Sic vero, ut ad me redeam, transacta res est. Spatium habeo ad discendum, quod utinam nescirem, frivole et inaniter et abiecte loqui. Has ad scholas ire iubeor iam senescens, quas iuvenis semper fugi. Sed bene habet: interim liber sum, ægre permittentibus qui me in servitium asserebant, et, si expectanda conditio est, in perpetuum liber ero, tanto equidem libertate lætior quanto fueram proximior servituti. Accedit quod eo libertas honestior, quo libertatis honestior est causa; illud modo vereor ne falsa sit. Si enim est vera, quid speciosius optassem quam evasisse ideo quod

altior visus sim quam qui videri possim ab iis qui sibi videantur altissimi? Gaudeo talis esse, si sum talis; si minus, quidni talis fieri optem, dum altitudo non obscuritas causa sit? Iuvat a paucis videri, quantoque a paucioribus videor, tanto ipse mihi carior sum. Nolo dignitas aut opes adiuvent legentem: perinde pontificem aut regem intentum animum habere volo atque alium quemlibet, eoque magis, si forte minus habet ingenii. Exemplum unum rebus aptum, quod tunc prope urgenti acrius opposui, repetam. Meministi ut Alexander Macedo geometricum præceptorem roget quædam secretiora artis illius ab eo sibi clarius exponi, et quid ille respondeat. Hæc, inquit, æque omnibus obscura sunt. Elegantissime: non enim diadema, sed ingenium studio adiutorium confert ad intelligentiam scripturarum: alioquin optabilius regnum foret. Multa sunt ubi non modo nihil prodest, sed etiam multum obest maiestas et imperium. Magno quidem et superbo lectore non sum dignus. Credo: nec ego fastidiosum ingenium et delicatas aures ambio. Si ab humilibus legor et non improbor, habeo studii mei fructus eximios; non laboro ut obscurus fiam, sed ut clarus: opto enim intelligi, sed ab habentibus intellectum, et ab iis ipsis non sine studio, ac mentis intentione non anxia, sed iucunda. Divitem si huc sponte diverterit, non excludo, dum noverit nihil hic conferre divitias. Quid multa? Si alteri scriberem, tam animose non agerem; nunc Francisco meo scribens, mihi scribo. Volo ego ut lector meus, quisquis sit, me unum, non filiæ nuptias, non amicæ noctem, non hostis insidias, non vadimonium, non domum aut agrum aut thesaurum suum cogitet, et saltem dum

legit, volo mecum sit. Si negotiis urgetur, lectionem differat; ubi ad legendum accesserit, negotiorum pondus et curam rei familiaris abiiciat, inque ea quæ sub oculis sunt, animum intendat. Si conditio non placet, inutilibus scriptis abstineat. Nolo ego pariter negotietur et studeat; nolo sine ullo labore percipiat quæ sine labore non scripsi. Sed expectas finem? Vix tandem igitur obtenta licentia est, ut mihi res meas agam; qua sic uti cogito, ut de summa rerum posthac neminem mihi præferam, nullis amicorum precibus inflectar, nulla unquam spe, nullo pretio committam ut periclitanda iterum sit libertas. Hoc tibi, amice, non ignotum volui, ut statum præsentium rerum et miserearis et rideas: simul ut illi gratias mecum agas qui me opulento ac splendido, sed gravi, multis licet optato, servitio liberavit. Vale.

V. Idus Augusti.

EPISTOLA VI.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

Quæ sit poetarum raritas, et quæ pseudopoetarum turba Avenionem invaserit. Nicolaum Laurentii eo in vinculis adductum sub poeticæ laudis obtentu solutum dimissumque fuisse.

Quid expectas? Audirene reliquum proximæ ad te superioris epistolæ unde fleas et rideas? Nil certe nunc maius habeo quod agam: immo vero multa: sed maioribus incumbere breve tempus vetat, idque non sat

liberum, sed obicibus miris implicitum. Nam et ego totus in motu, et multa circumstrepunt, simulque hic et alibi, atque ita nusquam sum. Familiare malum loca mutantium. Babylone ultimo digressus ad fontem Sorgiæ substiti, notissimo mearum procellarum portu. Hic viæ comites opperior, et autumni exitum, aut illud saltem a Marone descriptum tempus, quando *iam breviorque dies et mollior æstas.* Interim ergo ne inanis rusticatio mea sit, cogitationum consumptarum fragmenta recolligo, ut omnis dies, si fieri possit, aut aliquid maioribus cœptis adiiciat, aut minutum aliquid absolvat. Quod hodiernum est his ad te prolatum litteris accipies. Poesis, divinum munus et paucorum hominum, iam vulgari, ne profanari dicam ac prostitui, cœpit. Nihil est quod indignantius feram; tu amice, si stomachum tuum novi, ferre indignitatem hanc nullo posses modo. Nunquam Athenis aut Romæ, nunquam Homeri Virgiliique temporibus tantus sermo de vatibus fuit, quantus est ad ripam Rhodani ætate hac; cum tamen ullo unquam loco aut tempore tam nullam rei huius notitiam fuisse arbitrer. Volo bilem risu lenias, et discas inter tristia iocari. Venit ad curiam nuper, immo vero non venit, sed captivus ductus est Nicolaus Laurentii, olim late formidatus tribunus urbis Romæ, nunc omnium hominum miserrimus, et, quod extremum mali genus est, nescio an, ut valde miser, sic minime miserabilis, qui cum in Capitolio tanta cum gloria mori posset, Bohemicum et mox Lemonicensem carcerem subire, tanto suo et romani nominis ac reipublicæ ludibrio, sustinuit. In quo laudando monendoque quantus hic calamus fuerit notius est forte quam vellem. Ama-

bam virtutem, laudabam propositum, mirabarque animum viri; gratulabar Italiæ, almæ urbis imperium, mundi totius requiem prævidebam. Tot ex radicibus oriens gaudium dissimulare non poteram, videbarque mihi totius gloriæ particeps, si currenti sibi stimulos addidissem, quos, ut nuntii eius testabantur et litteræ, in verbis meis acutissimos sentiebat. Tanto ego magis ardebam, acuebamque animum, si quid excogitare possem quod fervens illud ingenium inflammaret: et qui probe nossem nulla re magis quam gloria et laudibus generosum pectus inardescere, inserebam laudes magnificas et multorum forte iudicio nimias, sed mea opinione verissimas, præteritumque commendans, hortabar ad reliqua. Extant aliquot meæ ad illum epistolæ, quarum me hodie non penitus pudet. Divinare enim non soleo: atque utinam nec ipse etiam divinasset. Profecto autem quod, dum scriberem, agebat acturusque videbatur, non mea tantum sed totius humani generis laude et admiratione dignissimum erat; an tamen ob hoc unum eradendæ sint nescio, quod turpiter vivere maluit quam honeste mori. Sed de impossibilibus non est consultatio. Etsi enim delere illa valde velim, non potero: in publicum egressæ mei iuris esse desierunt. Itaque cœptum sequor. Intravit curiam humilis atque contemptus is qui malos orbe toto tremefecit ac terruit, bonos spe lætissima atque expectatione complevit: et universo quondam populo romano italicarumque urbium primatibus comitatus, nunc duobus hinc illinc stipatus satellitibus ibat infelix plebe obvia videndique avida faciem eius, cuius modo tam clarum nomen audierat. Erat autem a romano rege ad romanum pontificem

missus. O mirum commercium!... Non audeo quod sequitur dicere, neque hoc ipsum dicere volebam, sed quod inceperam. Ut ergo pervenit, illico pontifex maximus tribus e numero principum ecclesiæ causam eius discernendam dedit, quibus impositum est, videant quo supplicii genere dignus sit qui rempublicam liberam esse voluit. O tempora, o mores, o sæpe mihi exclamatio repetenda! Est quidem, fateor, omni supplicio dignus quia quod voluit non adeo perseveranter voluit ut debuit, et ut rerum status necessitasque poscebant: sed libertatis patrocinium professus, libertatis hostes cum opprimere simul omnes posset, quam facultatem nulli unquam imperatori fortuna concesserat, dimisit armatos. O diram tetramque caliginem sæpe in mediis maximarum rerum conatibus mortalium se luminibus ingerentem! Nempe si alteram tantum cognominis sui partem, et non illam quæ morbo reipublicæ necessaria erat (dici enim se severum clementemque solebat), si ergo clementiam solam in publicos parricidas exercere decreverat, poterat eos, nocendi instrumentis omnibus excussos, præcipueque superbis arcibus exarmatos vitæ relinquere; atque ita urbi romanæ vel de hostibus cives, vel de timendis hostibus contemnendos facere: de qua re non otiosam me sibi tunc epistolam scripsisse sum memor, cui si habita fides esset, alio loco respublica staret, nec Roma hodie serva foret, nec ipse captivus. Certe neque hoc, neque quod sequitur qualiter excusari possit intelligo; quod cum in se bonorum tutelam et malorum exterminium suscepisset, post non longum tempus (ipse forte causam noverit, ego enim eum postea non vidi, sed malefacti ratio, procul dubio,

etsi ab homine diserto aliqua fingi possit, vera tamen esse penitus nulla potest) repente mutatus animo ac moribus, non sine gravi periculo metuque bonorum, malis favere totumque se illis credere incepit; atque utinam ex malis non pessimos elegisset; de quo alia etiam ad eumdem epistola mea est, nondum prolapsa, iam nutante republica. Sed hæc hactenus. Loquor enim ardentius et per singulos orationis meæ passus subsisto, mœstus ut vides, ut qui in illo viro ultimam libertatis italicæ spem posueram, quem diu ante mihi cognitum dilectumque, post clarissimum illud opus assumptum colere ante alios mirarique permiseram. Ideoque quanto magis speravi, tanto nunc magis doleo spe prærepta; fateorque, qualiscumque sit finis, adhuc non possum principium non mirari. Venit autem non vinctus : hoc unum defuit publico pudori; cæterum eo habitu ut spei nihil esset in fuga : inque ipso civitatis ingressu de me quæsivit infelix an in curia essem, seu opem forte aliquam ex me sperans, quæ in me, quod ego quidem noverim, nulla est, seu sola veteris eisque ipsis in locis contractæ olim amicitiæ memoria. Nunc ergo viri salus, de cuius manu tot populorum salus incolumitasque pendebant, de manibus pendet alienis. Vita simul et fama eius in ambiguo sunt. *Non advertes ante vibrante sententia* (*sic*) vel intestabilem illum audies vel extinctum : sed extingui quidem cuiuscumque mortalis, licet sanctissimum, corpus potest : at neque mortem neque infamiam virtus timet : inviolabilis est, nulli prorsus iniuriæ, nullis telis obnoxia. Utinam non ipse suum decus vel desidia vel mutatione propositi deformasset; nil sibi nisi in cor-

pore ab hac sententia metuendum esset; quamvis ne nunc quidem ullum inde sibi famæ discrimen impendeat apud eos qui veram gloriam falsumque dedecus, non opinione vulgari, sed quibusdam certioribus suis notis examinant, et eventus virorum illustrium virtutis non fortunæ iudicio metiuntur. Quod ita esse ex obiecti criminis qualitate perpenditur. Nihil enim ex eis quæ bonis omnibus in illo viro displicent arguitur, neque omnino finis sed principii reus est. Non sibi obiicitur quod malis adhæserit, quod libertatem destituerit, quod e Capitolio fugerit, cum nusquam honestius vivere, nusquam gloriosius mori posset. Quid ergo? Illud unum sibi crimen opponitur unde, si condemnatus fuerit, non mihi quidem infamis, sed æterna decoratus gloria videbitur; quod scilicet cogitare ausus sit ut salvam ac liberam vellet esse rempublicam, et de romano imperio deque romanis potestatibus Romæ agi. O cruce vulturibusque dignum scelus! civem romanum doluisse quod patriam suam iure omnium dominam, servam vilissimorum hominum videret! hæc certe criminis summa est; hinc supplicium poscitur. In hoc statu, (ut iam tandem audias cur incepi, habeasque quod rideas post dolorem) unam sibi relictam spem salutis amicorum litteris edidici, quod vulgo fama percrebuerit poetam illum esse clarissimum: itaque nefas videri talem et tam sacro studio deditum hominem violare, illa quidem præclara sententia iam in vulgus effusa, qua pro Aulo Licinio Archia præceptore suo apud iudices usus est Cicero; quam non apposui, quoniam orationem illam ab extrema olim Germania advectam, dum loca illa visendi ardore iuveniliter peragrarem. et anno altero

in patriam vobis optantibus transmissam, habetis studioseque legitis, quod in litteris inde venientibus recognosco. Quid vero nunc dicam? Gaudeo equidem et plusquam dici possit gratulor, tantum etiam nunc honorem Musis esse, quodque magis mireris, apud Musarum inscios, ut hominem, alioquin ipsis iudicibus invisum, salvare possint solo nomine. Quid plus sub Augusto Cæsare meruissent, quando illis summus honor habitus, quando ille vatum ex omni regione concursus Romæ fuit ad spectandam præclarissimam illam faciem unici principis et amici poetarum et rerum domini? Quid amplius, quæso, tunc tributum Musis esset, quam ut hominem, non laboro quanto dignum odio, odiosum certe, neque cuius reum criminis, reum tamen convictumque et confessum concordique voto iudicum capitali sententia feriendum, periculo mortis eriperent? Iterum dicam gaudeo, gratulorque sibi et Musis; sibi hoc esse præsidium, Musis hunc honorem; neque ancipitis spei reo in extremis casibus hoc salutiferum poetæ nomen invideo. Si me tamen interrogas, Nicolaus Laurentii vir facundissimus est, et ad persuadendum efficax et ad oratoriam pronus: dictator quoque dulcis ac lepidus, non multæ quidem, sed suavis coloratæque sententiæ. Poetas, puto, qui communiter habentur, omnes legit; non tamen ideo magis est poeta quam textor, ideo quod manibus alienis texta chlamyde induitur; et licet ad poetæ nomen promerendum non sufficiat solum carmen, sitque verissimum illud Horatii:

.... neque enim contexere verbum
Dixeris esse satis, nec si quis scribit uti nos
Sermoni propiora, putes hunc esse poetam;

iste tamen nunquam vel unicum carmen, quod ad aures meas venerit, contexuit; neque enim ad id animum applicuit, sine quo nihil, quantumlibet facile, bene fit. Hoc tibi notum facere placuit ut de assertoris olim publici fortuna doleas, de insperata gaudeas salute, de salutis autem causa mecum pariter indigneris et rideas, cogitesque: si (quod utinam accidat) sub clypeo poetico Nicolaus e tantis periculis evaserit, unde non evasurus esset Maro? Sed ille sub his iudicibus aliam ob causam periret, quia scilicet non poeta sed necromanticus haberetur. Dicam quod magis rideas. Ipse ego, quo nemo usquam divinationi inimicior fuit aut magiæ, nonnunquam inter hos optimos rerum iudices propter Maronis amicitiam necromanticus dictus sum. En quo studia nostra dilapsa sunt! O nugas odibiles ridendasque! Et, ut multiplici gestu cuncta cognoscas, quidve de minoribus opinandum sit maiorum concipias ab exemplo, addam aliud illustre ridiculum. Magnum amicum cultuque præcipue colendum Babylone habeo: utor enim prisco et ingenuo loquendi more, quo Cicero Magnum Pompeium familiarem suum vocat, et Plinius secundus Vespasiano suo salutem dicit. Nam, si moderno servili atque adulatorio sermonis genere utendum est, habeo singularem verendumque dominum. Utcumque tamen hoc dixerim, illud vere dici potest, unum esse ex paucis, principem inter principes, excellentissimum inter summos, romuleique clarum decus cardinis, virum raræ prudentiæ, cuius consilio perfacile terrarum orbis regi posse videatur, litterarum præterea multarum et excelsi ingenii. Sed verum est quod Sallustius Crispus ait: *ubi intenderis ingenium valet.* Ille ergo vir tantus inter

familiares sermones, quibus me sæpe dignatur, quotiens mentio incidisset alicuius, qui vel tria verba ad populum facere, vel securi conductus epistolam dictare didicisset, me attentus, ne dicam attonitus, percontari solebat in hunc ferme modum: estne hic de quo loquimur poeta? Ego autem tacebam: quid enim aliud facerem? Id enim vero cum ex me sæpe de quibusdam scholasticis, pingue quiddam et rancidum usu potius quam ratione dictantibus, quæsivisset, et ego semel ægre risum continerem, animadvertit oris mei habitum vir ille cautissimus; itaque magis ac magis instare cœpit ut dicerem quid rei esset. Tunc ego familiaritate illa qua secum fidenter loqui omnia, eo sic volente, sum solitus, ignorantiam rei pulcherrimæ in tanto ingenio reverenter increpui, quod non saltem primos atque latissimos terminos nosset artis illius, in qua olim, licet publicis occupatos curis, mundi dominos altissima ingenia cupide et diligenter exercuisse constaret: propositisque aliquot exemplis, quibus tu non eges, in hanc sententiam conclusi, ut ostenderem sibi, pauciores poetas esse quam crederet, et pro tempore pauca strictim de poeticæ primordio, de viis ac termino, et præsertim de ipsa incredibili poetarum raritate disserui, quem novissimum articulum in Oratore suo Tullius attigit. Quæ cum vir ille magnus inque aliis doctus et in his minime indocilis intentis auribus audivisset, sitienter amplecti visus, crebroque dehinc singula repetens, post eum diem huiusmodi quæstionibus abstinuit. Tu vive feliciter et vale. Et nisi tibi aliter videtur, epistolam hodiernam hesternamque, postquam legeris, mitte Neapolim ad Zenobium nostrum, ut ipse Barba-

tusque meus, si forsan e portu Sulmonensi Partheno-pæas repetiit procellas, risum nostrum indignationemque participent.

Ad fontem Sorgiæ IIII. Idus Augusti.

EPISTOLA VII.

FRANCISCUS PETRARCA ABBATI SANCTI BENIGNI S. P. D.

Se studiis assidue incumbere. Scribendi et canendi cacoethes invaluisse. Ad fontem Sorgiæ adhuc se moras nectere ipsius eiusque domini reditum expectantem.

Mira res dictu: scribere cupio, nec quid aut cui scribam scio: et (tam ferrea voluptas) papyrus, calamus, atramentum, nocturnæque vigiliæ somno mihi sunt et requie gratiores. Quid multa? Crucior semper et langueo, nisi dum scribo: sic nova perplexitas: in quiete laborans in laboribus conquiesco. Durum pectus ac saxeum, et quod vere deucalioneis ex lapidibus ortum putes, ubi totum membranis incubuit, ubi digitos oculosque lassavit, tum frigus æstumque non sentit, tum sibi compositum lodice mollissima videtur, metuitque divelli, et obsequium sibi negantibus membris hæret; ubi vero, iubente necessitate, distrahitur, tum primum lassari incipit, et perinde laborum ferias init, quasi segnis asellus sub iniquo fasce scrupulosum montem iussus adscendere; mox non minus avide cœptum repetit, quam plenum fessus ille præsepe: nec minus longis lucubrationibus, quam is pabulo et quiete refici-

tur. Quid ergo, quando neque a scribendo cessare, neque requiem pati possum? Scribam tibi, non quod magnopere te ista contingant, sed quia neque rerum cupidior novarum et præcipue mearum, neque occultarum vestigantior, neque difficilium intelligentior, neque incredibilium examinantior alius mihi tam proximus nunc extet. Audisti ecce iam partem status mei laboriosique animi, et fabellam interseram quæ te mirari amplius cogat, meque vera locutum probet. Amicum habui in sublimis amicitiæ summo gradu. Is eo tempore quo ardentissime *Africam* meam ingressus, quantum nunquam sole leonem obtinente arsit, *Africæ* opus inceperam, quod inter manus meas diutius iam pependit, et quod unum, si qua spes salutis est, anheli sitim pectoris puto vel leniet vel extinguet, cum vidisset immodico labore confectum, improviso sermone me aggressus, petiit munus sibi gratum, mihi perfacile: quod cum ignarus annuissem, ut cui negare nihil possem, et quem scirem nil nisi amicissimo animo petiturum; da, inquit, mihi claves armarii tui; quas cum dedissem admirans, ibi protinus libros omnes meos atque omnia ad scribendum instrumenta conclusit obseravitque sollicite, atque abiit; et decem, inquit, tibi dierum ferias indico, et ex pacto iubeo ne quid hoc tempore legas aut scribas. Agnovi ludum. Otiosus sibi, mancus mihi remanere visus eram. Quid expectas? Transiit dies ille anno longior non sine tædio; die altero dolorem capitis a mane ad vesperam passus sum; tertius dies illuxerat et quasdam febris motiunculas sentire cœperam: rediit ille, re cognita, clavesque restituit. Ita ego repente convalui, et ipse postmodum me laboribus ali

videns, ut dicebat, a simili se prece continuit. Quid igitur dicam? Itane verum est ut, sicut cæterarum rerum, sic scribendi cacoethes, insanabilis, quod ait Satyricus, quod ego addo, contagiosus etiam morbus sit? Quam multos enim putas me, qui tecum loquor, morbi huius contagiis infecisse? Solebant in memoria nostra rari esse qui hæc scriberent; nunc nemo non scribit. Rari aliud scribunt. Quod ad coætaneos attinet, ut quidam putant, non minima culpæ pars penes me est. Audieram id quidem a multis; sed ita mihi, quando huius nullam spero, cæterorum animi morborum sanitas votiva contingat, ut nunc vix tandem indiciis admonitus et velut experrectus, animadvertere primum cœpi, posse id verum esse, ut, dum prodesse mihi studeo, mihi pariter multisque nocuerim inadvertens; nec fortassis iniustam fuisse querimoniam senis olim patrisfamilias, qui subito mœstus et pæne lacrimans ad me venit: et *cum ego*, inquit, *tuum nomen semper amaverim*, *quam mihi tu vicem reddideris, vide. Filio meo unico pereundi causa es.* Obstupui primum erubuique: tangebat animum ætas hominis, orisque habitus, non parvi doloris indicium præ se ferens; deinde ubi ad me reversus sum, quod in re erat, me neque eum neque filium eius nosse respondi. *Quid refert*, inquit senex, *an tu illum*, *certe ille te novit*, *et a me multa impensa iuris civilis studio traditus*, *tua se vestigia sequi malle ait: ita ego magna spe privatus; ille, ut auguror, nec iurisconsultum impleverit nec poetam.* Quo dicto me et qui aderant vertit in risum: ipse nihilo lætior factus abscessit. Nunc intelligo non risum illi debitum, sed miserationem et consolationem fuisse, atque illius convicium et querelas iu-

stitia non carere. Assueverant enim filiifamilias suis et amicorum commodis intenti rei familiaris aut mercium aut loquacis fori strepitus, atque acta conscribere. Nunc omnes unum agimus, nunc penitus verum est, quod ait Flaccus:

Scribimus indocti doctique poemata passim.

Durum solatii genus multos laborum invenisse participes: mallem solus ægrotare; iam et meis et alienis malis exerceor, et, si respirare cupiam, non sinor. Quotidie epistolas, quotidie carmina omnis in caput hoc nostri orbis angulus pluit: nec satis est peregrinis; iam nec Gallis modo, sed Graiis et Teutonis et Britannis tempestatibus litterarum pulsor, omnium ingeniorum arbiter, mei ipsius ignarus. Si ad singula respondeam, occupatissimus omnium mortalium; si damnem, censor invisus; blandus mendaxque, si laudem; insolens superbusque, si taceam. Timent puto ne lentius ægrotem: compotes voti faciam, hinc illorum stimulis, hinc meis ardoribus. Nihil actum erat, nisi et in ipsam romanam curiam (quis crederet?) novissime latens morbus irreperet. Quid enim iurisconsultos putas agere, quid medicos? Iustinianum iam atque Æsculapium non norunt: clientes atque ægros ululantes non audiunt: obsurduerunt enim Homeri Virgiliique nominibus attoniti, et ad strepitum fontis Aonii nemorosis Cirrhæ vallibus oberrantes. Quid minoribus monstris insisto? Carpentarii, fullones, agricolæ, desertis aratris et cæterarum artium instrumentis, de Musis et de Apolline fabulantur. Dici non potest quam late iam vagetur hæc pestis, quæ paucorum nuper hominum fuit. Si causam

quæris, res prædulcis est gustu; sed quæ admodum raris apprehendatur ingeniis, et incuriositatis eximiique contemptus rerum omnium, et elevati abstractique animi, et naturæ egens prorsus idoneæ. Itaque quod experimento simul et doctissimorum hominum auctoritate compertum est, in nulla artium minus studio proficitur. Hinc iucundum forte tibi, mihi vero rancidulum, omnes in triviis poetas, in Helicone prope nullum videas; quod Pierios favos summis cuncti labiis degustant, digerit nemo. Quanta autem, oro te, et quam amœna res esse potest veris possessoribus, quæ somniantes adeo delectat, ut occupatos licet avarosque compellat negotiorum et pecuniæ oblivisci, inter tot vanitates ævi nostri tantumque tempus perditum? Unum est quod patriæ gratuler, cui inter infelix lolium et steriles avenas toto orbe diffusas aliquot iuvenum ingenia feliciora consurgunt, nisi me amor fallit, non inaniter fontem potura Castalium. Tibi quoque dilecta Musis Mantua. tibi Patavium, tibi Verona, tibi Cimbria (*sic*), tibi Sulmo meus gratulor, et tibi domus Maronea Parthenope, dum alibi poetantium novos greges incertis tramitibus late vagos semper aridos sitientesque conspicio. Qua in re, ut dixi, mordet animum conscientia, quasi magna ex parte unus ego his omnibus deliramentis alimenta præbuerim, exemploque nocuerim, quod non ultimum nocendi genus; vereorque ne frondes illæ meæ immaturis laureæ ramis cupidius decerptæ, quamvis dici soleant somnia vera facere mihi, tamen et multis falsa fecerint insomnia et nocte concubia per autumnum eburneis emissa liminibus. Sed bene habet: ipse criminibus meis plector: nam et domi æstuo, et vix iam in publicum exire au-

deo. Occurrunt enim omni ex parte phrenetici, percontantur, arripiunt, docent, disputant, altercantur, dicunt quæ nunquam Mantuanus pastor, nunquam Mæonius senex novit: et indignor, et ad postremum metuo ne forte magistratus in ius rapiat, corruptæque reipublicæ reus sim. Sed quo feror? Dicebam modo me non habere quod scriberem. En meris ex nugis epistolam textam vides. Dicebam me nescire cui scriberem; tu his legendis aptissimus visus es. Si cur quæris, causam dixi unam. Addo aliam: quia scilicet, ut a ludicris tandem ad seria revertamur, promptior eris ad veniam, si totius orbis poematibus ac poetis obnoxius et obsessus, ad communis Domini tuasque litteras ex itinere missas non respondi aliter quam re ipsa. In quibus suæ pietatis et tui amoris signa perspexi: quarum præceptum ac consilium secutus, cum mihi iam moturo vestra incubuisset auctoritas, gressum cohibui expectans anxie dum potui; Deum testor, nullam propter spem ipsius ex litteris oblatam. Gloriari quidem apud te non vereor nosse me hominem nullum minus illi deditum passioni fore. Etenim nihil spero: scis causam: quia fere etiam nihil opto. Expectavi autem ut verendum mihi præclari illius et optimi viri vultum, ne tecum aliquid de te loquar, saltem semel videam antequam abeam. Cuius rei, postquam semel abiero, longa sum passurus, ut auguror, et inamœna ieiunia. Inter expectandum igitur ubi me litteræ reperere bimestre tempus absumpsi, cumque in finem curiæ tædiis victus essem, cessi, fateor, ac secessi: sed non longius quam ad eam solitudinem, quæ mihi ad fontem Sorgiæ est, quæque me curialibus malis fessum recreare solet alternatione

gratissima. Hic ergo modo sum, hic vos, dum sinet extrema necessitas, expectabo, ubi, licet a prima ætate multos annos egerim, nescio quomodo sive peregrinarum impressionum minus capaces animos aer hic alat, sive reposita et ex re nomen habens Clausa Vallis curas extraneas non admittat, nondum poeta ullus nostri contagio factus est, præter unum villicum meum, qui iam senex incipit in *bicipiti somniare Parnasso*, ut ait Persius: quod si serpere cœperit, actum est. Pastores, piscatores, venatores, aratores ipsique boves mera mugient poemata, mera poemata ruminabunt. Tu vive nostri memor et vale.

Ad fontem Sorgiæ.

EPISTOLA VIII.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

De ratione vitæ suæ ad fontem Sorgiæ.

Ad fontem Sorgiæ æstatem ago: iam quod sequitur, tacito me licet, intelligis; sed si loqui iubes, brevibus expediam. Corpori meo bellum indixi. Ita me ille adiuvet, sine cuius ope succumberem, ut gula ut venter ut lingua ut aures oculique mei sæpe mihi non artus proprii, sed hostes impii videntur. Multa quidem hinc mihi mala provenisse memini, præsertim ab oculis, qui ad omne præcipitium mei fuerunt duces. Hos ita conclusi, ut præter cœlum, montes ac fontes, fere nihil

videant: non aurum, non gemmas, non ebur, non purpuram, non equos, nisi duos, eosque ipsos exiguos, qui cum unico puero his me vallibus circumvectant. Postremo nullius usquam mulieris, nisi villicæ meæ faciem, quam si videas, solitudinem Libycam aut Æthiopicam putes te videre; aridam penitus et vere solis ab ardoribus adustam faciem, cui nihil viroris, nihil succi inest, faciem qualem si Tyndaris habuisset, Troia nunc etiam staret; si Lucretia et Virginia, nec regno Tarquinius pulsus esset, nec Appius vitam in carcere finivisset. Verum ne sibi post oris descriptionem dignas morum laudes subtraham, quam fusca facies tam candidus est animus; magnum et ipsa nihil animo nocentis feminæ deformitatis exemplum; de quo forte aliquid dicerem, nisi quia circa Claranum suum abunde hunc articulum in epistolis prosecutus est Seneca. Hoc singularius habet villica mea, quod cum forma corporis femineum potius quam virile bonum sit, hæc adeo formæ iacturam non sentit, ut decere illam putes esse deformem. Nihil fidelius, nihil humilius, nihil operosius. Sub ardentissimo sole, vix cicadis æstum tolerantibus, totos dies agit in campis, et Cancrum et Leonem durata cute contemnit. Sero domum rediens anicula sic indefessum rebus domesticis adhibet invictumque corpusculum, ut e thalamo venientem iuvenem dicas: nullum interea murmur, nullæ querimoniæ, nullum turbatæ mentis indicium, sed viri et natorum et familiæ meæ venientiumque ad me hospitum incredibilis cura, incredibilisque contemptus sui dumtaxat ipsius. Huic saxeæ mulierculæ instrata sarmentis terra cubiculum, huic prope terreus panis cibus, vinumque aceto similius lymphisque perdomitum

potus est. Si quid mollius apponas, iam desuetudine longissima durum putat omne quod mulcet. Sed satis multa de villica, quæ nisi in agresti scriptura locum repertura non fuerat. Hoc modo igitur oculos castigo. Quid de auribus dicam? Cantus et tibiæ et fidium dulcedo, quibus extra me ipsum rapi soleo, nulli sunt mihi: totam suavitatem illam aura dispersit. Heic nihil omnino, præter raros boum mugitus, aut belatus pecudum, præter volucrum cantus continuumque murmur aquarum, audio. Quid lingua? qua sæpe me ipsum, interdum forte alios erexi: nunc iacet ipsa et a mane sæpe ad vesperam silet: cui enim loquatur, præter me, non habet. Iam vero gulam ventremque sic institui, ut sæpe bubulci mei panis et mihi sufficiat et sæpe etiam delectet, et niveum aliunde mihi allatum famuli, qui tulere, manducent. Tam consuetudo mihi pro voluptate est; itaque villicus meus indulgentissimus familiaris, ipseque vir saxeus de nulla re mecum litigat, nisi quod durior mihi sit victus, quam qui, ut dicit, diutius ferri queat. Ego contra sentio diutius talem victum tolerari posse quam mollem, quem magni tædii esse et quinque diebus continuari non posse, Satyricus ait. Uva, ficus, nuces, et amygdalæ deliciæ meæ sunt. Quibus hic fluvius abundat pisciculis delector, nunquam magis quam dum capiuntur, quod studiose etiam inspicio, iuvatque iam hamos ac retia tractare. Quid de vestibus, quid de calceis loquar? mutata sunt omnia. Non ille meus habitus; meus, inquam. propter eximiam vanitatem qua, salva, ni fallor, honestate et decore servato, inter pares olim conspici dulce fuit. Agricolam me seu pastorem dixeris, cum tamen adhuc et vestis

exquisitior non desit, et mutati habitus nulla sit causa, nisi quia quod primum placuit, primum sordet. Soluta sunt quibus ligabar vincula, clausique quibus placere cupiebam oculi; et puto, si aperti essent, hodie solitum in me imperium non haberent : meis autem oculis nullo modo magis placeo quam solutus ac liber. Quid de habitaculo dixerim? Catonis aut Fabritii domum putes, ubi cum cane unico et duobus tantum servis habito; cæteros in Italia dimisi omnes. Utinam in via dimisissem, ad me nunquam redituros, meæ quietis unicam procellam. Villicus autem contiguam habet domum, mihi semper præsto, dum usui est, et ne unquam obsequium vergat in tædium, parvo mox ostio secludendus. Hic mihi duos hortulos quæsivi tam ingenio propositoque meo consentaneos, ut nihil magis : quos si describere aggrediar, longus fiam. In summa vix simile aliquid reor habeat orbis terrarum; et, si femineam levitatem fateri oportet, tale quidquam esse extra Italiam indignor. Hunc Helicona nostrum transalpinum vocitare soleo : est enim alte umbrosus solique studio aptus, et nostro sacer Apollini. Hic nascenti Sorgiæ impendet, ultra quem nihil est nisi rupes et avia, prorsus, nisi feris aut volucribus, inaccessa. Alter domui proximus et aspectu cultior et dilectus est Bromio; hic, mirum dictu! rapidissimi ac pulcherrimi amnis in medio est: iuxta quem brevi tantum ponte disiuncta ultima domus in parte, textudo vivis ex lapidibus curvata suspenditur, quæ nunc cœlo ardente sentiri vetat æstatem. Locus est qui ad studium accendat; augurorque, non absimilis atriolo illo ubi declamare solitus erat Cicero, nisi quod illud præterlabentem Sorgiam non habebat. Sub

hoc ergo meridies exigitur: mane in collibus, vesper in pratis vel asperiore in hortulo ad fontem naturam vincentem artificio, ubi locus est alta sub rupe ac mediis in undis, angustus quidem, sed plenus stimulis ardentibus, quibus piger licet animus in altissimas curas possit assurgere. Quid vis? possem forsan hic vivere nisi vel tam procul Italia, vel tam prope esset Avinio. Quid enim dissimulem geminam animi mollitiem? Illius me amor mulcet ac vellicat, huius me odium pungit et asperat, odorque gravissimus toti mundo pestifer, quid mirum si in vicinitate nimia unius parvi ruris innocuam polluit puritatem? Ille me hinc pellet: sentio enim statum interim meum. Vide, nihil est quod metuam, nisi reditum ad urbes. Vale.

EPISTOLA IX.

FRANCISCUS PETRARCA NICOLAO ACCIAIOLO REGNI SICULI MAGNO SENESCALLO S. P. D.

Fortibus viris rebus non verbis gloriam quæri, quamvis eam utrinque multi sibi comparaverint. Epistolam, quæ pone est, ipsi prænunciat, rogatque ut æqua mente suscipiat.

Dilatæ responsionis excusatio tua tam suaviter sensibus meis obrepsit, o maxime vir, ut eam citius venisse voluerim: magno enim tandem venit gratoque cum fœnore, in qua simul tuum ingenium, simul Barbati nostri sonantem calamum recognovi: duplex animo iucunditas geminumque solatium, quamquam heroicis tuis

actibus, te tacente, fateor, abunde mihi responsum putem. Nec enim loquor ut te ad loquendum alliciam, qui oratorum poetarumque mos est, sed ut igneæ virtuti tuæ ardentissimoque animo flammas etiam, si afflatu meo fieri possit, adiiciam: alioquin male me de republica meritum non negabo, si te ab altissimis et utilissimis curis ad hæc tuis humiliora detraxero. Generosa quidem mentis intentio aliquando gloriosius re quam verbis exprimitur. Morem igitur tuum serva, quodque animo cogitasti, factis eloquere, sequens, ut in reliquis, in hoc quoque Romanorum priscos mores, apud quos, ut ait ille, optimus quisque facere quam dicere malebat. Quamvis apud eos ipsos plerique actuosissimi simul ac disertissimi evaserint; unde est ut, quod Statius Papinius Domitiano principi blanditur, verum sit præconium multorum, ut scilicet ducum ac vatum frondes in una fronte videamus, interque dictaturas consulatus et imperia habitantes Musas, et inter litterarum studia victrices laureas miremur. Si quando igitur vacuum tempus obtigerit, ut, quod nunc fecisti, gloriosis actibus paria verba permisceas, utriusque Cæsareæ laudis ornamenta mereberis; ut, sicut animi robore præstantissimum te novimus, sic non modo militariter facundum, sed etiam artificiosius eloquentem, insuper et privata loqui docilem agnoscamus. A scriptoribus enim rerum utrumque Iulio Cæsari suum ac peculiare tribuitur: et licet ipse non sis Cæsar, quis tamen prohibet Cæsareum animum habere, Cæsareos mores, Cæsaream industriam imitari? Equidem quas tu mihi pro aridi ieiunique sermonis inopia egisti, quanto ego tibi dignius pro locuplete epistola grates agam, proque eo nomina-

tim quod in fine dixisti, esse tibi animum ut inter Vesevum Falernumque meo nomine posteris etiam profuturum novum suscites Parnassum. Cui tam liberali proposito faveat utinam fortuna sui moris oblita tantisper, et claris desinat invidere principiis: pro quo tibi et præsens ætas et studiosa posteritas mecum gratias agunt. Ego, quod ad me attinet, etsi duos Parnassos me habere glorier, tamen tertium non recuso, tuo sonorum Apolline, tuis habitatum Musis, tuis frondentem lauris, tuis demum auspiciis consecratum. Quid dicam? Magnificum est quod agis, magnificumque quod loqueris. Illud magnificentissimum atque invictissimum fuerit penitusque Cæsareum, si eadem illa magnitudine tua, qua sæpe alios vicisti, temet ipsum modo viceris, animumque forte reluctantem, iis, quæ tibi et Iohanni Barilio viro egregio communis mea fert epistola, fidelibus consiliis obsequi coegeris, et sub iugum veteris amicitiæ redire. Quod si de te deque tuis moribus non fallax æstimatio mea est, quamvis magnum iracundiæ iudicio, facile tamen ab humanitate tua me impetraturum spero. Tu felix et semper tui similis vale.

Nono Kalendas Junii, ad fontem Sorgiæ.

EPISTOLA X.

FRANCISCUS PETRARCA NICOLAO ACCIAIOLO ET IOHANNI BARILIO S. P. D.

Hortatur utrumque ut, deposita simultate, alterum alter in mutuam benevolentiam recipiat.

Iungam vos, magnanimi viri, florentinum ac parthenopæum decus: iungam ego vos, si patimini, nec contactum amicæ manus horrescitis. Non rationem temeritas, non invidia charitatem, non consilium furor, postremo non affectus mei glutinum, quo præsens calamus, immovero præsentis calami ministerio pacis amator Christus, animos nostros unit, detractorum inane murmur impediet. Magna semper amicitiæ vis est; nihil illi difficile, nihil impossibile: verissimumque est poeticum illud: *Omnia vincit amor:* vos verum in vobis efficite quod sequitur: *Et nos cedamus amori.* Cedite, oro, cui immanes cedunt belluæ, cui barbaricæ cedunt mentes, cui parent insensibilia elementa. Cedite, quæso, illi, cui postquam cesseritis, omnia vobis cedent. Nolite aures obstruere, oculos avertere, obdurare animos, quos iustus melioribus consiliis complet amor. Eam mihi spem tribuit geminata nobilitas, quæ usque adeo vos illustrat, ut in duabus urbibus tam magnis, ac duobus in populis, duo velut eximia sidera fulgeatis. Nil magis certe quam amor ignobilem animum secernit a nobili. Illum igitur audite talia visum assidue vestris animis inspirantem. « Quo in diversum abitis,

» viri optimi? Quid rebellatis, quid transfugitis? In » vobis regnabam, in vobis habitabam, tentoria fixe- » ram in vobis: ego gloriam vobis addideram, vos mihi. » Quis me de medio vestrum expulit, quis disiunxit » unanimes, et, ut proprie dicam, de uno animo duos » fecit? Redite in vos et ad me redite, meque ad vos » redeuntem admittite, sine quo nusquam bene erit. » Redite in gratiam, in colloquium, in amplexus, de- » xtras animosque coniungite, iterum e duobus unum » conflate animum. Hoc virtutem vestram decet, hoc » alienam delectat, hoc patriæ expedit, hoc bonos læ- » tificat, hoc terrificat sceleratos. Qui de vestro dissi- » dio spes nefarias conceperunt, concipiant de vestra » redintegratione formidinem. Certe si acriter intendi- » tis, is rerum vestrarum status est, ut quodammodo sive » volentibus sive nolentibus vobis, in eiusdem regiæ pe- » netralibus habitandum sit. Quanto autem serenior quan- » toque tranquillior vita erit, pulsis irarum nebulis, si » quas forte vobis impurissimus susurronum flatus in- » vexerit? Id ut optimum, sic minime operosum. Haud » equidem maior reconciliationis causa fuit sive quin- » quennalis, sive annua et semestris censura, quæ » Æmilium Lepidum et Flaccum Fulvium reconiunxit: » nec maior Livii Salinatoris et Claudii Neronis annuus » consulatus, qui oblivione lenissima atrocem oblitera- » vit iniuriam, quam vestra est non huius aut illius » officii, sed totius vitæ non ante finem deponenda » societas; nec potentior Africani Superioris et Tiberii » Gracchi mensa, quæ quos hostes acceperat non tan- » tum amicitia veteri, sed nova etiam affinitate coniun- » ctos reddidit, quam vester assiduus convictus. Quid

» Ciceronis humanitatem loquar, qui immemor iusti odii,
» durissimis etiam adversariis suis favit? Quid multo-
» rum, qui sæpe levissimis ex causis gravissimas ini-
» micitias exuerunt? Vobis nullæ inimicitiæ deponen-
» dæ; sed priscæ dumtaxat amicitiæ memoria renovanda
» est. Cogitate quidnam mali in discordia est; ut magna
» olim fregerit imperia. Ipsa quæ parem non habuit,
» nisi fallor augurio, nec habebit, romana Respublica,
» quæ virtutum innumerabilium fundamentis steterat,
» per discordiam solam ruit. Et quot hominum discor-
» dia, quæso? Procul dubio paucorum. Vix singula vi-
» rorum paria singulis ætatibus occurrerent, quibus, s'
» concors animus fuisset, salus publica non periisset
» Multa, fateor, a multis ac dura pertulisse Italos, et in-
» terdum iudicio decessisse, et *ad fatendum coegisse* (*sic*).
» Illud mihi nemo negaverit, maiores nostros semper ex
» calamitatibus surrexisse. Itaque de vobis non Indus,
» non Hibericus, non Cimber, non Maurus, non Scytha,
» non Æthiops, non Afer, non Teutonus glorietur, non
» Brennus inde superbiat, non Pyrrhus, non Philippus,
» non Perseus, non Syphax, non Mithridates, non An-
» tiochus, non Hannibal, non Iugurta: victores gentium
» ac regum, civili discordia victi estis, quæ si respu-
» blicas, si opes regias evertit, quid privatis sperandum
» familiis atque opibus singulorum? » Hæc et his si-
milia si vobiscum Amor vel Amicitia loqueretur, quid iussuri essetis? Puto non aliud nisi vos in manibus eius ferre nec imperium recusare. Atqui per os meum ille vobis hæc loquitur. Date manus, adhibete aures, obsecro vos, per si quid sanctum, si quid pium, si quid efficax inter mortales restat. Non magna poscuntur;

tantum ne animos habeatis ab amicitiæ studiis abhorrentes. Revocate ad memoriam, ponite ante oculos quidquid inter vos per omnem vitam dulce, quidquid fidum aut iucundum fuit, sicubi grata peregrinatio, sicubi placens rusticatio, sicubi iocosa confabulatio, sicubi pax, sicubi militia, si qua expeditio bellica, si quis dies in pulvere, si qua nox acta sub dio, si quando somnus humi captus et cæspes in deliciis habitus, si quando militariter inversus clypeus pro tentorio fuit, si quis denique communis labor, si qua communis gloria, si quod commune periculum, si quid ultro citroque opportunæ opis, si quid tempestivi solatii, si quid consilii salutaris. Contra autem, si quid forsan asperius intervenit, quod teneriores animi pati solent, quod in longa amicitia vitare felicitati potius quam humanæ prudentiæ tribuerim, illud penitus ex imis præcordiis abolete. Duo hæc sunt quæ et perpetuas faciunt amicitias et magnorum claris animis lumen adiiciunt; beneficiorum memoria et oblivio offensarum. Utrumque nunc a vobis exigo; quod si præstiteritis, voti optimi compos evadam, et dextero pede, ut aiunt, ad scribendum venero. Sin omnium meminisse malueritis, plusculum mihi, non inficior, negocii datur: ita tamen ut facile sperem offensam gratiæ et numero et qualitate succumbere. Neque enim estis quos unius dicti rancidioris acrimonia magis urat, quam multorum dulcedo actuum spectata permulceat. Igitur etsi res ad calculum redeat, victor ero; sed non redire maluerim. Multa sunt quidem quæ vos in amicitiam trahant. Pauca, immo vero nulla, quæ retrahant. Colligant vos prævalidi nexus, ætas, natio, militia, virtus, gloria, nobilitas, stu-

diorum identitas, recordatio meritorum et efficacissimum copulandis amicitiis vinculum, communis utilitas. Idem expedit ambobus: unum colitis regem, unam patriam incolitis, eodem tenditis animis, idem vultis: præmia virtutibus, sceleribus adesse supplicia, bonos in pretio haberi, pessimum quemque calcari, florere iustitiam, honorem esse viris fortibus, exulare malos mores, honestos autem in vestram urbem ubicumque transferri. Quæ cum ita sint quænam levis offensa, seu potius offensæ suspicio, potens erit tam solidam et tam sanctam vestrarum mentium labefactare congeriem? Ite igitur alacres quo vos nobilis ardor vocat, sequimini benesuadum impetum, nolite bonis motibus adversari, nolite, quod ait Apostolus, spiritum extinguere. Ametis vos invicem necesse est: nequidquam obluctamini: ipsa vos amicos efficit vis naturæ. Virtus etiam in hoste delectat, atque allicit et sibi placet ubicumque conspecta, seque ipsam non amare non potest. Amicitiarum radix est similitudo morum: cæterum inter malos instabile fundamentum nacta familiarítas ævi brevis est: ingens autem bonis et æterna cognatio est. Quid refert quorsum pergat indignatio, quantum ira dissiliat? Mores conveniunt, virtus hæret, et hærere animos nostros iubet; nil virtute rapacius, nil tenacius: uncos habet et catenas, et carcerem, et hamos prædulciter inescatos. Voluptatis equidem blandus est gustus, amara satietas: virtutis sapor in fine dulcissimus. Talem escam adhibere solemus, qualem avis aut feræ, quam illaqueare decrevimus, appetitum scimus. Voluptas vulgi, virtus est esca paucorum. Vos estis ex paucis; quod estis ostendite: non vobis oblectationes aut commoda (quam-

vis amicitia vera innumeris oblectationibus et commodis abundet), non illecebræ voluptatum (quamvis et suas illecebras virtus habeat), denique nihil vobis nisi virtus nuda proponitur: cuius si appetentissimi estis, ut fama loquitur, certatim illam arripite, usque ad exitum feliciter cohæsuri; *unde, ut nunc humanæ indignationis implacabiles aculei minimis licet offensiunculis irritantur, par raris exemplis laus: aliquando tanto maior infamia vos manet, quanto minor impediens causa est.*[1] Tanta est enim amicitiæ dulcedo ut ea vobis, licet in incultis epistolæ meæ vasis, apposita, nisi animos vestros quantumlibet stomachantes allexerit, verendum sit ne non tam irati quam inhumani et immites esse videamini: quæ animorum macula cum omnibus qui virtuti aut gloriæ student, tum vobis præcipue tam claris viris summo studio fugienda est. Hactenus hæc, quæ generosos animos motura non dubito. Accedet serenarum frontium eo gratior quo diutius intermissa præsentia. Sæpe multum ponderis ad inclinandum animum vultus habet, præsentes oculi, viva vox; nec illud dissimulo, me non casu aliquo, sed scienter huc traxisse sermonem, quo simul vobis longior mora sit; quam ob causam in tergo huius litteræ scriptum erat, ut vidistis, ne qua eam manus externa contingeret, neu quis vestrum communem solus epistolam aperiret. Omnibus modis egi ut diu vos in colloquio detinerem: id uti ne frustra fecerim oro vos, quorum de manibus orationis meæ pendet effectus. Putate me in medio vestri esse; ibi enim sum, et metu crucior et amore ardeo; mirum prorsus si iam vos ar-

[1] Hæc altera periodi pars adeo implexa est in codicibus C E et F, ut eam germanæ lectioni restituere nequiverim.

dentis in medio amici flamma non attigit. Præstet hoc humanitas vestra, non mihi quidem, sed fidei meæ, ut vos ambos, si Neapolim veniam, inveniam, si minus, audiam unum esse. Non sinatis plus inter armatas hostium acies iratæ licuisse Veturiæ, quam inter inermes amicos mihi supplici, aut plus sparsis crinibus Sabinas, quam effusis me lacrimis profecisse. Id si vos precibus meis annuisse cognovero, felix fuerim et abunde vixero. Quid vero nunc agitis? Quid differtis? Quid expectatis, viri sapientissimi, et veteribus obsequiis adstricti et virtutum cultu et morum suavitate simillimi? Ruite, precor, in amplexus et perditum tempus flete, parque unum illustribus amicitiis nolite subducere; quotiens adolescentes regii Tydeus et Polynices, Theseus et Pirithous, Hercules et Philoctetes, Pylades et Orestes: quotiens pythagorei iuvenes Damon et Pythias, quotiens romanæ virtutis et amicitiæ summum decus Lælius et Scipio in medium venient, permittite posteritati ne præclarissima nomina sileantur, Nicolaus et Iohannes.

Nono Kalendas Junii. Ad fontem Sorgiæ.

EPISTOLA XI.

FRANCISCUS PETRARCA ABBATI CORVARIÆ BONONIENSIS S. P. D.

Suam libenti animo litteris tradendis operam profert. Excusatum se haberi rogat quod suum de Africa poema utpote non adhuc perfectum neque expolitum communicare cum eo nequeat.

Non facile dictu est quam læte audiam te talem virum eam rerum mearum sentire dulcedinem, ut post

examen exactissimum status tui tecum, immo mecum, immo nobiscum habitum, eo fluctuantis animi proram vertas, ut ex multis vitæ tempestatibus, ad hoc solitarium atque agreste domicilium, et ad me, velut ad portum aliquem, confugere videaris. Bene utinam eligeres: sed habet hoc ardens et intensa sitis ut nullo potum de fonte fastidiat. Vides Pythagoram ac Platonem doctrinæ haustum, quem toto orbe refunderent, ægyptiacis primum et mox italis liminibus mendicantes. Tibi nunc quanta discendi sitis est, quæ te ad exilem ac turbidum ingenii mei rivulum cogit? Doceri flagitas ex me, qui discendi sum cupidior quam docendi; non tamen id cogitas: sed honesta cupiditate succensus, aridum limen lingua sæpe pulsas et calamo. Ecce tibi fores aperio. Si quid in animo meo est quod sitim hanc lenire possit, arbitrio tuo utere: alioquin fac quod ingenui convivæ: affectum læti hospitis metire, non epulas. Ego quidem omnia, ut ait Annæus, in te cupio transfundere. Tu, ut video, sic affectus es, ut totus in Scipionis mei ac solius Africæ nomine conquiescas, virtutis cultor, avidissimus litterarum. Atqui ne dum Scipio meus ad summum meo perductus est carmine, et Africa diutius mihi possessa, et laboriosius exarata quam credidi, nondum tamen supremo sarculo culta est, nondum glebulas inutiles rastris attrivi, nondum superductis cratibus scabrioris agelli cumulos coæquavi, nondum frondes et luxuriantes pampinos et hirsutam sepem falce compescui. In reliquis ergo omnibus ut libet, in hoc uno patientia opus est tua. Sine, priusquam te in possessionem Afri ruris inducam, dum licet, illud adhuc paulum ambire et videre quantum hoc fesso et fragili

ingenio datum erit, seu ne quid ibi sit, non dicam tuis omnia nostra probantibus, sed severioribus inamœnum oculis, seu, quoniam difficillimum id arbitror, ut plura ibi sint quæ placeant, quam quæ offendant. Uberrima, fateor, mundi pars est Africa: virorum optimus est Scipio; sed nulla tanti viri virtus, nulla telluris tanta fertilitas, quæ sollicito cultore non egeat. Nec coluisse semel sufficit, sed semper insistere oportet, qui singularem vel agri vel animi fructum cupit. Restat ut raptim scripta non libres, sed quidquid legis boni consulas et tempori imputes. Quod si ad singula non respondi, da veniam, precor, occupationibus meis, quæ si omnibus notæ essent, nemo non parceret, multi inviderentur, nonnulli forsitan irriderent. Vale.

Ad fontem Sorgiæ. Kalendis Septembris.

Nota. — In Codice Passioneiano qui Romæ in bibliotheca Angelica asservatur libri XII et XIII *de reb. famil.* cum editione hac nostra comparati has exhibent in litterarum ordine diversitates.

Quæ in editione nostra est	15. XII.	in Codice est	9. XIII.
	16. XII.	»	10. XIII.
	17. XII.	»	11. XIII.
	18. XII.	»	17. XIII.
	9. XIII.	»	15. XII.
	10. XIII.	»	16. XII.
	11. XIII.	»	12. XIII.



FRANCISCI PETRARCÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS

LIBER QUARTUSDECIMUS.

EPISTOLA I.

FRANCISCUS PETRARCA TALARANDO EPISCOPO ALBANENSI CARDINALI S. P. D.

Cuique mortalium præsertim vero dynastis et in sublimem fortunam evectis ærumnis laboribusque vitam esse refertam.

Clarum fieri stilo imperas. Parere quidem promptus est animus: unum inter nos non plane convenit, quod tu humo proximum clarum vocas, ego quo altiorem eo clariorem existimo, suis modo se nubibus non involvat. Cæterum tu pater, tu dominus, tu magister: tibi me, non mihi te morem gerere dignum est. Id sane nullo melius modo assequar, quam si de communi vita hominum loquar. Quotiens enim stilus vel rationalis philosophiæ perplexum, vel naturalis arcanum iter ingreditur, mirum non est si occupata lentius sequantur ingenia. At ubi ex illis angustiis egressus, ad moralis eloquii campum redit, quis tam hebete ingenio est, ut non facile comprehendat ab altero auditum quod, cunctis tacentibus, non ignorat, quodque sic esse videt in aliis ut in se probat, cuius et in oculis et in animo sunt exempla? Hac igitur de re loquar de qua nemo unquam satis loqui potuit aut poterit, immo vero nemo non sa-

tis loquitur, nemo non parum cogitat; unde fit ut verba composita dissimilitudo ingens actuum consequatur, utque, ait Cicero, cum vita mirabiliter pugnet oratio. Unde autem ordiar, nisi ab iis quæ maxime vitam tuam, gloriosissime pater, meamque circumsonant, ut intelligas, me, licet multis implicitum et obsessum curis, sæpe tamen ad te oculos reflectere, interdumque, quamvis vulgo fortasse durus videar, et laborem itineris sentire et terminum cogitare? Sumus quidem, quod nemo clarius quam tu videt, omnes qui hanc vitam agimus viatores, de itineris asperitate certissimi, de hospitio incerti: et huic conditioni nemo prorsus eximitur, seu ille hispidus agricola, seu pastor hirsutus, seu mercator instabilis, seu immobilis eremita, seu mendicus supplex, seu dives insolens, seu Gallorum rex, seu romanus imperator fuerit: et rursum seu ille humilis sacerdos, seu archidiaconus intumescens, seu præsul elatior, seu tuum, hoc est romani cardinis, gradum nactus, seu denique pontificum maximus, cui populorum admiratio Papæ nomen dedit. Omnes, inquam, pariter viatores sumus, nisi quod vos celso lateque conspecto, nos humiliori calle metam petimus, ita tamen ut adhuc longe sub pedibus nostris ingens et inenarrabilis sit itinerantium multitudo, ut illi quidem imis et obscuris vallibus, vos per altos ac laboriosos vertices, nos in medio velut inter montium convexa, diversis nempe tramitibus, sed pari periculo, ad unum omnes terminum suspiremus. Cogita acriter et intende, neque iudicio recto fortunæ tuæ splendor officiat. Videbis te (ut quod de uno dixerim, de omnibus accipias eiusdem status ac fortunæ) videbis, inquam, te multa

quidem gloria, et qualis hic haberi potest felicitate conspicuum, omnibus tamen casibus periculisque subiectum, et fortassis eo gravioribus, quo et gravior ex alto casus est, et inter prærupta gradientibus cadendi promptius periculum. Accedit non ultima mali pars, quod in utramque partem occultari nequeunt res tuæ, inque unum te defixi omnium sunt oculi; quo fit ut, sicut omnibus magno, sic tibi maximo studio laborandum sit, ut in hac via coram Deo et hominibus recti sint et irreprehensibiles gressus tui, necubi corruas, necubi declines, necubi titubes, necubi subsistas, necubi fatigeris; denique nihil admittas quod ignotum velis. Quidquid enim unus feceris scient omnes. Hæc virorum illustrium pœna est: nihil occultum habent, erumpunt omnia; rimosa potentum domus nihil intra se continet, omnia effundit in pubblicum. Scitur quid prandeant, quid cœnent, quid ad mensam, quid in cubiculo loquantur, quidquid ore exciderit studiose colligitur, omne verbum sententia est, omne fortuitum præmeditatis adscribitur, et ioci leves vertuntur in seria: denique, tot circum observatoribus intentis et animum in fronte legentibus, ipse vix tegitur cogitatus. Quid hic consulam quæris? quid, nisi semper ita vivere, quasi in publico vivas; sic agere omnia, quasi ab omnibus videaris; sic cogitare, quasi cogitata transluceant; domum tuam populi theatrum, pectus tuum templum Dei credere? Hoc tibi, hoc omnibus, præcipue magnis viris, faciendum censeo; alioquin, præter conscientiæ supplicium, vulgi quoque iudicium non evadent. Nisi enim per singulos passus non modo quid ipsi agant aut quid dicant, sed quid de illis homines

sentiant sine intermissione providerint, necesse est per impurissimorum hominum ora volutentur, quod nulla unquam felicitas vitare quivit. Immo inopes et obscuri homines taciti pæne omnia in tenebris agunt: felicibus nullæ sunt latebræ, nulla silentia.

.... Secretum divitis ullum
Esse putas? servi ut taceant, iumenta loquuntur,
Et canis et postes et marmora. Claude fenestras,
Vela tegant rimas, iunge ostia, tollito lumen
E medio, taceant omnes, prope nemo recumbat;
Quod tamen ad cantum galli fecit ille secundi
Proximus ante diem caupo sciet.[1]

Quod iis verbis a satyrico dictum, si ullo unquam tempore verum fuit, nostra ætate verissimum est. Solebant romani senatus alta consilia profundo tecta silentio non prius emergere quam quod tractatum erat in thalamo magnificis actibus impleretur. Itaque sæpe maxima bella geri prius audiebant gentes quam gerenda sensissent; sic famam bellici apparatus belli ipsius fama præcesserat. Nostrorum vero senatuum non ea taciturnitas nunc est: cuncta prius in triviis muliercularum audias celebrata sermunculis, quam fiant: et quod est vanius, multa quæ nunquam fient. Sed ad inceptum redire melius fuerit, quam vaga narratione nullum corrigere, multos offendere. Plurima quidem sunt, optime virorum, quæ secum fert vita mortalis, a quibus non mediocritas status, non humilitas, non liberat altitudo; sed in his amara multo plura quam dulcia, ut nec immerito dici putes in vestibulo vitæ duo dolia esse: dulce unum sed exiguum, amarum

[1] Iuvenal. Sat. VII.

vero alterum, sed amplissimum. Quo pro varietate intellectuum non absurde forsitan trahi posset illud Davidicum « *Calix in manu domini vini meri plenus misto* » ut calix dominicus quo in hoc exilio potamur (*sic*) miseri, aliquid velut merum et dulce habeat: plenitudo eius multis amaritudinibus sit admixta. Dulcia quidem, ut dixi, pauca sunt et brevia; breve gaudium, brevis delectatio, brevis risus, breve denique quidquid iuvat, quod expertum se fatebitur quisquis aliquantulum in huiusmodi peregrinationis calle processerit. Contra vero fortunæ prælia quam longæva, quam gravia, quot adversitatum species, quam multæ et variæ affligentium rerum formæ, nemo facile dixerit, nemo rem infinitam brevi oratione collegerit. Verum nota res est, non egens testibus procul accitis. Quisque dolorum ac laborum suorum conscientiam propriam testem habet, cuius præter notas apertasque molestias quot sint stimuli latentes, quot plagæ, quot ulcera scrutari nulla manus sufficit. Inferni statum altisono canens ore Virgilius multa commemorat, quæ quidam de statu vitæ præsentis intelligunt, quæ, ut aiunt, comparatione cœlestis, inferna est; et quoniam toti ædificio sit commune vestibulum, illic, non inepto, si vera memorant, figmento quidam, fere omnibus vitæ huius limen intrantibus communia reponuntur: in secretioribus autem circulis singulares pœnæ sunt et distincta flagitia. Non enim, exempli causa, omnibus contingit ob adulterium cædi, aut natæ thalamum invadere, aut arma impia sequi, aut leges pretio figere atque refigere, aut auro patriam vendere, aut dominórum fallere dextras. Avertat hanc pestem Deus: pessimo loco res humanæ essent, si

omnibus ista contingerent. Quæ autem in ipsa vitæ ianua sunt, licet interdum aliqua ex parte solius Dei munere declinentur, indifferenter tamen sunt obiecta nascentibus. Quænam vero ista sunt, interrogas? dignare, oro te, Virgilium ante oculos tuos venire, qui Iuvenalem iam ante dignatus es. Etsi enim propter innumerabiles et altissimas occupationes tuas tibi familiaris esse nequiverit, magnus tamen vir Virgilius, ingenio inter primos, nulli secundus eloquio, et quem si degustare cœperis, forsan dulcedine capiaris doleasque non ante tibi cognitum. Et quis, oro, melius sententiam hanc aliis verbis expresserit? Ille tibi ergo respondet his versibus:

Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci
Luctus, et ultrices posuere cubilia Curæ;
Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus,
Et Metus et malesuada Fames et turpis Egestas;
Terribiles visu formæ, Letumque, Labosque:
Tum consanguineus Leti Sopor, et mala mentis
Gaudia, mortiferumque adverso in limine Bellum.[1]

Sentis, Pater inclyte, quam durum quantisque malis obsessum iter ingressi sumus, et quam inexorabilem difficilium rerum turbam obviam habemus in limine. Nihil divitem natum esse profuerit: nihil profuerit regem nasci: etiam divitiis ingentibus paupertas ultima succedit, et sæpe, quod ait Psalmista, divites eguerunt et esurierunt: etiam purpureos thalamos luctus ingreditur, etiam in arces munitissimas cura, metus, morbus, labor adscendunt: etiam opulentissimos reges bella concutiunt: etiam vigilantissimis animis in medio

[1] Virgil. Æneid. VI.

fervore actuum torpens sopor intervenit, et modestissimi, velint nolint, lætitia gestiente turbantur: postremo etiam in deliciis actos dies senectus improvisa consequitur, et gemmato etiam vertici mors insultat. Nulli parcitur, nulli feriæ malorum sunt; habet quisque domi suæ quod doleat, quod oderit, quod lugeat, quod queratur. Raro adversus hæc profuit et sæpe nocuit eminentior fortuna: apertior est, et idcirco magis rerum procellis exposita. Habet et suas molestias status humilior, et urticis urentibus paupertas premit. Verum divitiæ spinis acrioribus abundant, et potentia temporalis vepres habet asperrimos. Novit ita esse quisquis utramque fortunam sensit. Tu, Pater, nisi quantum inexperientiam ingenio supples, horum iudex esse non potes; in amplissima enim simul clarissimaque domo genitus, inter magnas divitias ac delicias educatus, præesse solitus semper, subesse vero nunquam, per omnes fere dignitatum gradus ad summo proximum hinc virtute, hinc cœlesti sublevante clementia, felicissime conscendisti. Non es idoneus fortunæ submissioris arbiter: altioris autem nemo magis, sive experientia magistra rerum optima, sive observatio diligens ac studium, sive vis ingenii quæritur ac celeritas intellectus. De hoc ergo etsi multa dixerim, adhuc tamen non pauca dicere, et de re tibi multo quam mihi melius nota tecum, nisi respuis, nunc etiam colloqui mens est. Dicam, puto, quæ tu vera fateberis, et tam de medio sumpta, ut nisi me nosses, posses potentem opinari. Primum igitur: quantum indignationis ac stomachi, quæso, habet excelsior status, dum potentes impotentiam suam deflent, et sæpe vel minimarum re-

rum dura principia, difficiles processus, inopinos exitus, spes caducas, dum se non posse quod creditur, non timeri quantum velint, et humiliores audere contra se aliquid indignantur? Quæ quotidiana illis indignatio est. Quis est enim tam potens aut quis unquam fuit, cui non sæpe graves iniuriæ ab infimis inferrentur, a servis, a subditis, ab amicis? iis, loquor, qui falsum amicitiæ nomen habent; veri enim amici, rari, eorumque iniuriæ nullæ sunt. Sed quia non vacat minutiora complecti, maiora perstringam. Quot et quantis igitur status ille rebellibus abundat! Iulius Cæsar, quo nemo unquam bellis magis emicuit (sic enim de illo scriptum est et res ipsa testatur) extremo tempore bellum Parthis inferre et rebellantes effusos in Thracia Dacos coercere armis destinaverat: fecissetque, nisi mors illum præveniens, hos aliosque magnificos cogitatus inexpletos linquere coegisset. Ita vir ille mundo formidabilis, Germania perdomita, Gallis, Britannisque subactis, calcatis Hispaniis atque Africa et Ægypto, Ponto, Syria et Armeniis, totoque paulo minus orbe terrarum, postremo, in qua victoriarum omnium summa erat, victa et occupata republica, ipsaque romana urbe rerum domina sui civis imperio subiecta, invenit in Parthia atque in Dacia quod timeret, seu, quoniam timuisse nihil dicitur, quod curaret. Cæsar Augustus, quo nemo inter mortales altior fuit, ex ipso supremo fortunæ gradu audivit deletas in Germania legiones, Varumque Quintilium belli ducem; quem reipublicæ casum quam mœste, quam graviter tulerit, notum est. Magna mihi exemplorum acies occurrit et veterum et novorum; quæ enim gens aut quis principum tam

solidæ prosperitatis inventus est, cui non facile possent insperata circum bella consurgere, cui non ruinæ præcipitis timor esset, vel si is abesset, eo periculi plus inesset quo cautelæ minus? Si de magnæ fortunæ casibus dubitas, ante omnia respice ad imperium romanum. Quando illud fastigium ad hanc humilitatem descensurum aliquis cogitasset? Descendit tamen, quia, licet immensum, humanum tamen erat imperium, ideo æternum esse non poterat. Nulli unquam genti tanta rebellio intus ac foris. Ita semper domi militiæque cum felicitate crevit labor, crevere pericula, donec eo perventum est, ut fere iam inferius cadendi periculum non sit; et hoc quidem imperium ab omnibus gentibus invictum in se ipso vinci potuit atque consumi; cætera omnia ab aliis victa sunt. Sed ne te nunc longis ac vetustis implicem historiis, ad id quod ipsi vidimus revertamur. Habuit nostra ætas eximios reges, qui sibi et aliis vertice cœlum tangere viderentur, quos, repente bellis unde nil tale timebatur exortis, non modo ab inferioribus attentatos, quod suspicari ante id tempus nemo poterat, sed deiectos semel atque iterum, regnique fines ægerrime defendentes, ad postremum bello victos et hostilem actos in carcerem audivimus vidimusque. Quid hac fortunæ varietate molestius? quæ, licet in omni statu locum habeat, in alto tamen sævit apertius atque ferocius, eo quod, ut docti volunt, communis ex præcipiti descensus est ruere. Quid nunc de domesticis malis loquar? Clara illa duo nomina repetenda sunt: idem ipse Iulius Cæsar, quo, ut Senecæ verbis utar, nemo unquam liberalius victoria usus est, suorum gladios circa solium suum strictos micantesque

conspexit, atque illis manibus, quas victoriis auroque compleverat, aut quibus insita pietate pepercerat, circumventus occubuit. Augustus ille principum mitissimus, et totius humani generis amore dignissimus, inquietam suorum conspirationibus vitam egit. Nota quidem et inter historicos trita recenseo. Age, quam graves discordiæ contentionesque verborum, dum delicatas aures dictum liberius pungit ac sauciat? pudet cedere, pudet vinci, quod ipsum etsi inter omnes ordines videamus, Sallustianum tamen illud est verum, commune nobilitatis malum esse superbiam. Illic ergo plus stomachi ubi excellentiæ plus est: insitumque animis cæsareum illud, primordiis resistendum, quod difficilius a primo in secundum, quam a secundo in ultimum locum principes detrudantur. Age rursus: quænam illa pomparum æmulatio, vestium labor, epularumque fastidium, qui morum fucus, quod verborum frenum, quænam affectuum iugis illa compressio? Operosa res est humana iactantia, dum vel quod non es videri, vel quod es dissimulare niteris: duplex labor: bis natura vincenda, quam semel vicisse difficillimum. Quid propagandi cupiditas nominis, et posteritatis gratia studio quærenda pervigili? quid filiorum pietas aut nepotum vetustique generis anceps eventus, generosis ingens cura pectoribus? quid regimen effrenatæ familiæ et extremorum hominum odium sæpe latens, nonnunquam in ipsum domini caput erumpens? dura conditio alere aliquem cogi illos quibus odio ipse sit, quique sibi forsan exitio, tædio certe sint; non posse solum esse cum velit, obsideri semper domesticis ab hostibus, nosse cupiditatis se multiplicis prædam fore,

a pluribus spe quam studio coli, existimare plures quam diligere, pluris fortunam suam quam se fieri, multis horribilem, paucis amabilem et a quibus ametur ambiguum, quia illud Hispani vatis verum sit: *felix sit; nescit amari.* Scire prætcrea mortem suam votis optari, hæreditatem appeti, dies numerari, pigram fugam temporis videri, vacare putes periculo? Tria quidem, si memini, vitanda in primis, ut sine molestia vivamus philosophica institutione docti sumus; odium, invidiam, contemptum. Horum tu, Pater, ab ultimo liber es, a quo te opes, potentia, dignitas, scientia, nobilitas, virtus immunem præstant. A primis autem duobus quibus te artibus expedias? Quomodo enim fieri potuit, quin sæpe multos offenderis, cui propositum semper fuit, patronum te desertæ iustitiæ exhibere? necesse est autem, qui iustitiam amat, iustitiæ hostibus odiosus sit. In tanto præterea favore fortunæ, in tanta gloria, tantisque fulgoribus honorum, quomodo fieri potest ut non aliquis te luminibus insectetur livor? cuncta prius fient, quam felicitas declinet invidiam. Adde his conscientiæ aculeos, perturbationesque animi varias, pudorem, pœnitentiam, spes, dolores, metusque abditos, cum omnium, tum præcipue principum familiare tormentum. Has inter difficultates vivendum est omnibus, iis præsertim, qui alto loco siti sunt, quosque vel fortuna vel virtus illustrat: quæ cum omnibus molestæ, tum præcipue tuo proposito contrariæ sunt; retrahunt enim ad meliora dispositum animum. Novi ego, quos ut nossem voluisti, ardentissimos animi tui motus curasque pulcherrimas, studium litterarum, exercitium ingenii, mediocritatis amorem, religionis

affectum, solitudinis appetitum. Fortuna tua propositumque discordant, longeque aliud est quod agere oportet, quam quod vel expedit vel delectat. Quo in statu laborem animi tui cogito, procellamque tui pectoris ex meorum fluctuum comparatione dimetior. Si remedium quæris, unum habeo. Si quidem extra non datur esse quod cupis, intus esto quod debes. Fortuna tua in superficie pompas suas explicet: tu humilitatem tuam intus absconde. Tu in aula sedeas, animus in eremo vagetur: inter divitias paupertatem, inter epulas ieiunium ama; fulgeant in mensa aurum, gemmæ in digitis, sed clarior horum contemptus in animo: corpus purpura, mens cilicio vestiatur: monilibus instrato cornipedi insidens, asellum dominicum et attritos Apostolorum pedes; rubentis pilei decus superimponens capiti, spineam Domini coronam; in lectulo aurato iacens, Christi tuumque sepulchrum cogita: denique quidquid agas ultimum vitæ diem ante oculos semper habe, qui an sit hodiernus, an crastinus, incertum est; et certe multum abesse non potest: ea casuum varietas, ea brevitas vitæ est. Itaque ne inopinatus terreat, meditatione continua secum iam nunc familiaritas contrahenda est. Magnificentissima tria virtutis opera, spernere voluptates, amare paupertatem, mortem non timere: hoc ultimo scito nihil esse felicius. De reliquis duobus hæc sententia mea est: non minoris est meriti voluptatis contempsisse præsentiam, quam absentia se tueri: paupertatem inter divitias amare, quam vere pauperem fieri. Pauperes innumeri quidem sunt, quibus paupertas ipsa supplicium est, nec pauci sunt propter Christum de divitibus inopes effecti: quibus

gloriosa simul et iucunda paupertas est. Inter divitias pauperem animo quem mihi reperies? Magnum est per obstantia erumpere: gloriosius est præsentem hostem sternere, quam venientem declinare. Maioris animi est voluptatem contemnere, quam vitare, conspectumque aurum spernere, quam præcavere ne videas. In quacumque fortuna licet amare virtutem, in qua colenda quo plus laboris, eo plus laudis ac præmii est. Invenies qui te blanditiis onerent, statum tuum cœlo tenus attollant, vulgatorum dogmatum auctores iubeant mirari te ipsum et res tuas, dignitatem artificio tueri, meminisse sanguinis, numerare divitias, potentiam contemplari, demum immortalem prope te verbis efficiant. Ego vero nihil horum oblivisci, proque iis omnibus atque aliis multis Deo gratias agere, quibus unum ille te fecit ex paucis; in nullo tamen horum sed in Domino gloriari, in illo fidere, in illum spes tuas omnes curasque permittere: interim te ipsum et peritura despicere, et quod saluberrimum fuerit, finem semper cogitare suadeo: hoc enim uno ad ipsius vitæ pariter mortisque contemptum nihil efficacius. Sive autem vitæ huius miserias diligenter attenderis, nec, ut arbitror, multùm vivere cupies, nec timebis mori; sive brevitatem eius adspexeris, et de asperitatibus atque blanditiis tam modici temporis non curabis, tam magno animo spernens amara quam dulcia. Exilium hoc scies breve quidem sed difficile, ubi prospera fallunt, adversa deiiciunt; difficultates cunctas facile superabis si exilii molestiam brevitate consolatus, semper suspires ad patriam, cui, si Diis placet, adscriptus es civis; ubi, sicut optima, sic æterna sunt omnia. Habes, mi Domine, quod

modo scribere visum erat: si quid occurret aliud, occurrent autem multa quotidie, id dici alterius opus erit. De stilo videris: res procul dubio clara est; itaque si stilum non probas, materiam non damnabis. Vive feliciter, nostrum decus.

Ad fontem Sorgiæ. Decimo Kalendas Octobris.

EPISTOLA II.

FRANCISCUS PETRARCA SOCRATI SUO S. P. D.

Mittit ad eum litteras superiores Cardinali reddendas, cuius et animi dotes et res magnifice gestas laudibus efferens, miratur litterarum inopiam.

Magnanimum et excelsum illum virum plane nosti supra quem, præter unum Romanum Pontificem, nihil videt status Ecclesiæ militantis, immo, nisi illi invidiam, mihi adulatoris infamiam quæsisse vererer, ne hunc quidem; aliquanto enim altius videtur Papas facere, quam Papam esse. Tacet ille, fama loquitur: negat ipse, sed affirmant omnes duos eum ex ordine Romanos creasse Pontifices: quos si quis tanti beneficii memores gratosque iactaverit, tota neget Ecclesia: ipse autem, quod in lingua eius sonat et in fronte legitur, ingratitudinem alienam alto animo contemnit, neu cuiusquam vitium virtutibus suis obsit enititur. Hæc de illius viri magnitudine dixerim idcirco brevius, quod et nota res est, et illi haud sane commemorationem placitam adverti. Affectum vero eius ad me narrare tibi velle superfluum fuerit, quo non me solum, sed te et meos

omnes amplectitur. Hic vir tantus et sic nostri amans cum possit suo iure præcipere, quotidie orat ut sibi aliquid scribam, semper illud adiiciens ut scribam clare: simulque illud, quod cum illa quam postulat vix claritate cohabitat, ut aliquid de poetis interseram, quibus, me hortante, delectari cœpit, non ut illis inhæreat, sed ut eorum ope suis in finibus utatur, pieriisque coloribus civilem facundiam, qua pollet eximie, condiat atque exornet. Res hæc igitur difficultatem habet non exiguam. Sentio enim: insedit sibi planities legistarum ita, ut quidquid aliter dicitur obscurum putet: et tamen aliter dici oportet, quia sic dici utique non potest. Mirum prorsus! hac capacitate rerum omnium quæ cœlo continentur, quod Cæsari maiori Plinius Secundus attribuit, atque hoc altissimo ingenio, quo præter excellentem solertiam agendorum et consilii acumen unicum, ipsum quoque ius civile, cui ætas longa et studiosa vix sufficit, ita per se ipsum brevi tempore suum fecit, ut iurisconsultorum quorumlibet nostri ævi vel æquet gloriam vel transcendat, idque, quod mirabilius sit, inter tam varias maximarum rerum curas, et in hac fortuna fecit, in qua dediscere solent homines non discere, cum ad cardinalatum venisset indoctior; is, inquam, sic natura ornatus et studio excultus, sic rebus intelligendis aptissimus atque promptissimus, in solis verbis est segnior, omnemque non suum, hoc est non civilem seu barbaricum, stilum horret, sæpe illud ingeminans: « fac ut te intelligam sicut textum legis intelligo. » Cui ego respondeo: textum legis in quo ipse puer studui non omnibus facilem ut sibi, sed multis certe difficiliorem his quæ sibi difficillima videantur: expertis nempe

facilia omnia, difficilia inexpertis. « Fac, inquit, ut te sine labore omnes intelligant. » Cui illud obiicio, vile penitus et abiectum esse quod sine ulla mentis agitatione percipitur. Addo et quæ Clementi VI similiter instanti dixi olim multa, quin et alia quæcumque sese offerunt in rem præsentem efficacia, atque illud inter cætera, malle me a paucis intelligi quam probari a nemine. Docti enim semper pauci, nostra ætate paucissimi, cito autem, nisi sapientia divina provideat, nulli erunt. Donec ergo pauci sunt, neque enim multos, qui nunquam fuerunt, quandoque iam futuros spero, ut ab illis iudicer non recuso: multorum vero, hoc est vulgi iudicium, sic nullius momenti feci semper ac facio, ut ab iis malim non intelligi quam laudari; vulgi enim laus apud doctos infamia est. Sæpe insuper Ciceroniana illa sententia usus sum, quæ in Tusculano eius scripta est, maximum argumentum esse non subtiliter ea dici quæ facile discuntur et probantur ab indoctis. Ad extremum quidem auctoritate viri prægravor luctatusque diu succumbo, et sæpe rationem meam subiiciens voluntati suæ, ut sibi placeam, mihi displiceo: sed ne displiceam multis, novo more usus, sic illi scribo ut exemplaria non reservem. Nunc vero longæ ac fervidæ illius instautiæ, in eo quod me clarum fieri voluit, aliquando sic parui ut verear ne sibi nimis obtemperatum dicat. Utcumque ille iudicaturus sit, tu ingentem hanc sibi epistolam dabis, quam idcirco tibi primum dirigendam credidi, ut esset tibi occasio illum adeundi, a quo nemo unquam nisi aut melior discessit aut lætior. Vale.

Ad fontem Sorgiæ. Decimo Kalendas Octobris.

EPISTOLA III.

FRANCISCUS PETRARCA LUCÆ SACERDOTI PLACENTINO S. P. D.

Dolet de funere amici adolescentis, et iacentem animum erigere conatur.

Nisi iampridem detersissem oculos et viam gemitibus obstruxissem, firmassemque animo mortem mortalium non lugere, in multas me lacrimas traxisset epistolæ tuæ tenor, quas tamen ægre continui, quominus suavissime obrepentes assuetum ad limen in silentio pervenirent: ita mihi mirabilis ac stupenda, si quid omnino stupendum esset quod naturæ omniparentis imperio accidit, ita intempestiva et acerba, si qua dies tributo mortis esset apposita, ita denique repentina et præceps amici nostri ruina visa est; tam egregium iuventæ florem, tam nitidum formæ lumen, e summo, ut apparebat, firmissimoque virentium annorum atque optimæ valetudinis suæ statu, non toto, ut ipse ais, trium horarum spatio concidisse; quo recenti scilicet et claro notissimoque mihi commonefierem exemplo verum esse quod quotidie verbo dicimus, moribus licet ac studiis non probemus, nullam in rebus transitoriis spem habendam, et adversus mortem, præter vitæ meritum ac conscientiæ puritatem, nullum penitus esse remedium. Quid enim mihi medici pollicentur, quos passim mori cernimus, semperque, quod iam in proverbium abiit, pallere, nec rarius ægrotare quam cæteros? Sola virtus nescit interitum. Quid autem, quæso, amico nostro deerat? et tamen quid sibi ætas profuit, quid

forma, quid munditiæ, quid cultus corporis, splendorque purpureus, quid vestium studiosa varietas, exquisitusque habitus, quid iucundissima vox cantusque mellifluus, quid lepor in verbo, quid angelica suavitas in incessu, in gustu, in accubitu, in iocis, in seriis? Anne his omnibus vel momento temporis differre potuit mortis horam? O res hominum ambiguas, o impræmeditatos exitus! O fallacem spem, volubilemque fortunam! O tenuissimo filo gaudia nostra pendentia! O nunquam certum mortalibus semperque suspectum ac formidabilem fati diem! Sed quid ago? Ecce iam pedetentim pelagum ingredior vix bene tutus in litore. Itaque redeundum est. Amicus noster periit quo nihil ornatius civitas illa genuerat. Talis ibi qualis Romæ Scipio, qualis Spartæ Leonidas, qualis Alcibiades Athenis, cuius nulli secundam indolem mirari soleo, quem colo, quem dilexi, et qui mihi quam carus fuerit, nunquam clarius quam perdendo cognovi. Talem igitur casum tacitus ferre non potui. Sed non ideo longis querimoniis indulgendum est. Periit amicus noster? Immo vero pereundi finem reperit. Obiit? Immo abiit, ubi iam sine abeundi solicitudine metuque permaneat. Abiit? Immo potius rediit unde discesserat, unde peregrinabatur, unde exulabat; rediit ad illum a quo in custodiam caduci, licet pulcherrimi corporis, missus erat. Mortuus est? Immo nos assidue morientes deserens, nunc primum vivit. Sepultus est? Immo gravibus vinclis explicitus suum terræ, cœlo suum reddidit. Iacet equidem corpus exanime et oculos spectantium, quos mulcere consueverat, nunc terret; animus autem corporeo carcere liberatus, iam lætior semperque ipso formosior ac vi-

vacior, virtutibus suis comitantibus, astra conscendit. Illic modo habitat, ut spero; corpus terræ creditum multo splendidius suo tempore recepturus. Secum ergo tam feliciter actum puto, ut illius vicem deflere non tam commiserationis quam invidiæ videatur: mecum incommodius, ut Lælius in Africani sui morte conqueritur, quem fuerat æquum, ut prius introieram, sic prius exire de vita. Me ipsum tamen cum eodem Lælio consolor: virtutem enim illius viri amavi, quæ extincta non est, alioquin inconsolabili mœrore conficerer. Quamobrem, tuis litteris lectis, ut dixi, luctum ingentem omni quantulacumque aderat ratione coercui, dolorem coercere non potui; dolui, fateor, nec occulto tibi mollitiem meam; dolui, inquam, et doleo plus aliquanto quam iam doliturum aliquid cogitassem; doleo autem non illius immutatam sortem, sed et patriæ rarum decus et viciniæ nostræ quoddam velut insigne sidus extinctum, et a nobis non inamœnum curarum nostrarum solatium recessisse. Sed quoniam magnus dolor, nisi coactus, non desinit, et damnorum irreparabilium querela nil nisi damni ac doloris accessio est, his omissis, ad illam epistolæ tuæ partem venio, ubi ut pro illo orem iubes. Et admonitionem quidem tuam laudo. Verumtamen, tu sacerdos: tuum est orare: ego et defuncti et superstitis amicus, te pro illo rogo, ut, si quid felicitati suæ deest, tu pro eo communem Dominum Christum roges. Vale.

Ad fontem Sorgiæ. Septimo Kalendas Octobris.

EPISTOLA IV.

FRANCISCUS PETRARCA LUCÆ SACERDOTI PLACENTINO S. P. D.

Adversus obiurgatores quibus sui in Italiam reditus vulgata fama calumniandi præbuit occasionem.

Duas simul epistolas tuas accepi, exhortatoriam alteram animo meo gratissimam et inter huius temporis angores atque fastidia non modo iucundam, sed prope necessariam: alteram vero reprehensoriam, non minus utique placituram, si reprehensio iusta foret. Illa quidem, ut ais, non tua est, sed vulgi, quæ licet auribus infesta, tamen animum non attingit: nam ut minime novum calumniæ genus, ita scis me sæpe passum talia, et minime mirum, me populo displicere. Id potius miror dum interdum me ab illo laudibus insperatis et invisis celebrari audio. Cum prima enim amoris causa similitudo sit, ego in hoc occupatissimus semper fui, ut vulgo dissimillimus evaderem; quod si unquam plene assequi potuero, tum demum me felicissimum arbitrabor. Quomodo igitur placerem illis, quibus ut displiceam summo semper studio nisus sum, cum assentatores blandi plebiculæ, quibus diversum studium intentioque contraria est, vix artibus suis omnibus possint quod cupiunt invenire, quorum plerique post pudendo artificio quæsitas laudes non solum ignominiam versis repente suffragiis, sed, illorum more qui pardos aut tigres aut leones blanditiis aluerunt, sæpe etiam delinitæ plebis impetum aut insidias passi sunt? Sed redeamus ad propria. Nolo mireris si in me

nunc hoste notorio taliter inimicus vulgus iure suo utitur; magni autem et bene compositi viatoris est latratibus non moveri. Ego profecto non moveor, et sæpe illud Ciceronis in animum redit: *quid de te loquantur homines ipsi viderint.* Et post pauca: *alta spectare si voles, neque vulgi sermonibus te dederis, nec in præmiis humanis spem posueris rerum tuarum:* et illud Senecæ: *male de me loquantur homines, faciunt non quod mereor, sed quod solent pigri canes et inutiles et inedia scabiosi, quando ad lunam latrant.* Quid se de rebus ac de proposito eius torquent qui nunquam vel semel de eorum vita vel morte, aut omnino de eis nisi ut de totidem, ne dicam belluis, sed cadaveribus cogitavit? At dulce est multis insanire, et propriis neglectis, alieni pectoris secreta perquirere, profundæque mentis latebras scrutari. Quæ omnium perdifficilis indago est, divinant forte quod humano studio sciri nequit. Quisnam, oro, Delphis profugus Apollo istorum sese pectoribus infudit? Prorsum mira res: rerum suarum nescii meas norunt, quas ego quam longissime ab illorum oculis, et, ut Æneas pignora penatesque suos, curva in valle recondidi. Quid autem dicant operæ pretium est excutere. Iam enim pedetentim ad causam loquendi pervenimus. In primis quidem cuius ab Italia discessum velut fatalem sibi ac valde pestiferum timuerunt, eius nunc reditum fama, ut ais, præcognitum criminantur, vel insolentes, si nusquam esse velint a quo nusquam esse prohibentur, vel insani, si eumdem simul et discedere doleant et reverti. Ego vero quid dicam? quando etiam nunc actuum ratio reddenda est, (est enim officii proprium nihil agere, cuius non possis

reddere rationem) non vulgo certe, sed tibi et profectionis meæ, et moræ, et reditus, et totius propositi summam brevibus absolvam. Veni, ut scis, nuper ad curiam, immo vero Babylonem veni. Mirantur et stupent quod hinc abire meditor, ubi, Deo et conscientia testibus, quod ex me sæpius audisti, nunquam nisi tristis et invitus fui, tunc etiam dum laqueis validioribus retinebar. Sed veni. Iam hinc, nisi penitus desiperent, præsagire poterant non sine magna causa, sed quæ eos et latuit et latebit, me non errore aliquo ad locum mihi ab infantia et cognitum et invisum commigrasse, deserta ad tempus statione gratissima et solitudine, cuius, si me ipsum familiariter agnosco, nemo appetentior usquam vivit, dimisso Helicone nostro italo, et otio litterato ac tranquillo, nulli nocuo, multis invidioso, et, ut animadvertere incipio, nonnullis etiam odioso, atque his tot tantisque solatiis inamœna negotia prætulisse et inextricabilem curiæ labyrinthum. Forte me paupertas vel divitiæ pepulere, duplex mortalium labor, vel inimicitia, vel simultas aliqua, vel, quo nil molestius altis animis esse solet, contemptus me forsitan loco movit? Plane horum quodlibet suspicentur, nisi semper æquis spatiis et a magnis divitiis et a turpi inopia distare studui, nisi bonis omnibus, non solum iis quibuscum vitam agere contingit, sed etiam longe positis carus semper et singulari quadam benevolentia cultus fui; si non me principes Italiæ viri et precibus retinere tentarunt, et abeuntem doluerunt et absentem avidissime præstolantur. Aliquid puto, sed occultioris causæ fuit, quæ me tot obstantibus urgeret, renitentibusque convelleret. Et quid sciunt an id ipsum pro

quo veni iam perfectum sit, an vero perfici non possit? Utraque redeundi sufficiens causa est. Rursus quid sciunt an et hic esse diutius et eos interim irridere propositum sit? Iam doloris causam, iam clavi locum reperi. Hoc est, mihi crede, quod illos premit, non quia me istinc absentem doleant, sed quia hic præsentem metuunt. Istic enim aures eorum atque oculos dumtaxat offendo, hinc ex me graviora concipiunt. Ita ego non solum bonis amabilis, quod semper optaveram, sed, quod minime voluissem, stultis quoque formidabilis factus sum. Novum vero malitiæ genus attende: habet enim et dementia suum acumen aculeosque suos. Moram meam quam longiorem exccrantur ac metuunt, breviorem simulant se timere, ut vel sic efficiant quod intendunt, non ignari me illorum semper opinionibus toto animo repugnantem, et niti solitum per adversa iudicia delirantium, ut qui nullo calle felicius ad verum perveniri arbitror, quam præcipites et obliquas vias cæcæ vagæque multitudinis deserendo. Quem sane colorem figmento prætendant videamus. Nam ne in hoc quidem conveniunt; non insolitum turbæ malum: secum ipsa discordat amentia. Quidam ergo reditum meum, qui nondum est, atque utinam nunc esset, non ut illorum metus, sed ut animi mei desiderium leniretur, inconstantiæ attribuunt, quasi non omnibus notum sit quibus ego notus sum, nullam minus maculam meis moribus convenire, aliquantoque magis, nisi ab iniquis rerum existimatoribus, pertinaciæ suspicionem quam inconstantiæ formidandam. Quidam vero idem festini reditus crimen, ut scribis, avaritiæ adscribunt, quibus, tacito me, vita respondet mea. Quis unquam huius ge-

neris avarum vidit, qui cum dives esse posset, pauper esse maluerit? Atqui cupere et spernere adversa sunt. Sed invidia cæci contraria loqui se non vident, et contemptorem vocitare soliti, quotiens libido labiorum tulit, avarum dicunt. Quid ad me? dicant vel furem, vel raptorem, vel testamentorum captatorem, non magis ideo talis fiam, quam ipsi iusti, magnanimi, sobrii, prudentes fient, si ego id de eis dicere voluerim non minori quidem, sed honestiori mendacio. Vetus ista licentia obtrectandi iis quos modo laudaverint: vetus hæc impudentia, vetus incuriositas mentiendi, eo forsan excusabilior quod, canibus quoque mos est, quibus hi simillimi fieri student, qualiter latrent seu quam uniformiter non curare. Nisi forte illa iustior insimulatio dici potest, quod, cum duo sint avaritiæ capita et sit alterum immodico appetitu, alterum nimia tenacitate damnabile, non primi arguor, sed secundi, quasi voraginem curialium impensarum vel ferre non ausim, vel non possim: quorum ultimum, etsi verum esset, non animi sed fortunæ crimen esset. A primi certe suspicione me liberat patrimonii mei modus, non auctus tempore, sed potius imminutus, ea fiducia quod cum semper paucis, tum ad terminum propinquanti paucioribus opus est. Inhæsit ossibus ciceronianum illud: avaritia senilis quid sibi velit non intelligo: potest enim quidquam esse absurdius, quam quo minus viæ restat, eo plus viatici quærere? Fidenter hoc dixerim hostilis et exquisitæ calumniæ commentum esse. Dies ultima testis erit, quando nil auferre, nil occultare permittitur abeunti; quin et conscientiæ et delatoris intrepidus, unum hoc cum infidis accusatoribus bona fide

paciscor, et epistolam hanc adstipulatricem, teque cum omnibus, in quorum manus venerit, testes facio; ut si vel hodie apud me, vel quando hinc migrabo, præter libellos in quibus mihi omnis ferme laborum quies et solatium vitæ est, præter modestam supellectilem et quotidianum sumptum, qui hactenus vel nunquam vel raro unquam defuit, si præter hæc, inquam, ii defossi auri acervatæque pecuniæ montes mihi fuerint inventi, quos sibi horum fingit invidia, libere quidquid id est sibi diripiant, quoque nullus mihi esse posset invisior patrimonii finis, invicem partiantur. Hanc hæredi meo præsenti elogio legem dico, ne quid hiscere audeat ab adverso, et ut cupide quæsiti thesauri illorum possessio, sic sola cupiditatis infamia mea sit, hæredis vero nudum nomen et inanis expectatio. Verum isti quia me habitu minus forte miserabilem, quam se ipsos vident, dum sibi aliquantulum latentis auri sentiunt, mihi pro rata parte fortunæ ingentes thesauros humi abditos suspicantur; et opinari nequeunt me non de aliquo thesaurizare, cum ipsi pæne de nihilo thesaurizent. Stultissimi et iniquissimi iudices, qui propria mensura alienum animum metiuntur omni ex parte dissimilem. Illi enim semper se victuros sperant non modo mortales sed etiam moribundi: ego me incolumis et mortalem et ævi brevis memini, eiusdemque, ut Seneca tuus ait, incerti. Illi tuta sibi defutura formidant, ego contra omnia affatim superfutura confido. Horum tamen error eatenus mihi gratus esse potest, si eos fallit et cruciat: si autem simulatus est error, magna mihi pars iucunditatis eripitur, qui animos eorum venenosis morsibus invidiæ et arcanis curarum stimulis velut totidem tortoribus

carnificibusque devoveo. Sed iam quod alii vel fingant vel cogitent audiamus. Diffidentiæ dicunt esse, si redeo. Cuius quæso diffidentiæ? An cuiquam ignotum est, neminem huc tam parva fortuna hominem his temporibus venisse, qui, ut a capite incipiam, et a romano pontifice et a maximis et a magnis tanta alacritate tantoque cum gaudio videretur? Gloriari enim oportet, sed in Domino, qui mihi tribuit tantum et tam rarum favorem vel mereri posse, vel sine meritis invenire. Magna quidem cum admiratione multorum, præcipueque mei, iis etiam quos nunquam videram, iis dico qui romuleo cardine fulgentes ex alto pariter cuncta despicere, et principes ipsos ac terrarum dominos fastidire solent, tam gratum adventum meum esse perpendi, idque eos tanta serenitate frontium, tanta verborum dulcedine, tanta denique actuum benignitate testari, ut tantum famæ licuisse vix crederem. Nulla ergo diffidentiæ causa est, crede mihi; magna sperare liceret, si liberet. Ego autem nihil cupio, præter pacem animi: et quoniam nihil cupio, nihil spero. Quod etsi de illorum genere videatur quæ fidem putentur excedere, tibi tamen, nisi fallor, et sæpe multis indiciis probatum est, et nunc uno recenti et tibi nondum cognito demonstrabitur argumento. Nosti quidem æquis fere portionibus quadripartitam mihi ab olim hæreditatem ecclesiasticam contigisse, quando ut sic vivamus sors nostra est, et seu parentum, seu nostris auspiciis a primis annis id vitæ genus elegimus. Huius igitur hæreditatis duas partes mihi suffecturas ratus, duas reliquas inter duos veteres et benemeritos amicos ita partitus sum, ut, cum usque ad hoc tempus ambobus ditior fuerim, nunc me ditior

sit uterque: tantamque mihi dulcedinem affert facti memoria, quantum vix obtrectatoribus meis amaritudinis importaret, si tale aliquid non dicam facerent, ne impossibilem conditionem adhibere videar, sed facere cogerentur. Accesserat hæreditatis huiusce de qua loquor quinta quædam particula, reliquis quidem impar, sed quæ locorum vicinitate tibi convenientior visa sit. Hanc nuper oblatam mihi eripiens tibi dedi. Itaque per hunc ipsum nuncium apostolicas litteras excipies, in quibus te Mutinensem canonicum factum leges, measque simul, quibus te illius urbis domino commendandum duxi, cui quam sim carus nosti optime. Vide nunc et in silentio iudica quanta fides vel illorum maledictis, vel meis defensionibus sit habenda: notæ tibi sunt partes, rectum iudicium, æqua lanx. Sin iudicium meum vis, Senecæ verbis illud accipe: *nihilo pluris me horum verba facere, quam ventre redditos crepitus.* Quid enim, oro te, refert qua parte corporis turpiter sonent? Et profecto nulla stulti ore pars obscenior est. Quid autem aliis intentum importuno latratu rabidi et famelici canes exagitant? An forsan oderunt, et odium verbis explent, ignavum vulgus et imbelle, quibus sordidæ linguæ acies sola est? At cur oderint nullis unquam iniuriis lacessiti, nisi morum vitæque dissonantiam ad iniuriam trahunt? An potius invident? Sed inter pares, ut dicitur, esse solet invidia. An forte ebrii somniant et in somnio loquuntur? Hoc verius opinari, hoc sentire maluerim. Somnus excuset amentiam. Multa dicunt et faciunt dormientes, quorum meminisse nequeunt experrecti: multi sunt, quorum vita usque ad exitum somnus est. Hæc, amice, tibi, tam scrupulose dictante

ira, scribo, ut qui famæ meæ patrocinium suscepisti, adversus has, si forte canum nomen offendit, picas loquacissimas argutior fias, identidem admonens ut oculos ad sese vertere incipiant, neu nigrantes corvi de cycnorum maculis disputent. Tum demum pudebit eorum mores carpere quorum vix faciem norunt: tum desinent de alienis rebus fabulari, dum domi suæ abunde repererint quod loquantur, et amplam calamitatum ac dolorum suorum materiam cogitabunt. At, ne quid hodie de conceptis sileam, illi mihi ad verum propius videntur accedere, qui aliam reditus mei causam indignationem ferunt. Nam et hæc quoque sententia in litteris tuis erat. Hi non usquam adeo insaniunt: in animum quidem meum videntur profundius inspexisse, modo sciant quid est indignatio. Libet igitur diffinire: id quod quam recte faciam, tuum sit iudicium. Est quidem, nisi fallor, indignatio nihil aliud quam generosæ mentis affectus excitatior ex rerum humanarum indignitate proveniens. Hunc affectum a me raro vel nunquam abesse confiteor, atque ibi vehementiorem esse ubi materiæ plus occurrit. Sed nimis multa de re parva, immo minima, immo nulla. Latrent ut libet, et sufflantes in terram, pulverem in oculos suos excitent. Nos illos vel ridentes meritos vel immeritos miserati cœptumque nostrum prosequentes, rationem vitæ ducem quantum possumus habeamus. Ego quod ad me attinet, pergam qua cœpi, neque ab hac sententia muscarum murmure deterrebor, et surda aure inanem strepitum prætervectus, vel perveniam quo suspiro, vel, si id forte non dabitur, at saltem infortunii mei penes vulgus gloria non erit. Hoc me

certe præstiturum spero, et consilia mea interim, quæ multos ut lateant nitor, tibi atque amicis omnibus probatum iri non despero, quamquam mihi in rebus omnibus testimonium conscientiæ satis sit. Vale.

XIIII. Kalendas Novembris, super flumina Babylonis.

EPISTOLA V.

FRANCISCUS PETRARCA DUCI ET CONSILIO REIPUBLICÆ IANUENSIS S. P. D.

Victoriam adversus Venetos summis laudibus effert, hortaturque ad modestiam et magnanimitatem erga victos. Civilis discordiæ damna commemorat, armaque in externos hostes convertenda suadet.

Indulge mihi, oro, magnificentissime Dux, vosque consilii clarissima lumina: familiariter vobiscum loqui equidem non vereor, neque hunc videor anticipare sermonem qui certo consilio dilatus est. Hactenus enim, fateor, ut tantis finem apparatibus fortuna daret, anxius expectabam; et sicut inhumanum erat ira atque odio flagrantes animos verbis accendere, sic intempestivum rebar armatos et iam stantes in acie dehortari ac retrahere ab armis. Sciebam galeatum sero duelli pœnitere, et in parte functus meæ devotionis officio videbar, eo quod ante principium huius belli, quo simul oriens occidensque concussus est, priusquam domo profecta utraque classis esset, apud inclytum Venetorum ducem, cui et notior sum et memor (*sic*) tunc eram, ut surgentes irarum flammas extingueret enixe admodum et prope flebiliter intercessi, non veritus, ne alieno

me negotio miscuisse dicerer, cum nec hominem dedeceat humanis, nec italicum italicis malis tangi, et si fieri possit occurrere; qua in re nisi fallit æstimatio, nulli me animo secundum facio. Nunc tandem inclinata iam re, nec exiguo sanguine mitigatis, ut arbitror, ardoribus odiorum, haud mihi deinceps intempestive videor facturus si, ut ita dixerim, receptui cecinero. Idque adeo fidenter non facerem, nisi eorum quos alloquor mores nossem. Nulla gens vel in bello ferocior vel in victoria humanior mitiorque. Vicistis. Conquiescite, ne quis vos vestrorum morum putet oblitos. Neque etenim illustribus tantum viris ac populis, sed nobilibus etiam feris satis est vicisse, ignobilibus autem sævire ulterius est voluptas, nec victoria sitis cruoris extinguitur. Vos igitur humanissima pectora iam victrices dextras a sanguine cohibete. Tulerit belli casus eos qui in prælio corruerunt: fuerit illud martiæ virtutis: at reliquias armis insectari non est vestræ lenitatis. Neque enim est facile inter micantes telorum acies exacto prorsus examine librare singula, quem stillanti gladio ferias, unde manum retrahas. Omnia miscet impetus ardorque pugnantium, qui ubi resedit, rediitque tranquillitas animorum, simul et iudicii libertas intermissa revertitur, tum frenare animum decet, et humanitate notabili dignum sese probare victoria. Quod haud dubie facile præstabunt, quibus non nova et insueta res est vincere. Insolenti enim gaudio præcipites aguntur leves animi, et frænum rationis excutit repentina lætitia. Vobis vincere iam in consuetudinem versum est, quotque per orbem terrarum bella Ianuensium, totidem victoriæ numerantur. Maria prope omnium gentium ve-

stris triumphis ac victoriis illustrastis: Tyrrhenum, Adriaticum, Euxinum, Ionium, Africum, Ægeum; ipse vestra signa timet Oceanus, gaudetque Indus ad se navigio non posse transiri. Hoc supererat ut spumantem hostium vestrorum cruoribus Bosphorum videremus; et vidimus. Quid enim inter nos qui legimus et ipsos interfuit bellatores, nisi quod illis præ magnitudine animorum sine horrore periculum dum pugnaretur, nobis dum legeremus horror sine periculo circumfusus est? Cuius enim animum non horror invaderet audientis aut legentis illius horrificæ noctis eventum quando ad vesperam violentissimo flante Austro inter Costantinopolim et Calcedonem trium validissimarum gentium in vos factus incursus est, illis a meridie venientibus (a Gallipoli enim solverant) et vento adiutis atque ideo vela facientibus, vobis contra hostes, contra ventum, contra mare pugnantibus, tamque atrox prælium coortum est, ut illud neque tempestas valida, neque nox insecuta dirimeret? Quis ille ventorum impetus, quod murmur rudentum, quis ille tubarum clangor, quis clamor ac gemitus virorum, quæ navium collisio, quis ferri sonitus, quis sibilus per tenebras volitantium sagittarum? Pernox enim prælium fuit, cui per omnia conveniret illud poeticum:

> Quis cladem illius noctis, quis funera fando
> Explicet, aut possit lacrimis æquare labores?

Postremo proximam in lucem pugna sine intermissione protracta est, et quo magis posteritas miretur nox brumalis fuit. Sequens pugnæ dies additus. Quis unquam simile aliquid audivit, quis tale aliquid vidit aut legit? Magna unius, magna alterius lucis parte et tota interim

nocte pugnatum cum freto, cum vento, cum hostibus. Tres ab adverso acies, et in unum coactæ de diversis tractibus tres disiunctissimæ nationes. In medio Ianuensium sola virtus, sola Ianuensium fortuna. Et de externis quidem hostibus non doleo. Quid enim laboribus italicis sua tela permiscent, venale genus ac fœdifragum et insolens, quos in longinquam infelicemque militiam nummus impellit, nobiscum solemniter contractæ pacis immemores? Quamvis, ut verum fatear, calamitoso et misero popello misericordia debeatur: principibus succensendum, qui infando et inhumano commercio sanguinem suæ gentis parva pecunia vendiderunt. Quin et de fallacibus atque inertibus græculis, et per se grande nihil ausuris, non modo non doleo, sed valde gaudeo, et infame illud imperium sedemque illam errorum vestris manibus eversum iri cupio, si forte vos iniuriarum vindices Christus elegit, et hanc a vobis, ab omni plebe catholica male dilatam, reposcit ultionem. Italis autem nostris uno de corde compatior; qui mihi utinam fideliter admonenti in tempore credidissent. Sed oh! adhuc, si quod palam vix optare audeo, cœlitus inspirati uterque cœperitis meminisse vos Italos, et fuisse amicos et esse posse, vobisque non de capitalibus offensis, sed, quod peculiare semper potentibus, supremumque pariter petentibus locum, fuit eritque sumptum de gloria et superioritate certamen, atque ita repente, concitatis animis, ab hoc italico et sociali bello ad externa conversi, adversus infidos instigatores ultricia simul arma vertatis, et illis ferro, laqueo, pelago absumptis, quod momento temporis fieri potest, mox expeditionem piam ad liberationem Terræ Sanctæ atque

obsequium Iesu Christi feliciter assumentes, spectaculum mundo et posteritati gratissimum præbeatis! Sed inceptum sequor. Vicistis, viri fortes: ostendite nunc cunctis mortalibus non vos cum Italis pro odio aut cupiditate ulla, sed pro pace certasse. Cogite hostes vestros, vel in silentio fateri se a vobis non magis armis victos esse quam moribus. Qui potentiam vestram timent virtutem venerentur ac diligant. Rectius superior dici debet qui adversarium virtute animi, quam qui ferro superat. Ille verus est victor, qui animum suum vincit, ratione vincitur, motus mitigat, victoriam temperat, iram frænat. Is sæpe dignus est vincere qui vincendo fit melior, et supremam bellicam laudem habet, quem non sternit adversitas, prosperitas non extollit. Primum in ipsis belli difficultatibus præstitistis, secundum post victoriam præstate, ut mundus intelligat in omni fortuna eosdem vos animos habere, et uniformitatis ac constantiæ ornamentum virtutibus vestris accedat, nilque omnium, quæ ad perfectam gloriam optantur pace belloque vobis desit. Nunc venio ad eam curam, quæ valde me premit ac sollicitat, qua si me modestia vestra liberaverit, nihil erit in vestra republica quod metuam. Solet equidem ut exterior magnorum corporum sanitas, sic pax magnarum urbium morbis abundare latentibus, et compressis apparentibus malis, intus ipsisque in visceribus laborare, *quæ pestis emerserit, tamen primum intelligitur melius in cute mansura quam sub regione cordis migratura quæ premeret.*[1] Sæpe ut gravibus corporibus exercitia sic magnis

[1] Hæc quæ italicis litteris notavimus adeo implexa sunt, ut ea germanæ lectioni restituere nequiverimus.

populis medicinalia bella sunt, et sicut quies immodica corpus gravat atque inficit, sic urbem immoderata tranquillitas. Hæc et in corpore varios humores, et in populis simultates varias ac discordes animos gignit affectusque contrarios. Agitatio temperata sanitatis amica est, læta quies malæ valetudini causas præbet. Numquam romana virtus periisset, si incolumis Carthago mansisset. Ille terror cervicibus amotus peregrinis vitiis et bellis civilibus viam fecit, magnique laboris finis maioris initium fuit. Quid putamus Atheniensibus nocuisse? Nempe ornatissimam civitatem non tam bellum ingens cum hostibus aut Syracusio in æquore delecta classis, quam infensus civis Alcibiades et triginta tyrannorum domesticus furor rabiesque pessumdedit. Facilius prævidentur externa quam quæ nascuntur in nobis: profecto autem in omni morbo periculosissimum est quod latet. Hic, oro, providentiæ vestræ aciem figite qua vehementer excellitis, hic insistite et ne victoria luxurientur aut lasciviant animi summo studio providete. Optimum est in pace vivere; si id non datur, optabilius multo est cum hoste quam cum cive confligere. Non est mihi spiritus propheticus, non de siderum cursu notitiam futurorum spondeo; sed quantum ratione prævia ex præteritis futura coniicio, peregrinis bellis vos invictos virtus et fortuna præstabunt; nullus vobis nisi hostis indigena, nullus nisi civilis formidandus est gladius. Vinci Roma non poterat, nisi ipsa se vinceret. Idem vobis accidet, nisi æquam civilitatem et modestos animos induitis; quod si facitis semper felices et invicti eritis; classis vestra si secura sui fuerit, cunctis veniet tremenda litoribus. Possem pluribus verbis ostendere

quæ urbes ab hostibus invictæ latenti sese odio perdiderunt. At in re notissima ratus sum pauca quidem, sed omnium clarissima exempla sufficere, quod ad vetustatem attinet; ætatis enim nostræ nullum usquam quam apud vos ipsos exemplum clarius invenio. Revocate igitur ad memoriam tempus illud quo inter populos Italiæ felicissimi omnium fuistis. Infans ego tunc eram, et vix velut in somniis visa commemini, quando sinus ille vestri littoris, qui et solis ortum respicit et occasum, non terrena sed cœlestis habitatio videbatur, et qualem apud Elysios campos memorant poetæ: iuga collium amœnis tramitibus virentesque convalles, et in convallibus felices animæ. Quis non ex alto turres ac palatia mirabatur, atque arte perdomitam naturam, rigidos colles cedro Bromioque atque olea vestitos, et sub altis rupibus ædes marmoreas nullis secundas regiis, nullis urbibus non optandas? Quis non spectabat attonitus latibula illa lætissima, ubi inter scopulos atria auratis trabibus stabant, et æquoreis sonantia fluctibus, et tempestate rorantia, quæ specie sua navigantium in se ora converterent, oblitumque remi nautam spectaculi novitate suspenderent? At si terra iter ageres, quem non stupor animi maximus habebat augustissimos et plusquam humanos virorum matronarumque habitus cernentem; quis non viator medio calle torpebat, nunquam visas in urbibus delicias inter silvarum latebras et remotissima rura conspiciens? Denique cum ad urbem ventum erat, vere Regum urbem, quod de Roma dictum est, et felicitatis templum lætitiæque limen intrasse te crederes. Non multo ante id tempus victis primum magno prælio Pisanis, habueratis ex ordine

bellum aliud navale cum Venetis. Interrogate senes vestros; supersunt enim qui utrumque prælium viderint: quantus portuum tremor, quanta veneratio populorum, quantus litorum fragor victoriosæ classis adventu, cum iniussu vestro diu vix ullus toto se pelago moveret. Sensim inde ad illud tempus animos memoriamque deflectite, quando felicitatis comites, luxus, livor et superbia civitatem beatam et victorem populum pervasere; et quod nunquam externis manibus factum foret, in tantas impulere miserias, ut deserta et inculta, et fœda civitatis facies, et litoreum illud decus pro ædium magnificentia in totidem speluncas latronum conversum, verum horrorem ac metum prætereuntibus incuteret. Postremo urbs ipsa suis ab exulibus obsessa Mediolanensium auxilio diuque bello gravissimo vexata est, dum in ea tunc Robertus almæ memoriæ rex Siculus, clarissimum ævi sui sidus, qui ad præsidium eius accesserat, anno prope integro esset inclusus, quotidieque, quod pro monstro narrandum est et nunquam alias auditum, non solum terra simul et pelago, sed in aere etiam et sub terram imo pugnaretur; dehinc multis annis nihil apud vos pacatum, nihil tutum, dum nihil tamen interea nisi victrices manus vestrorum civium et nota arma timeretis; donec tandem malis admoniti ad unius iusti ducis auxilium confugistis, qui optimus procul dubio reipublicæ status est. Tum primum sopitis simultatibus renovata felicitas vestra fuit, et pulsis ærumnarum nebulis votiva serenitas restituta. Inde domi pax, et pacis semper amica iustitia; inde dulcis civium concordia civitatum certissimum incrementum, nullæque nisi de hoste victoriæ. Quæ cum

ita sint, facilis, nisi fallor, in posterum cautela est. Vetus est verbum, multa ideo male fieri quod tantummodo semel fiant, neque sit reditus semel errantibus. Vos una ætate bis felices, quid vos præcipitaverit, quid a prima felicitate deiecerit meministis; neque enim antiqua res est: domestico memorabili ac recenti exemplo docti estis, quo plus felicitatis, eo maiori opus esse custodia. Tenera enim res est humana prosperitas, et anceps et lubrica. Nostis nil vobis nisi arma vestra atque intestinam discordiam nocuisse. En vivere iterum incipitis: recognoscite gressus vestros, et cavete ne eisdem vestigiis eodem relabamini. Si hoc caveritis, cætera tuta sunt; victores ex omni acie redibitis. Amate vos invicem, amate iustitiam, amate pacem, et si studium belli tenet, ite in bella feliciter. Nunquam hostes deerunt. Tantum bellis civilibus abstinete.

Avinione, Kalendis Novembris.

EPISTOLA VI.

FRANCISCUS PETRARCA DUCI ET CONSILIO REIPUBLICÆ IANUENSIS S. P. D.

Lætatur bellum ab iis cum rege susceptum, hortaturque ut in eius exitium constanter conficiant.

Quod optabam video: ab ortu ad occasum victricia signa convertitis. Hic precor incumbite, viri fortes, hoc agite: hoc pium, hoc iustum, hoc sanctum, hoc minime italicum bellum est; hic rei militaris artificium atque animos exercere, hic vos impetum sequi cupio,

hinc enim prima malorum radix vestris extirpanda securibus. Hic est rex ille periurus, cui causas bellorum legitimas aucupanti, cum ab initio bellum vobis indiceret, respondistis nescio an animosius, an verius: « fingi quidem causas verbis inanibus, veram autem » furoris causam esse avaritiam: sed vendere illum » pretio exiguo suum decus et suorum sanguinem, et » propediem quod tunc faceret sera pœnitentia damna» turum. » Ecce iam promissum illi tempus advenit: Tyrrheno atque Africo mari rependetur quod defuit Hellesponto. Pontus occiduus cædibus fumat et suis ardet incendiis; quin et in terram egressi ferro ac flammis inopum prædonum tecta vastate. Insistite, oro, et nolite desistere; *persequimini inimicos vestros et comprehendite illos, et nolite converti, donec deficiant*, ut ait Psalmista: confringite illos; non poterunt stare; cadent subtus pedes vestros et longinqua nuper expeditione prostrati, propriis iterum sternentur in finibus. Vim fortunæ faventis agnoscite. Solebam dicere: frænate animos, cohibete iram, temperate victoriam. Mutata materia, stilum muto. Clamo: urgete præteritos, fugientibus instate, respirandi spatium fessis auferte, supremam huic bello manum ponite. Nolite regium nomen horrere. Sæpe quod fulget exterius intus obscurum est. Maius est regno regum superbias castigare; non regem sed regios animos habetis. Parva fuit Roma dum regem habuit, mox ut rege caruit immensa, et quæ sub uno rege servierat, sine regibus imperavit. Invadite regem hunc. Nec dant, nec adimunt sceptra virtutem. Rex est, sed homo, sed mortalis, sed multa de vobis male meritus, et dignum supplicium iusto sub iudice

daturus. Postremo quemcumque illum fingere voluerimus unus est. Quam multi autem vestro in populo fortiores, et gestarum rerum gloria clariores, et quorum in vertice melius diadema resplendeat? Ite igitur intrepide. Nudo vobis cum nomine bellum est. Corpora viva vicistis, umbras ne timebitis? Ite feliciter, neque enim ad bellum itis, sed ad belli præmia. Ite celeriter dum tempus est. In civem enim uti scire victoria crudelitas, in hostem nescire vecordia est. Hic est, inquam, ille rex insolens fœderum contemptor ac fidei, hic populus pacis impatiens, hæc scelesta classis impia, hi vestri et publici hostes sunt. Et vos simul et rempublicam vindicate, et hos barbaros agnoscere cogite, se amentes adversus iustitiam et armatos viros bellum indignum ac nefarium suscepisse. Venctorum auro attonitos, et cæca cupidine alienarum opum propriæ interim conditionis oblitos, publice pœniteat paucorum insaniæ, præcipitisque consilii, et in suos proditores experta vobiscum infeliciter tela convertant: timeant in æternum non tantum arma vestra sed nomen. Contra consuetudinem meam loquor, ardentes accendo et stimulos currentibus addo; quod enim suadeo iam cœpistis, et pulchris iam fortuna principiis adspirat. Illam vocantem indefessa virtute sequimini. Qui semper pacis auctor esse soleo, nunc fidenter hoc dixerim; expedit vobis vel ista, vel similia iusta bella non mori. Rubigo civilis externo labore detergitur; nescio quid vobis animi est: vestræ me, fateor, iniuriæ exacerbant. Itaque peream si in his litteris ullam pacis legeritis mentionem. Opto vobis incruentam de perfido hoste victoriam.

EPISTOLA VII.

FRANCISCUS PETRARCA GUIDONI EPISCOPO PORTUENSI CARDINALI S. P. D.

Nuncial se eum duobus mensibus frustra oppertum fuisse et iam Avenione digressum in Italiam properare.

Licentiam abeundi quam mihi digrediens verbo dederas, remissis ex itinere litteris abstulisti, in quibus, quod tuæ mirificæ lenitatis fuit, rogas ac consulis. Quod meæ devotæ humilitatis est, preces ac consilia pro præceptis accipio. Rogas, inquam, ac consulis ne me loco moveam, donec vel ipse redeas vel rescribas quadam de re magna, tangente, ut ais, statum meum; cui pro viribus provehendo tete offers humanitate simul ac liberalitate incredibili. Enimvero quis hic aut gaudium meum æstimet aut reverentiam metiatur? Talia tantus tam pusillo, et quod laudem tuam geminat, sine ullis precibus meis, meque penitus ignaro, licet de te nil nisi insuetum ac magnificum opinante? Pace sæculi nostri dixerim non hic modernæ consuetudinis stilus est. Et virtutem tuam igitur et meam mirari cogor, ac laudare fortunam. Tu tuorum nec præsens nec absens oblivisceris, neque ab illorum commodis atque honoribus unquam cessas. Ego, si tuorum unus esse merui, felix sum: id enim nemo sine virtutis auxilio meretur. Si hoc mihi sine meritis accidit, fortunatus saltem astroque natus, quod aiunt, benevolo ac faventi. Equidem parendi avidus non uno tantum, quam absentiæ tuæ metam præfixeras, sed duobus nequidquam mensibus

expectans suspensum gressum tenui, nihil magis expectando quærens, quam te iterum videre, quem semper video. Sed quod ad cupidos oculos meos sidereumque vultum tuum attinet, cum semel abiero, diu te, nisi fallor augurio, iterum visurus non sum. Libens itaque venturo desiderio providebam. Quid autem? Rex ille regum maximus et tibi amore pariter iunctus et sanguine, simul et Parisii et Sequana blandior et aliqua ingens cura tuæ te promissionis immemorem ultra præstitutum reditus tempus tenent: me tristis Avinio et violentus Rhodanus ægre hactenus tenuere. Fessus tandem plenusque rerum curialium, et expectare amplius non valens, hoc ipso die iter arripui, non tamen longius iturus. Nam quoad dabitur, ad fontem Sorgiæ subsistam, si quis forte interim reditus tui felix rumor insonuerit. Hinc vero, si perstas, clam tacitus pergam amicos fallens, qui me averso animo et obluctante fortuna retinere si possint in æternum velint; et dum desideriis propriis inserviunt, me non vident, quorum me charitas multa pati perpulit, ad quæ nulla unquam ambitio compulisset. Illa mannm iniecit et fatigatum corpus diu tenuit, ubi animus non erat: novissime autem, ut dixi, iussionis tuæ pondus accessit, motumque iam vinclis strinxit pedem. Et si omnis labor omnisque difficultas quo fini proximior eo gravior, pluris hanc bimestrem moram, quam anni spatium eisdem mihi actum in locis existimabis; pro quo merito, quando alia non adsunt illud extremum quæro, ut eam absentiæ meæ rationem habeas ne amicis obsit meis. Si quid pro me magnum actitabas (parva enim non soles), gratissimam mihi rem feceris, si quidquid id erat destina-

tum mihi ad illos veniat, ut dum te præsentem illi habeant hinc me abesse non sentiant. Mihi enim uni pro hac brevissima vitæ via viatici satis est, abunde est, nimis est, nilque amplius requiro. Tu, mitissime pater, ignosce, obsecro, si forsitan ut tibi volens lætusque parui dum potui, sic tandem necessitati, cui reges ac principes colla submittunt, tristis et invitus paream. Vale, decus Ecclesiæ.

Ad fontem Sorgiæ. Sexto Idus Novembris.

EPISTOLA VIII.

FRANCISCUS PETRARCA PONTIO SANSONI PRÆPOSITO CAVALLICENSI S. P. D.

Excusat se quod eo insalutato abierit, seque Italiam versus nuntiat propediem profecturum.

Parcat mihi, quæso, tua dulcis humanitas, optime vir, si te insalutato abii, quod et devotionis antiquæ et novi promissi debito prohibebar. Nihil est quod magni amoris sibi conscius animus non præsumat: speravi veniam, fateor: dixi: novit ille mores meos, et res meas, et cor meum: veniam notis occupationibus non negabit. Cum enim novo et insueto nunc occupationum genere, ut nosti, occupatissimus semper sim, per hos dies, si quis superlativo altior gradus est, tantum memet occupatior sum, ut mecum sæpe mirer et indigner, mecumque disquiram tam brevibus vitæ curriculis quorsum sollicitudo ista mortalium et quid tanta sibi velit anxietas: etsi nonnunquam ipse mihi blandiar occupationes meas non e communi rerum vulgarium acervo, sed e quodam magis ingenuo fonte procedere; laboremque meum hoc

remedio solarer nisi plane nossem nos omnes qui vivimus libenter in nostrarum iudicio rerum falli. Itaque simillimum veri est ut sicut ego studiis suis multos irrideo, sic vicissim a multis irridear; vulgi tamen iudicia semper sprevi, meque ab eodem sperni non modo contempsi, sed non ultimam gloriæ meæ partem credidi. Illud me gravius premit quod interdum studia vigiliasque meas mihi ipse vix approbo, videorque consultius acturus si abiectis omnibus, quibus operam et hoc, cuius tanta penuria est, tempus impendo, unum agere inciperem quod iamdiu meditor et ad quod solum in hanc brevem et miseram vitam veni. Sed huic cogitationi sæpe illa suboritur, nihil hæc studia illi proposito nocere, forte etiam prodesse. Inter hæc dubium atque hæsitantem sola temporis turbat inopia. Ita ego unde me expedire molior, interdum intentior et occupatior fio. Cæterum inter hæc alternantis animi consilia suum veritas locum teneat. Ego cœptam ad excusationem redeo. Sic ergo quibusdam non parvis, ut est animus, apud me negotiis avocabar. Noveram si te adiissem quam lente divellerer; festinare iubebant curæ, fugiebat velox ac brevis dies, vicina nox urgebat, quæ me, anhelanti licet equo vectum, in itinere deprehendit. Da veniam, precor; neve novam querelarum habeas materiam, scito mihi animum esse his proximis diebus in Italiam proficisci, et, ut sæpe fallunt cogitatus, quod autumno agere decreveram hyeme peragere: quod si ad Indos eam, tibi semper atque ubilibet præsens ero. Vale.

Ad fontem Sorgiæ. Idibus Novembris.



FRANCISCI PETRARCÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS

LIBER QUINTUSDECIMUS.

EPISTOLA I.

FRANCISCUS PETRARCA LÆLIO SUO S. P. D.

Accusat diuturnum amici silentium, et respondendi in eo tarditatem reprehendit: hortatur deinde ut suscepto munere reipublicæ sublevandæ, superbis nequidquam obstantibus, virili animo fungatur.

Quamvis antiquus, immo semper recens et nunquam inter nos senescere valens amor, qui nos a tenera ætate indissolubilibus nodis innexuit, sæpe his temporibus hortaretur ut scriberem moremque repeterem intermissum, retrahebar tamen hinc curarum laqueis mearum, illinc tui recordatione silentii. Quis enim nisi amens surdo loquitur? Sunt quos non pigeat verba proiicere et quibus valde probetur Ovidianum illud: *perdere verba leve est.* At vero quisquis ad temporis brevitatem celeritatemque respexerit intelliget quam parce, quam sobrie dispensandum sit, quamque supervacuis temperandum non tantum actionibus sed verbis. Paterfamilias qui se egestati proximum videt, ab impensis inutilibus pedem refert: inclinatam diem cernens gressum viator ingeminat. Instat attritis bobus et obnoxius solito sulcum urget arator, quem pendula nubes

venturi imbris admonuit. Pereuntis auræ flatus ambiguos contracto sinu carbasis sedulus nauta recolligit: et digressuri properant amici, multaque sub extremum continua oratione fabulantes nullum momentum temporis perire sinunt. Sic in rebus fere omnibus invenies. Amamus bona nostra dum ad exitum præcipitata festinant. Idem senescentibus cunctis, nisi senio deliris, evenire noveris: tempus amant, et cuius primitias effuderunt reliquias legunt. Et mihi quoque tempus est carius quam solebat, et cum velocius tum irreparabilius apparet. Video fugam sine reditu, agnosco fallacias, blanditiasque permetuo; sentio me per singulas horas ad extremam ire, nitorque quod reliquum est in meliores usus vertere: idque me tandem effecturum multo licet labore non despero: quod si ab adolescentia in animum venisset, possem forte securus, peractis iam vitæ muneribus, vivere, quo nihil est dulcius. Sed ut ad rem pergam, scripsi tibi persæpe, semperque te, seu occupatio, seu tarditas causa est, nam superbiam in pectore tam amico suspicari nequeo, semper inquam ad respondendum durum atque difficilem inveni: cum tamen, ut iure meo tecum quasi mecum glorier, regum ac ducum sæpe interim litteras et scripta meruerim. Id memorans fatigato nequidquam calamo tuis in rebus ferias dabam. Ut in opus redeam clara tuæ virtutis fama compellit. Secundum sententiam meam loquor: apud hos enim principes huius mundi gravis infamia et inexpiabile scelus est. Quibus ita persuasum noveris quidquid in novo geritur senatu, quorumcumque opera, consilio tuo fieri. Ea de ingenio tuo apud omnes extimatio est; apud me autem eo maior quo

mihi familiarius notus es. Itaque non tantum ad hæc pauca quæ insolentes animos offendunt eorum, qui nihil iniustum nisi quod cupiditatibus adversatur, nihilque nisi quod voluptatibus suis obsequitur, iustum putant, sed etiam ad attollendam humo collapsam iacentemque rempublicam suffecturos humeros tuos spero, modo et ipsa respublica credulam se consiliis tuis præstet, et tu, proiectis affectibus propriis, ad commune bonum te convertas. In hoc differo ab opinione multorum atque magnorum, quod unde illi tibi ingens dedecus, ego tibi summum decus partum reor: unde illi iam ambiguo murmure temporale supplicium minantur, ego tibi sempiternam famam spondeo, in quam utinam fessus et occupatus hic calamus aliquid posset. Illam sane, si pergis ut cœpisti, propria virtute mereberis, non quod famæ præmium virtus poscat, sed carere ea etsi cupiat non potest; ut enim corpus umbra sequitur, sic virtutem gloria. Quod ad istos attinet in summa nihil est quod te moneam: nosti omnia: unius te nunquam oblivisci velim, quod sæpe ex ore illius, licet consilii adversi, magnanimi tamen prudentissimique senis auditum, non propter verbi elegantiam sed propter sententiæ veritatem memorabile visum est. Sic enim aiebat expertus eximie: Ecclesia romana consuevit diligere potentes. Nihil brevius, nihil verius dici potest. Itaque si clari apud gentes, et quod est optabilius, si Deo cari esse cupitis, Romani, virtutem colite, amate religionem, servate iustitiam: utimini artibus vestris antiquis: parcite subiectis et debellate superbos. At si huic Ecclesiæ dilecti esse vultis, sola potentia opus est, sine qua, mihi credite, quantalibet virtute

nihil agitis. Quod autem attinet ad vos, hoc unum dixerim. Ego quidem e duobus rempublicam nostra ætate capessentibus alteri multa quidem, alteri nihil scripsi, eo quod me ille in magnam, licet præmaturam, hic in nullam penitus spem induxit. Tibi vero si præstas, si anguium sibila minasque non metuis, multa et varia suo tempore parturienda concipio. Nunc illud monuisse sufficiat, hoc iter ingressis æque torporem ac fervorem nimium nocuisse; habes rei utriusque domestica, simulque recentia exempla sub oculis. Quod igitur ait Naso: *medio tutissimus ibis.* Vale, et cum sis vir, fac ut vir appareas.

EPISTOLA II.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

Narrat se Valleclausa digressum, pedem unde diverterat referre debuisse, ibique consistendi iam sibi propositum esse.

Nox habet consilium: vetus est verbum, et ut experior, verum. Ad fontem Sorgiæ compositis sarcinulis quas hoc tempore valde sæpe circumfero, moveram inde ad XVI Kalendas decembris hiberno sereno fisus, quo nihil inconstantius, nihil incertius. Spem dabat, quod per autumnum et postea ad eum diem nullæ nubes, ne dicam pluviæ visæ erant. Terrebat notissimum fatum meum, quod est ut sine æstu vel imbribus non eam: et simillimum veri erat cœlum quod continuerat refusurum. Quid expectas? Vix pedem

domo extuleram, ecce lenta primum pluvia, udæque nebulæ persimilis, inde mox mixtus imber. Stomachari ego, fortunamque meam recognoscere, et interdum retro respicere consiliumque redeundi capere; interim tamen, ut fit, redeunte animo, corpus incedere. In his curis diutius non fui; et inclinata dies et proximus portus erat. Cavallionem veni, quæ vicina civitas parva quidem sed antiqua est: ubi ab episcopo loci Philippo, quo nemo vir melior, nullus, non ego ipse, commodis et honoribus meis amicior, et quem ægrotare non senseram, non ut homo, sed, sicut semper soleo, ut angelus Dei visus atque habitus sum, lacrymis præ gaudio prope manantibus. Credere ille me præseferre salutem ipsam, et omnis morbi remedium una mecum domus suæ limen intrasse. Ubi autem venisse me ad eum non manendi animo, sed ut supremum vale dicerem audivit, mœstior factus est, atque omne gaudium in querelas versum. Suo tamen more perpulit ut sub suo, immo ut dicit semper rebusque probat, meo lare consisterem, sibique noctem illam darem, tædii ut ego, ut ipse aiebat ex me consolationis optatæ reliquias percepturo. Pareo non coactus. Cum et primæ facis tempus instaret, et non iam imber, sed inundatio ingens esset, ibi minimum ea nocte dormitum est. Cæterum ad multum noctis primo quidem tenuis, post sensim aucta et ultimo frequens fama familiarium murmure ægro præsuli adstantium domum impleverat, bellum quarumdam Alpinarum gentium ad Niceam Vari descendisse, et iam late vagis excursoribus fractum iter. Fabulam primum ab indulgentissimo patre fictam credidi, qua me ab incœpto retraheret. Est enim magnus

amor ingeniosissimus, ut experti sciunt. Missis igitur ex meis qui rem inquirerent, rem haudquaquam fictam, sed notam atque vulgatam esse comperio. Fluctuari animo cœperam, multa mecum volvere, multa consultare cum episcopo: cum ille magis magisque instaret ut, si eum meque salvos cuperem, cœptis absisterem. Ego autem eundi proposito hærebam, quamvis mutare iter facile inducerer, quod eo scilicet incommodiore multumque longiore proficisci solum me videndi fratris, quem iam quinquennio non vidissem, quique secus iter illud Christo vivit, desiderium induxerat. Dum hæc mecum et cum optimo illo patre agerem assidue diluvium crescebat. Fessus animi in cubiculum concesseram, et vix ut æstimo horam unam integram dormieram. Raptim ex more ad matutinas Dei laudes solito citius expergiscor cum omnia iam, male resistentibus tegulis, inundarent. Rursus ad episcopum insomnem, atque iterum et iterum ad me ipsum quid agerem, quid extremi consilii caperem. Unum iter bello clausum, cuncta diluvio. Quid multa? Res ad religionem, ut historicorum verbis utar, vertere cœperat: visum est non placere Deo profectionem meam. Ad ea accedebat metus corrumpendi libros, ex quibus sarcinulæ magna ex parte constabant. Sensi libertati obesse divitias, oneri timens, ut ait Maro, qui corpori non timebam. Issem profecto si vacuus fuissem; nunc mansi, mutatis, episcopo obsecrante, consiliis: remissaque in Italiam parte familiæ, ad fontem Sorgiæ redii pene solus. Hic sum non desperans moram vel alicuius sperati boni causam fore, vel improvisi cuiuspiam mali fugam: humano enim consilio parum fidens ceu magister pup-

pis æstu victus, rerum mearum navigium commisi non ventis ac fluctibus, sed Deo, cuius sub ductu naufragium fieri nequit. Vale.

Ad fontem Sorgiæ. Kalendis Decembris.

EPISTOLA III.

FRANCISCUS PETRARCA ZENOBIO GRAMMATICO FLORENTINO S. P. D.

De eadem re quæ in epistola superiori. Quæ sibi sit ad fontem Sorgiæ ratio vivendi.

Scio te mirari et tecum dicere: quibus hic terrarum militat oris, nisi forte ille noster alter ego re et nomine, qui nobis late vagantibus patriæ nidum fovet, litteras ad se meas huius propemodum sententiæ tibi e Florentia Parthenopem miserit, quod si fecit, nequidquam tibi hæc; sed quia occupationes suas metuo, et desiderium tuum novi, in dubio satius duxi horam unam perdere si supervacuum est quod scribo, quam necessariam subtrahere per temporis avaritiam status mei notitiam amico. Ubi sim, quid cogitem, quid agam audieras, et fama fuit me procellas Curiæ fugientem Italiam repetere, sedes ubi fata quietas ostendere videbantur. Dum ergo iam iter caperem Ianuam versus nullam aliam ob causam nisi ut germanum unicum virtute mihi, quam sanguine cariorem, qui præter viarum illarum locum solitarium atque silvestrem, cui Montani Rivi nomen est, ad famulandum Christo tunsa penitus carne delegit, vel in transitu viderem lustro integro

non visum, circa occiduum Italiæ limitem Varum amnem bello iter interruptum reperii alpinis quibusdam gentibus armatis ad litus effusis. Iis ego rumoribus simul et amicorum precibus permotus, mutato consilio flectere iter institui; iamque Gebennam petiturus, me vertebam ad lævam, dum ecce repentinus imber omnia complevit: quamvis ante et post tanta cœli terræque siccitas fuerit, quantam vidimus, vix legimus. Substiti anxius, raroque unquam clarius vidi, quid sit illud: *caro oneri timere* a Virgilio relatum. Erat mihi prædulcis librorum sarcinula, et veterum libris immixtum pauxillum nugarum mearum, quibus ipse quoque Memphiticos papyros impleo, non quia illud agere sit optimum, sed quia illud nihil agere difficile, pessimum, et præterea impossibile mihi et insolitum. In eo statu non tergo timebam ad omnia durato, et ferre iampridem docto non tantum pluvias verum glacies, æstus et grandines, nulliusque iam laboris aut periculi inexperto: non timebam *lateri et oneri* ut Æneas, sed oneri dumtaxat ut Metabus: fateor enim caræ mihi sarcinulæ metuebam. Quid agerem? Omnia mecum, ut ait ille, versanti, visum est manifestam quodammodo prohibentis Dei voluntatem esse, ne tunc irem: pene irreligiosa improbitas est visa, si divinæ prohibitioni quasi mei iuris incumberem. Memorans ergo Cleantæum illud: *ducunt volentem fata, nolentem trahunt*, cessi volens, ne invitus cederem, præmissis in Italiam aliquot famulis non magis ut præsentia ibi sua rei familiaris necessaria curarent, quam ut hic digressu suo solitudinem mihi facerent laxiorem otiumque tranquillius. Vix bene discesserant tantumque aberant ut iam nec revocandi

nec assequendi copia esset, et ecce subito reversa serenitas, quæ multis iam mensibus durat, multis ante duraverat et duratura videtur, ni rector siderum consilium mutet, sive, quia consilium Domini in æternum manet, novis aliud ostendat effectibus. Itaque quo magis cogito, eo magis in mentem venit, Deo humanis periculis occurrente, terrestribus atque cœlestibus impedimentis frænatum forte desiderium meum, quod in Italiam me trahebat. Nobis nempe quæ cupimus grata tantum, Deo etiam nota sunt. Quid ni autem ideo opiner talem uti patrum memoria nunquam fuit imbrem hoc anno unicum in illum diem, et in ipsam abitus mei horam incidisse? Sic ergo cohibitus ad fontem Sorgiæ diebus paucis postquam inde discesseram revertor. Huc priusquam bis iter immensum velox luna perageret, unus e pueris quos præmissos audisti ad me rediit, et heus, inquit, quid moliris? Dum Charybdim fugis proram agis in Scyllam. Curiæ curas horrescis nec immerito; nescis autem quæ te curarum moles maneat si pedem in Italia posueris; quos reditus tui fama iam nunc amicorum cuneos erexerit, quot in partes distrahendus animus quem colligere meditaris, quot etsi non tuis certe tuorum negotiis æstuandum sit, quantumque perdendum temporis cuius modicum habes egens multo, quid patiendum tibi molestiarum ut multorum desideriis satisfiat. Hæc cum perfunctorie dixisset, singula diligenter explicuit, rationes afferens sole lucidiores, multa etiam addidit committenda silentio. Quid te moror? Non serviliter, sed philosophice, sed divine loqui visus est mihi. Itaque mecum volvens ac multa recogitans, et ubi portum esse credide-

ram suis fluctibus undosum mare conspiciens, moderatus ex ipsa rerum tempestate navigium animi legi rudentes, ieci ancoram, clavum pressi, fessamque vitæ turbinibus carinam donec portus appareat, hos inter scopulos alligavi, non rediturus ad curiam neque, nisi aliud audiero, Ausoniam petiturus. Hic si quid faciam quæris: *vivo equidem.* Expectas ut versum compleam *vitamque extrema per omnia duco?* Absit; immo vero vivo et valeo et gaudeo, et quæ multos mœstos faciunt sperno. Hæc vita mea est. Media nocte consurgo; primo mane domo egredior, sed non aliter in campis quam domi studeo, cogito, lego, scribo: somnum quantum fieri potest ab oculis meis arceo, a corpore mollitiem, ab animo voluptates, ab operatione torporem. Totis diebus aridos montes, roscidas valles atque antra circumeo. Utramque Sorgiæ ripam sæpe remetior, nullo qui obstrepat obvio, nullo comite, nullo duce, nisi curis meis minus in dies acribus ac molestis. Illas ante retroque transmittens præteritorum memor ventura delibero, quam feliciter viderit ille de quo dictum est: *in lumine tuo videbimus lumen*, sine quo frustra per tenebras humanitas lippa circumspicit: in illius ductu omnis spes est mea. Certe quod in me est, nitor ut præstem non reluctantem animum. Iamque cum Apostolo quantum possum præterita obliviscens, in ea quæ sunt ante extendor. Unum mihi solamen ingens in omni exilio datum est, quod et hunc locum iam feci et omnem si res tulerit familiarem mihi videor facturus, modo ille non sit Avinio ventosis ac turbidis Rhodani gurgitibus impendens. Hæc tibi diutius amice ignota esse non sum passus, si tamen ignota essent

hactenus, ne forsitan me quærentes epistolæ tuæ hac illac incertis tramitibus vagarentur. Ad fontem Sorgiæ sum, ut dixi, et quando ita visum est fortunæ, locum alium non requiro, nec faciam donec illa, quod crebro solet, varium mutet edictum. Interea equidem hic mihi Romam, hic Athenas, hic patriam ipsam mente constituo. Hic omnes quos habeo amicos vel quos habui, nec tantum familiari convictu probatos et qui mecum vixerunt, sed qui multis ante me sæculis obierunt solo mihi cognitos beneficio litterarum, quorum sive res gestas atque animum, sive mores vitamque, sive linguam ingeniumque miror, ex omnibus locis atque omni ævo in hanc exiguam vallem sæpe contraho, cupidiusque cum illis versor quam cum iis qui sibi vivere videntur quotiens rancidum nescio quid spirantes gelido in aere sui halitus vident vestigium. Sic liber ac securus vagor et talibus comitibus solus sum, quotiens possum mecum; sum sæpe etiam tecum, et cum illo viro optimo maximo, quem cum nunquam viderim, dictu mirum, omnibus horis video: apud quem, quæso, nomen meum dum tu secum loqui poteris, non senescat. Vale.

Ad Fontem Sorgiæ. VIII Kalendas Martias.

EPISTOLA IV.

FRANCISCUS PETRARCA ANDREÆ DANDULO DUCI VENETIARUM S. P. D.

Cur tam sæpe loci mutatione gaudeat. Peregre agendi consuetudinem laudibus prosequitur.

Quod in silentio suspicabar audio mirari te quod ita vagus hac illac et nusquam bona fide subsistens, nondum mihi certam vitæ sedem delegisse videar, quod anno vix usquam integro exacto per Italiam, biennio autem ex Italia in Gallias atque ex Galliis in Italiam commigrare soleam. Quod quoniam negare nequeo, reddenda ratio est tibi, ut miserearis, cæteris bonis ut ignoscant, vulgo ne latret. Scio quidem illud Annæi Senecæ verum esse: *primum argumentum bene compositæ mentis posse consistere et secum immorari.* Sed nec illud ignoro multos nunquam metas exigui ruris egressos, animo tamen et cogitationibus semper vagos et instabiles, quosdam vero in peregrinatione perpetua gravissimos tamen viros ac constantissimos fuisse. Peregrinati sunt magni duces magnique philosophi, quorum optime meministi; cum interim et in rure suo reconditus ac sepultus esset adhuc vivens Vatia et totos dies.... sterteret, totis noctibus vigilaret, nunquamque cubiculi sui fores excederet. Et illos etiam nosti quos Seneca ipse famosos epistolis suis fecit ridensque immortale illis dedit nomen. Peregrinati sunt Apostoli et disiunctissimas regiones nudis pedibus lustraverunt.

Ille Ephesum, ille in Syriam, ille missus in Achaiam, ille Romam, ille ad Indias, ille missus ad Ægyptum. Vagabantur illorum corpora locis asperrimis ac terra et pelago iactabantur: corda erant cœlo affixa. Apostolorum vero nostrorum corpora thalamis aureis requiescunt, animi autem terra marique vagi sunt. Inter hos igitur quibus, quæso, illud bene compositæ mentis argumentum existimabimus adesse, iis ne qui loco, an iis qui proposito non moventur? Illud quoque non me præterit quod sæpe dixi et dicere iterum delectat, græcum poetam et illius per vestigia nostrum quoque quibus nemo philosophorum altius res hominum conspicatus est, dum perfecti viri habitum moresque describunt, toto illum orbe vagum et ubique novi aliquid addiscentem facere. Neque enim crediderunt qualem stilo formabant virum fieri posse loci unius perpetuo incolatu. Sed quoniam hæc fortasse me non tangunt, gloriosis atque invidiosis excusationibus omissis, ad illam venio quam ut miserearis admonui. Tibi quidem, bonorum amantissime vir, olim vage et multorum locorum rerum notitiam adepto, nunc tandem merito virtutis ante annos nobilissimæ reipublicæ summum gradum magna cum gloria obtinenti, et propter omnium libertatem ac salutem sponte tua speciosis, sed æternis carceribus incluso, scio me gratius acturum si post vagam vitæ militiam ipse etiam alicubi prope te iam castrametari incipiam, quod superest lucis in otio transacturus. Mihi quoque nil gratius, nil optatius scito, cæterum nil difficilius videri. Huc enim ego iampridem clavum dirigo, alio tamen invitum frustraque luctantem violentior æstus rapit: et quoniam ita te af-

fectum sentio eamque mansuetudinem tuam novi, ut colloquiis licet humilium amicorum occupatam aurem non insolenter adhibeas, fateor iuvenile studium mihi fuisse ut homerici carminis sententiam sequens mores hominum multorum urbesque conspicerem, novas terras, altissimos montes, famosa maria, laudatos lacus, abditos fontes, insignia flumina, variosque locorum situs, curiosissime contemplarer. Ita enim expedite compendioseque ac sine fastidio, immo vero cum voluptate posse me doctum fieri rebar, quod inter prima mihi votorum omnium semper fuit, videbarque quodam modo agitatione, mentis ac corporis ignorantiam discussurus. Sed iam satis erratum, satis ambitum est. Iam satis desiderio morem gessi: tempus esset animi mei signiferum sic alloqui, ut suum romanus ille centurio: *signifer: statue signum: hic optime manebimus.* Et profecto vel multarum usque ad satietatem peragratio circuitusque terrarum, vel iuvenilis ardor iam lentescens et tranquillum sensim in teporem vergens, atque inde oriens quietis appetitus naturæ professionique meæ debitus, vagandi errandique discutiunt appetitum. Sed quid agam? Credat quisquis unquam mihi aliquid crediturus est: si quem ego sub cœlo locum bonum immo non malum ne dicam pessimum reperirem, cupide perseveranterque subsisterem; nunc velut in præduro recubans grabatulo huc illuc versor, nec votis omnibus quæsitam requiem invenio. Itaque lassitudini meæ quia cubilis suavitate non possum, alternatione subvenio. Vagor ergo et sine fine peregrinus videor: dum enim loci huius duritie fessus sum, ad alterum feror, etsi nihilo molliorem, cuius tamen interim novitate,

saltem leniatur asperitas. Sic iactor, non ignarus nullum hic quietis locum: sed per multos labores ad requiem suspirandum gemendumque, et quod omnium gravissimum merito dixerim, inter tot labores interque tam varios vitæ æstus de æternis difficultatibus æstibusque perpetuis ac laboribus formidandum. Quid autem, dicet aliquis, inquis, quod multi in eisdem sedibus in quibus tu concuteris quiescunt immotique consistunt? Cui ego respondeo: quam multi iis eisdem in locis inquietius habitant crebriusque volvuntur! Non dicam cœlestem originem animarum, quod Virgilius ait, neque quod ait Cicero, animum nobis datum ex illis sempiternis ignibus quos sidera et stellas appellamus, ut similitudine quadam, quod Senecæ placet, ex ignium volubilitate cœlestium, animarum inde nascentium volubilitas excusetur. Sed hoc dico, creatas simulque corporibus infusas animas a Deo esse, Dei sedem in cœlo esse, quod ait Psalmista, cœli vero perpetuum motum esse, quod ipsis oculis videmus. Itaque nihil miri si quam inde similitudinem traximus ubi Creator noster habitat. Nescio quidem unde, scio autem qualis nobilioribus animis præsertim visendi nova loca et mutandarum regionum est innata cupiditas, quam rationis fræno cohibendam temperandamque non nego. Crede autem mihi, credesque facilius expertus, dulce laboriosumque nescio quid habet ista curiositas provincias ambiendi: una autem sede sedentibus peculiare semper cum quiete fastidium. Proinde quid in hoc inque aliis hominum curis optimum Deo soli notum puto. Si quis est sane qui virtutem non in animo, sed in locis ponat, et immobilitatem constantiam vocet, valde

illi podagrici constantes videri debent; sed constantiores mortui, constantissimi autem montes. Hæc hactenus. Dicar forte ad excusationem ægritudinis argumenta conquirere. Ego vero me ægrum non inficior ægritudine animi, non parva, atque utinam non ad mortem: neque adeo in stratum meum omnem ægritudinis infamiam verto ut me absolvam. Iterum dico, quod tacito me apparet, æger sum: fac me autem sanum, feram fortius, sed non ideo mollis aut æquus lectulus meus erit; lectulus vitæ huius, in quo fessus iaceo; quin potius asper, inamœnus, immundus, iniquus, scrupulosus, et qui sanissimos etiam vehementer exagitet. Cur tamen in eodem aliqui quiescant nescio, nisi quia fortasse profundius consopiti non sentiunt quæ me premunt, aut inter asperitates meas aliquid mihi forsan incognitæ voluptatis inveniunt. Quamquam quid prohibet libere opinari tentum me febribus animi, illos autem sanos; quod de doctioribus facile crediderim; populum, namque sanum animi, nec mihi nec alteri crediturus sim, sed insensibilem potius ac torpentem. Denique alii quietis suæ causas norint; tamen motus mei causas attulisse sufficiat. Aut ego fallor enim, aut æger usque adeo non sum, quamvis æger valde sim, quin quiescerem, nisi me rerum ac locorum asperitas agitaret. Unum a me dictatum aliis remedii genus in meos usus vertere si potuerim bene erit, ut pacem quam exterius non inveniam intus quæram, et quod in locis non possum, in animo, immo certe in Domino atque illustratore animi conquiescam. De hoc plura alias. Tibi vero, ducum prudentissime, quem sola charitas cogitare de rebus

meis mirarique compulit, sic modo responsum sit. Vale.

Ad Fontem Sorgiæ. IV Kalendas Martias.

EPISTOLA V.

FRANCISCUS PETRARCA PETRO ABBATI SANCTI REMIGII S. P. D.

Laudat eius scribendi rationem: attingit leviter de quadam epistola adversus medicos: itemque de Cæsare ab Italia abhorrente.

Miro quidem et novo prorsus artificio usus es. Nam et tarditatem seu verius occupationes tuas, quibus mihi, care pater, multarum debitor litterarum eras, sub obtentu cuiusdam reverentiæ stili mei mirabiliter excusasti, et dum super calamo meo admirationem tuam verbis elegantissimis ac mira urbanitate confingis, ipse me in stuporem tui calami non modicum compulisti. An autem non advertis, aut me non adversurum speras te nunc, quod multis sæpe accidit, proprio ingenio circumventum nullaque re magis quam excusatione propria reum fieri? Epistola enim tua testis erit in posterum posse te ad omnia magnifice respondere, ne dum mihi sed Tullio: et de præterito testis est, si respondere neglexeris, nil tibi nisi tempus forte vel animum defuisse. Sciebam ita esse, sed epistola tua ne dissimulare unquam valeas fecit. Verum his in præsens omissis, tibi nunc pater, olim frater, pro transmissis libellis, sed multo maxime pro admonitione illa brevissima, qua me circa partem non exiguam spei meæ ar-

mas ac munis, uberes gratias ago, et quod mones amplector. Senseram et hoc ipsum prius tacitusque notaveram; sed multum est dum cognitioni dubiæ accedit docentis auctoritas. Quod opinabar scio: epistolam quidem meam ad illos nostri temporis Galenos quorum ingenio, ut ipsi volunt, subditur salus, languor, mors et vita hominum, destinato serius perventuram invitus audio. Novi enim eorum amentiam. Videbuntur sibi magnum aliquid dixisse, et facile sibi persuadebunt me in respondendo diu multumque desudasse; ventosum et inane genus animalium paratumque sibi de se credere, opinionesque mirificas de se ipsis concipere ac nutrire; quid autem vere sint, quotidie vitæ periculo humana credulitas experitur. Sed suspicentur ut libet: parvus enim error fuerit maioribus collatus erroribus. Tu mihi pro parte conscius es, veritas in totum, me in illa epistola, nonnisi unum diem, eumque non integrum et unius noctis partem ultimam consumpsisse, quamvis aliquot diebus inter rescribentis manus hæserit. In eo sane quod de nostri ducis tuoque simul et omnium nostrum in Italiam transitu, quem proximum arbitrabar, certior litteris tuis fio, forsan mihi spem præreptam gaudeo, sed fuisse falsam doleo. Gloriosum enim iter videbatur et labor mundo utilis: sed fata obstant, ut poetæ verbo utar, vereorque ne Cæsari nostro vivere sit satis, et sacro vertici debitum diadema despiciens nec imperii curam nec clarioris famæ sentiat appetitum. Quid enim agit seu quid cogitat? Certe si Germania sua et membris imperii contentus rerum caput linquit Italiam, rex theutonicus poterit esse, romanus esse non poterit imperator. Sperabam demens ge-

mina exhortatione, quam sibi nulla quidem arte, multa sed fide multoque ardore conscripseram, movisse, ne dicam inflammasse animum. At quem nec insignis gloria, nec meritum ingens, nec facilis maximarum rerum tangit occasio, quid mirum si levia verba non tangunt? Deiicerer animo nisi multa experientia didicissem, de transitoriis non curandum. Omnes fere non solum meæ, sed omnium spes curæque mortalium unum habent exitum, in nihilum desinunt, simillimumque est telis aranearum quidquid sub sole texitur. Quid vis dicam? *Non omnia possumus omnes*, inquit Maro. Qui potest capere capiat; profecto enim necessaria regnantibus virtus heroica, quam Virgilius ardentem, Lucanus igneam vocat, nisi nascenti divinitus data sit, haud facilis est quæsitu. Quid vero nunc æstuo minima reipublicæ particula, quid crucior, quid affligor? Advena ego sum et peregrinus in terra, sicut omnes patres mei, exul sum, viatorque anxius; me brevis vitæ manet nescio quantulum, et moriar et ad veram patriam meam ibo. Italia stabit inter Alpes et duo maria, ut ab initio rerum stetit, et si terreni regis auxilium desit, imperatoris æterni misericordiam implorabit. Crede autem mihi, pater, magnum est in sede Petri, magnum est in solio Cæsaris sedere. Vive, et vale.

Ad Fontem Sorgiæ. III Nonas Aprilis, pastorali calamo.

EPISTOLA VI.

FRANCISCUS PETRARCA PETRO ABBATI SANCTI REMIGII S. P. D.

Narrat calumniam a medico in eius perniciem evulgatam, culpam a se amovet et in maledicum obiurgatorem retorquet.

Lis est mihi magna cum medicis. Et quid, inquies, non metuis febres? Non sum adeo securus. Verum ex his medicis nihil spero. Et quid ideo, dicet aliquis, tibi commune cum illis est? Nihil omnino, nisi quod veritate animos eorum offendi, nec pœnitet offendisse. Et profecto si veritas inimicos facit, aut semper silebo, aut sine hostibus nunquam ero; neque tamen mihi cum omnibus, sed cum pessimis bellum esse ipse litterarum mearum titulus indicio est: procaci enim et insano medico inscribuntur. Quisquis inde turbatur procax et insanus, et ille ipse est quem alloquor; non quod unus solus talis sit, sed quia singularis numerus sæpe significantior est, et unus se vesaniæ ducem ex illo grege præstiterat. Illi ergo singulari certamine occurrendum fuit; et in uno multorum procacitas castiganda. Sunt enim qui de adversarii moderatione superbiant, et de alieno silentio ad loquendum animos accipiant; importunum genus et conviciatorum vulgus conviciis retundendum. Qui vero nunc huius litteratorii belli status si scire cupis, possum tibi clare dicere quid in castris meis agitur: tota res enim spernitur, loquaxque sine viribus adversarius: illi irridetur: et ita est ut epistolæ longioris fine dixi; non deposui aculeos: sentiet si se moverit, et intelliget hunc cala-

mum, si se velit ulcisci, non impune tentari. Ille autem mallet ut arbitror non cœpisse; sed præterita per pœnitentiam non mutantur: cedere autem pudet, pigetque contendere. Itaque trepidum atque sollicitum illum videas. Quia enim loquendi nescius est, circumit civitatem dictatoris plebei precariam opem quærens. Nam quod nuper didici, epistola illa quam vidisti, et in qua ille me primum impudentissimis verbis aggressus est, nescio cuius montani artificis opus est. Misereor insaniæ. Sæpe etiam, fateor, in animum venit amicius agere, et omissis iurgiis ostendere illum sibi: quod si possem, simul insolentiam hominis compressissem; sed difficillimum est novam doctrinam durato pectori inserere. Prius equidem dediscendus est error, ut in animo occupato tandem vero locus fiat. Itaque desperans destiti. Ignoraveram primum quo mihi cum hoste bellum esset, et velut in tenebris percussus a Niso, stricto calamo in Eurialum ire poteram ignorans. Vaticinabar tamen, nec fallebar augurio, unde in me illa verborum iacula mitterentur; demum patefactis insidiis coram vidi male dissimulati hostis effigiem, et diligenter inspiciens, signa quædam pertinacis atque arrogantis inscitiæ in vultu hominis legi. Iam nosse mihi videor illud ferreum caput, et scio quosdam multo citius frangi posse quam flecti. Linquo igitur illum sibi. Ego meum morem servabo ne quid temere affirmem; ille suum, ut cupide litiget et fidenter de ignotis iudicet. Quid vis enim? An aliud temeritatis argumentum exigis? Scripsi tibi nuper epistolam, et exigente materia in fine dixi: *magnum est in sede Petri, magnum est in solio Cæsaris sedere.* Hic ille cum sibi epistolam osten-

disses obstrepuit. Quid ergo? falsum ne dixi? Interrogentur qui in sedibus illis sedent; fatebuntur, credo, nihil verius dici posse. Sed interpres iniquissimus quo rem trahit? Dicit me dicere voluisse sedem Petri non alibi esse quam Romæ. Verum non id quæritur quid dicere voluerim, sed quid dixerim; quod enim dicere voluerim, ni fallor, per Hippocratis pronostica scire nequit. Scio fuisse Petri sedem ubicumque Petrus sedit, et nunc esse ubicumque Petri successor sedet. Nec sum nescius prius Antiochiæ Petrum sedisse quam Romæ. Quamvis autem certum sit multum unum locum altero sanctiorem atque salubriorem in electione Domini, tamen qua in parte domus sedeat, et licet alibi forte posset honestius, tamen quemcumque locum sua sessione dignabitur, hunc honestabit. Ita sentio; nec omnino aliquid de eo quod mihi lividus calumniator oblatrat, dum scriberem cogitavi: non locum præscripsi, ubi necessario sedere debeat qui omnium dominus est locorum; et quamquam decretorum rivulos non attingam, haustum tamen hoc de fonte Hieronymi teneo, quoniam « si au-» ctoritas quæritur, orbis maior est urbe; ubicumque » fuerit episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Con-» stantinopoli, sive Regii, sive Alexandriæ, sive The-» batiæ, sive Vormatiæ, eiusdem meriti est et eiusdem » sacerdotii. » Horum igitur non ignarus huiuscemodi deliramentis abstineo. Hoc dicere volui, et hoc dixi magnum esse in sede Petri sedere, ubicumque sedes illa sit; neque idipsum ex proposito, sed incidenter dixi: de Cæsaris enim non de Petri sede sermo mihi erat, ut nosti. Scito autem indubie venenosi magis quam ingeniosi animi fuisse calumniam. Latrat is quidem, mor-

deretque libentius, si dentibus non careret. Tu vive feliciter, et vale.

Ad fontem Sorgiæ. XV Kalendas Maias.

EPISTOLA VII.

FRANCISCUS PETRARCA STEPHANO COLUMNÆ PRÆPOSITO SANCTI ADEMARI S. P. D.

Ubique terrarum mala, calamitates, incommoda præpedire ocium et tranquillitatem vitæ.

Aut ego fallor, aut quidquid fere qualibet parte terrarum vides, magnanime vir, proposito consiliisque tuis adversum est. Aspice Romam communem patriam matremque nostram. Iacet illa, et, o! spectaculum indignum, calcatur ab omnibus quæ omnes terras ac maria victrici calce calcavit, et si quando forsan in cubitum erecta speciem surgentis exhibuit, mox nonnisi suorum manibus impulsa relabitur. Itaque vel nil prorsus, vel si quid est spei, vereor valde non totum huius ætatis tempus excedat. Miserebitur fortasse, miserebitur sacram urbem qui suis illam sedem successoribus deputavit, et quam temporale caput orbis effecerat, religionis esse voluit fundamentum: miserebitur aliquando, sed serius quam quo vitæ nostræ brevitas possit extendi. Ita illic oculis tuis aut animo nil iucundum. Quid de reliqua dixerim Italia, cuius civitates atque oppida numerare longum est? Itaque provincias perstringamus. Cisalpina Gallia in qua est ea quam Lom-

bardiam vulgus, docti autem Liguriam, Æmiliam, Venetiam vocant, et quidquid Alpes Apenninumque et antiquum Italiæ terminum Rubiconem interiacet, tota pene quam magna est tyrannide premitur immortali: cuius etiam illa pars quæ occasum respiciens sub Pede montium sedet (o! fortunæ tædia), facta est transalpinorum accessio tyrannorum; atque ita ne ibi quidem invenies ubi virtutis amicus atque otii acquiescat, præter nobilissimam illam Venetorum urbem, quæ licet hactenus unicum libertatis ac iustitiæ templum fuerit, nunc tamen tanto belli metu quatitur,[1] ut præterea, utcumque pacem pristinam recipiat, an ea sedes tibi placere possit in dubio sim. Tuscia olim terrarum florentissima, quæ ut Livius meminit fama nominis atque opum universa compleverat, cuius longe ante romanum imperium felicitas quanta fuit multa testantur; atque illud in primis, quod cum duo maria quæ Italiam cingunt, innumeræ gentes accolant, Tuscia sola patientibus cunctis, utroque pelago nomen dedit cum sæculo duraturum, hodie inter ambiguam libertatem formidatumque servitium titubanti vestigio quam in partem casura sit dubitat. Maritimi Ligures, Floro teste, Varum inter ac Macram habitantes, quorum olim Albingaunum, hodie caput est Ianua, ita res suas agunt sic tempora partiuntur, ut, consuetudine iam vetusta,

[1] *In Cod. X. Plut. XXVI. Sin. Bibl. Laurent. qui fuit Iacobi seu Lapi de Castiglionchio, ad verb.* Quatitur *legitur, ipsius manu scripta, hæc adnotatio:* Dum hanc epistolam de novo Paduæ legerem ego Lapus de Castiglionchio, supervenit eo tum novum, quod inclytus rex Ungariæ et Ianuenses et dominus Paduanus et alii sui colligati expugnaverunt terram Chloggiæ et obtinuerunt. Res quippe miranda: tunc super isto verbo *quatitur* dixi: si Petrarcha auctor istarum epistolarum viveret, aliud modo diceret: posset dicere *conquassatur.*

externi belli finis principium sit civilis, quod ne nunc accidat, eos tam efficaci utinam, quam fideli epistola nuper hortatus sum. Hactenus tamen tractus ille terrarum simul et adversa pars Italiæ quæ Illyrico adiacet, magno bellorum tonitru, nec parvæ stragis imbre desæviunt. Adhuc enim, ut vides, Ianuenses et Veneti in armis sunt; sic, ne quid ex nostro more depereat, rodimus rodimurque vicissim, et nos ipsos mutuo laceramus. Omnis plaga Picentium quorum modo Ancon, olim, ut Florus idem ait, Asculum caput erat, semper ambiguis animorum fluctibus æstuans reciprocansque colliditur, et soli optimi nativa fertilitas colentium ingenio depravatur. Pulcherrima illa Campania, in qua olim Plotinus ille vir maximus sedem præclaro otio delegit, qua Hernicos atque Algidum videt non iam philosophicis apta secessibus, sed vix viatoribus tuta, est vagis semper obsessa latrunculis; qua vero Capuam Neapolimque complectitur et nomine nimium præsago Terra Laboris dici cœpit, communem modo cum Appulis Brutiisque et Calabris totoque regno Siciliæ sortem habet: intus enim atque extra concutitur ac laborat. Habuit equidem orbis ille suum solem Robertum summum illum et virum et regem, qui quo die rebus humanis excessit, quod de Platone dicitur, sol cœlo cecidisse visus. Si mihi non credis, agricolas interroga, quam longa de regno eclipsis quam fœda passim et tristia multa per tenebras. Nam de ipsa quam inhabitas parva, ut aiunt, Roma, ut ego vocitare soleo Babylone novissima, ne loqui quidem est necesse: usque adeo non tantum apud proximos, sed apud Arabes atque Indos quoque nota res est. Perge nunc animo ulterius: Gallia omnis atque

illa extremitas orbis nostri et extra orbem proiecta Britannia bellis sæpe gravibus attenuantur. Germania, non minus quam Italia, intestinis motibus ægrotat, et propriis flammis ardet. Hispaniæ reges in se arma verterunt; Balearis maior regem suum nuper exulem et mox miserabiliter obtruncatum triste cadaver aspexit; Sardinia et cœli inclementia et turpi servitio laborat; Corsica horrens et squalida: minoresque aliæ nostri maris insulæ piratarum incursibus infames atque suspectæ sunt: Trinacria tota Ætnæ similis æstuanti magnis odiorum flammis uritur, et an itala esse malit an hispana deliberans, interim neutra est animorum statu dubio, servitute certa et indigna, nisi quia servire dignus est qui liber esse non vult. Rhodus fidei clypeus sine vulnere iacet inglorius; Creta vetus superstitionum domus, aliis vivit; Græcia sibi arat, sibi amputat, sibi triturat, sibi pascit, cibumque salutis male ruminans nostrum præsepe deseruit. In reliquis Europæ regionibus Christus vel incognitus vel invisus est. Cyprus quia armato hoste carens, inermi mollique otio, voluptate, luxuria, malis hostibus oppugnatur, viro forti sedes inabilis; minor Armenia undique crucis ab hostibus obsessa inter temporalis et æternæ mortis periculum fluctuat. Ortus ac sepulchrum Domini duplex Christianorum portus ac requies, canum pedibus conculcantur, nec tutus aut liber ea loca petentibus accessus patet. Ingens sæculi nostri crimen pudorque perpetuus; nam nisi mortui essemus, mors huic ignominiæ præferenda esset. Taceo Asiam totam atque Africam, quæ licet historiarum fide ac sanctorum testimonio probentur Christi iugo fuisse subiectæ, damnum tamen tractu temporis in dissimulationem

ac contemptum venit, quodque armis ulcisci decuit oblivione levius et silentio consolamur. Vicinis gravius angimur malis. Quis Ianuensium exiguam classem infestis proris ad litus Venetum venturam, quis Britannum parva manu in Gallias irrupturum crederet? Utrumque quidem intra breve tempus audivimus. Ubi iam, quæso, tuta mora est? Venetiæ et Parisii civitatum omnium nostri orbis tutissimæ videbantur; hæc italicarum, illa transalpinarum arx terrarum; in utraque nuper hostis incursu facili gravissime trepidatum est. Quis unquam divinasset Galliarum regem in britannico carcere victurum, forte etiam moriturum? Ecce iam certi de carcere, de fine suspensi sumus. Quis divinasset ad Parisiorum portas venturum exercitum Britannorum? Ecce iam venit. Quamquam quis omnino, nisi ignarus rerum, aut regis carcerem aut urbis obsidionem stupeat? Romanus imperator in carcere persico prorsus misera servitute consenuit. Ipsa urbs Roma ante Collinam portam infestum cum exercitu vidit Hannibalem, idipsum in maiorum comparationem latura modestius, ut quæ a Gothis multis post sæculis capienda, et iam a Senonibus capta esset. Quibus exemplis omnibus unum ago: in his rebus mortalibus nihil esse tam miserum, quod etiam iis qui felicissimi dicuntur non possit accidere. Quæ cum ita sint, vir optime, quid agendum tibi sit vides, ideoque supervacuus forsitan sed fidelis consultor advenio, tibique suadeo quod persuasisse mihi iam velim. Fac quod nitidi quidam homines solent, nec homines tantum, sed candida quædam animalia sordesque timentia, quæ ubi cavernulis egressa loca circum cœno obsita conspexerint, pedem retrahunt, et intra

latibulum suum se recipiunt. Tu quoque nullum quietis ac solatii locum toto orbe reperiens intra cubilis tui limen et intra te ipsum redi, tecum vigila, tecum loquere, tecum sile, tecum ambula, tecum sta: ne dubita solus esse, si tecum es: quod si tecum non es, etsi in populo fueris, solus eris. Fac tibi in medio animi tui locum ubi lateas, ubi gaudeas, ubi nullo interpellante requiescas, ubi tecum Christus habitet qui te iuvenem secretarium atque convivam suum sacerdotio sancto fecit. Et quibus, inquies, id artibus efficiam? Virtus sola potens est hæc omnia præstare: per illam assequeris ut ubique lætus ac felix vivas, et in medio malorum nullus ad te aditus malo sit, nihil optes nisi quod felicem, nihil horreas nisi quod miserum facit. Nulla autem re nisi animo felicem aut miserum fieri scias: externa quælibet esse non propria: tua omnia tecum esse; nihil alienum tibi dari posse, nihil tuum eripi: quem vitæ cursum eligas in tua manu situm esse: fugiendas opiniones populorum et paucorum sequendas esse sententias; despiciendam alto animo fortunam, sciendumque plus illam impetus habere quam virium, et minari sæpius quam ferire, et rarius obesse quam strepere; nihil illam in propriis tuis bonis posse; in suis non fidendum blanditiis et quidquid illa donaverit precario possidendum. Ad hæc, ut si unquam altius ascenderis, divinæ clementiæ adscribas, si minus æquo animo aspicias, in regno fortunæ bonos opprimi, pessimos attolli: intelligens, ut ait Psalmista, in novissimis eorum, memorque viam hanc laborum esse, non patriam meritorum. Vale.

EPISTOLA VIII.

FRANCISCUS PETRARCA LÆLIO SUO S. P. D.

Quo se ferat incertum hærere animo: Romæ tamen desiderio quam maxime teneri: eaque de re amici consilium enixe postulat.

Rem prima fronte mirabilem scribam tibi, sed si ad præteritum tempus animo reflexus mores meos a prima ætate tibi cognitos propositumque respicias, nihil admirationis habituram. Summa est; pars mundi mihi nulla placet: quocumque fessum latus verto, vepricosa omnia et dura reperio. Credo iam tempus esset ad alteram vitam commigrandi: hic enim, fateor, male sum, sive hæc mea, sive locorum, sive hominum, sive omnium culpa est. De hoc autem latius Stephano nostro clarissimo viro scripsi, ideoque multo iam tempore peregrinus sum in terra, de quo ipse me nuper excusavi Venetiarum duci Andreæ viro inclyto. Utramque epistolam cum hac simul ad te misi, quoniam ad id de quo consuleris utraque non impertinens visa erat; non quod ego sim dubius multa hic adversus me dici posse, sed omnibus iuste responderi etiam posse confido. Unum mihi solamen animi inter tot asperitates rerum non parvo studio nec facili mentis exercitatione conflavi, ut ubicumque terrarum sim, quamvis pessime, persuadeam mihi bene esse, meque ipsum fallam cogamque non sentire quæ sentio; quod sæpe utile seu necessarium extremumque remedium malorum est. Quid ineluctabili fato iuvat obluctari et impatientia fastidioque animi ipsa locorum multiplicare fastidia? Re

autem vera scis animum meum. Si quid est quod mihi placeat in terris, in Italia est: nec miraberis: nam et ibi patria est nostra, et ea conditio locorum ut alienigenas etiam barbarosque delectet. Ex diverso autem ea est seu mea sors seu feritas accolarum ut inde iam dudum sponte exsulem, et quod forte miraberis, nisi quia nec idipsum novum audis, nec etiam, ut sæpe alias, ad Fontem Sorgiæ respirem, rure inopi et angusto, sed solitario et tranquillo, et si cum multis opimioribus conferas, in primis optabili studia honesta et otiosa sectantibus. Proinde, quod ad locum attinet, vivere hic possem quietissime, nisi externis quaterer ventis. In ipso igitur portu timens multa circumspicio, sed ante omnia vicina Babylone deterreor, quam romanam curiam dicunt. Mirum, cum nihil minus quam romana, nihil illi usquam invisius Roma sit. Huius certe vicinitas ac prospectus odorque terribilis et felicitati nimis infestus est; ille me vel solus hinc pelleret, ut omittam præteritarum reliquias tempestatum, quæ ut de tam propinquo usque in hunc portum conquassatam vitæ naviculam persequuntur. Totius tandem consultationis hic est finis. Quem ante annos viginti si non oblitus es noveras nusquam libentius quam Romæ esse, et fuissem semper si fortuna permisisset mea (dici enim nullo posset eloquio quanti faciam fragmenta illa gloriosa reginæ urbium ruinasque magnificas et vestigia illa tam multa et tam clara virtutum seu cœli, seu terræ iter ingressis lumen præferentia finemque monstrantia), et nunc solito etiam cupidius in eadem urbe, dicere vellem posse semiruta, vitæ huius quantulumcumque superest agere. Omnibus prope tactis nullam magis in

partem animus inclinat. Sæpe ibi advena cum fuerim, opto ut iam tandem incola ibi sim, et diu per membra terrarum orbis vagus ac fessus in capite subsistam tandem, et quantum hic est possibile requiescam. Si adhuc vivere oportet, nusquam, ut mihi videor, melius vivam, nusquam libentius certe sepeliar: iam enim ad exitum specto novissimamque domum cogito. Res in eo vertitur si possim quod cupio: cogitanti enim nescio quid difficultatis effunditur. Sed incipientibus omnia difficilia videri solent. Contra illud quoque verum est difficiliora quædam esse quam videantur. His alternantibus curis rem ad te integram reieci. Tu me, frater, ac res meas et difficultates et fortunas nosti funditus. Romam nemo te melius novit: rerum quoque præsentium statum præsens aspicis. Si e tribus unus viveret aut ille mirificus senex, aut gloriosus ille iuvenis, aut ille magnanimus adolescens, nec digni visi essemus qui omnibus simul nostris ac patriæ luminibus privaremur, nihil dubietatis occurreret. Non consultantem audires, sed præsentem cerneres. Nunc consilii inops illud primum quæro: quid Roma nunc nostra publica parens agit? Deinde quid hic alter adolescens noster cogitat, in quo spes tantæ familiæ remansit? Quos virtutum flores, quæ gloriæ signa prætendit, quantum maiorum suorum fama tangitur vel exemplis accenditur, qualiter nostri meminit, qualiter suos amat? Solet enim ætas illa facile suorum affectuum oblivisci. Postremo illud scire expeto an tu istic usque in finem esse decreveris; non parvum capiendi consilii momentum, quod si feceris laudabo, si non feceris mirabor. Satis diu peregrinati, ne dicam iactati, sumus: tempus est ad vesperam subsistendi, figendi-

que ancoram, ne nox deprehendat errantes. Me autem quantum curia babylonica delectet sciebas olim, dum et ipsa minus fœda esset et nos ibi iuveniliter ageremus. Nunc et mihi cum tempore indignatio accessit, et illa talis effecta est, ut qui hactenus avide ibi erant, avidius nunc inde diffugiant. Sed ne quid nescias, utque maturius deliberes, ego uno tempore a diversis accersor atque sollicitor. Nam et Neapolim vocor ad regem siculum; sed suspectus est aer, bonus forte incolis, quod corporum valetudo et eximius decor indicat, mihi tamen calidior quam vellem. Est illic quoque rex novus, de quo licet apud Lucanum sit quod *mitissima sors est regnorum sub rege novo*, ego tamen antiquum regem memori semper mente suspiro. Cætera quidem facile convenirent, nam et pulcherrima plaga est, et mihi quia vulgatum est me in primis illud appetere, otium ingens ac solitudo promittitur ab iis qui et præstare quod pollicentur possunt, et quorum verbis fides merito debeatur. Et Parisios vocor ad Francorum regem, optimum illum quidem ac mitissimum principem, meique, ut scis, plusquam ignoti hominis amantem; sed nec mihi cum accolarum moribus, nec illi hactenus cum fortuna sua bene convenit. Illud etiam obstat, quod qui illuc olim evocatus ad percipiendam lauream non parui, si nunc eam, alienæ vitæ censoribus videri possim bis vocatus semel tantum audivisse; non quidem dum illius urbis, si qua esse posset, ex me gloria, sed dum illa ex urbe mea insignis utilitas ageretur. Et de novis consiliis hactenus. Quæ sequuntur antiqua sunt. In illa enim parte Italiæ nunc expector in qua et multos olim annos egi et fortunarum mearum magna pars latuit.

Enimvero ibi omnia delectarent, si tantum civilibus odiis non liceret. Revocor ad vicinam curiam. Nihil convenit, omnia displicent. Inter has difficultates anxius ad hos scopulos applicui; hic hæreo incertus quo potissimum adeam. Hic si longam moram traxero, valde silvanus fiam. Quid faciam audisti. Audi ergo quid cogitem: responsum tuum expectabo; si venire Romam dissuadeas, illico clavum flectam ad illam de qua loquor Italiæ partem, interque Alpes et Apenninum experiar si qua vel fortuna, vel ratio tranquillum præstare possit portum in pelago; si penitus anceps navigatio videatur, hic ubi sum non modo ancoram iaciam, aut alligabo naviculam, sed subducam, et quod solent quos naufragia terruerunt, quosque pertæsum maris est, sub tecto ponam, seu fortassis exuram, ne quando mutato consilio navigare amplius possim. Hic quamquam urbis impiæ vicinus fragor ac fumus impediant, obstruam tamen aures oculosque, gratoque otio quod iam cœpi et optata fruar solitudine; et si quis inde huc, quod vetare nequeo, turbator accesserit, sentiet me in silvis urbanarum oblitum atque immemorem curarum: surdo se loquutum dicet; ita nihil omnino audiam, nihil loquar extra propositi mei fines. Vagabor solus et liber, ut nunc facio. Illud intererit quod nunc ex iis locis Tiberim Padumque cogito, Arnum quoque et Athesim et Ticinum; tunc nil usquam præter Sorgiam cogitabo inter agrestes victurus humandusque, ultimo dierum omnium extra quidem, sed quod iam hinc turbat, prope tumultum babylonicum surrecturus. Sed iam satis sermo hic colloquendi studio processit; his ergo omnibus, frater, in unum coactis, et si quid præterea præsentibus est omissum, rescribe, oro, quid

me agere dignum putes. At unum tibi non excidat me, si detur optio libera, longe Romam locis omnibus præferre, quod ita esse verbo semper ostendi, et ipsis ostendissem rebus, si mei arbitrii fuissem. Fui autem sub arbitrio fortunæ, cui reges principesque terrarum subsunt, et cui in rebus humanis præter solidam consummatamque virtutem, a qua procul absum, nil prorsus eximitur. Nunc ergo quo magis dilato, eo magis ardenti desiderio illuc trahor. Itaque sic habeto, hoc affige animo, si sanctam civitatem semel intravero, nunquam inde digrediar; non si me Samum Iuno, Gnidum Venus, Iupiter Cretam vocet. Vale.

Ad Fontem Sorgiæ. VIII Kalendas Maias.

EPISTOLA IX.

FRANCISCUS PETRARCA LÆLIO SUO S. P. D.

Urbem Romam perperam cum Babylone comparari, nec eam odio numinis laborare: quapropter magis magisque ibi se mansurum cupere.

Iam vale dixeram, signatoque die epistolam complicabam, dum nova clam obrepens cogitatio scripturæ longioris admonuit. Quid facerem? Prior papyrus plena, nec addendi aliquid locus erat, summusque in margine versus adhæserat, ut ait Naso. Certe quod illic omissum fuit hic exsequar: tanto quidem nobis accuratius agenda sunt omnia, quanto plurium subitura iudicium, sæpiusque inter livorem ignorantiamque versanda sunt. Id minime negligendum ut superioris

epistolæ quantum fieri potest contra sentientibus satisfiat, appareatque me ut magno, sic haud indigno desiderio Romam trahi. Sileo bella civilia et implacatæ semper plebis ardorem; omitto multa quæ illi urbi cum toto orbe communia mala sunt; prætereo voluptates longe lateque regnantes. Non voluptuosum quæro domicilium, sed honestum; memorans Scipionem in exsilio suo Linterninum horrorem Baianis prætulisse deliciis, et de hoc laudatum. Ad illud unum venio quod ea mihi cogitatio recens attulit, qua nunc ultra destinatum scribendo rapior, ut audisti. Occurrit enim electioni meæ multorum sententias adversari, apud quos Babylon Roma est; et (ut ita stomacer) fœda virtus, infamis est gloria. Nec negaverim esse huius quoque sententiæ magnos duces. Nam et Augustinus Civitatem Dei ædificans, quodam loco dum nativitatis Abrahæ tempus attingeret, quem natum constat regnante apud Assyrios Nino: *habebat*, inquit, *in regno annos quadraginta tres quando natus est Abraham, qui erat annus circiter millesimus ducentesimus ante conditam Romam* (vellem quod sequitur tacuisset), *veluti alteram*, inquit, *in occidente Babyloniam.* Nec semel hoc dixisse contentus, alio quodam loco dum per Albanorum successionem ac progeniem regum ad Romulum pervenisset: *Ne multis*, inquit, *morer, condita est Roma velut altera in occidente Babylon.* Ecce non tantum quod dixerat supra repetiit, sed processit ulterius, et *velut prioris*, inquit, *filia Babylonis.* Verum hoc loco tacitum nullo modo vellem esse quod sequitur *per quam*, inquit, *Deo placuit orbem debellare terrarum et in unam societatem reipublicæ legumque perductum longe lateque pacare.* Ecce

audis almam urbem ut nomine Babylonis infamem, sic causa originis et dignatione præcipua cœlestis providentiæ gloriosam: dum dicit *per quam Deo placuit orbem debellare terrarum*. Poterat nempe per aliam, sed per hanc voluit, quam scilicet tanto operi præ cunctis idoneam ab æterno præviderat. Neque enim mediocre negotium erat orbi indomito et effræni caput dare, quod Augustinus ipse non dissimulat quando sententiam illam suam ratione confirmans: *erant enim*, inquit, *iam populi validi et fortes et armis gentes exercitatæ, quæ non facile cederent, quas opus esset ingentibus periculis et vastatione utrinque non parva atque horrendo labore superare*. Ecce quibus effectibus divina providentia romanum imperium fabricata est, ut esset scilicet mundo caput. Et regno quidem Assyrio, sive finium spatio breviore, sive rudi et imbelli domandarum gentium barbarie, ut Augustinus idem pluribus verbis ostendit, facile contigerat non ut orbis sed ut Asiæ caput esset. Romano autem imperio quia maiora quædam et difficiliora restabant, tale illud Deus esse voluit, quale quantitas laborum et complanandarum rerum asperitas exigebat. His omnibus adhuc nihil, ut puto, præter nomen Babylonis obscurum est; quo multi, sed in primis Augustinum sequens in historia utitur ille mundi malorum coacervator Orosius. Certe Hieronymus in epistola quadam otium suum Bethlemiticumque silentium laudans, gratioremque Deo volens ostendere inopem illum locum quam Capitolii arcem tot triumphis insignem, dicit arcem ipsam sæpe fulminibus de cœlo tactam. Nec fallitur: quod historias percurrenti promptum est agnoscere. Neque illam modo, sed et reliquas arces

romanas pari infamia premi posse non nego, Cœliumque conspectius montem non suopte quidem infortunio, neque odio fulminantis, sed claritate patientis, quæ sæpe futuram in altero mediocrem cladem, insignem fecit in altero. Illum igitur de quo loquor collem infamasse potuit vel unus abunde mœstus et horrificus Tullii Hostilii romani regis eventus, quem post impetuosam vereque fulmineam vitam usque ad extremum uno tenore traductam (o! vitæ hominum consentaneum finem), fulminis incendio tota ibi cum domo conflagrasse legimus. Mitto alios romano nomini insultantes. Non pauci enim sunt et veteres et novi et nostræ etiam ætatis aliqui, quorum nonnulli, quod ipsis in verbis elucescit, non tam veri studio, quam veri odio et invidia trahuntur, quibus nihil respondendum puto; satis est illos veneno suo confici. Si litterati homines sunt et libros legunt, credo, suspirare illos coget per singulas lineas occurrens clarissimum Romæ nomen, idque, ne quid calumnientur, in libris non romana manu scriptis sed externa. Populo enim romano, ut ait Crispus, numquam scriptorum copia fuit; quippe honestius ac gloriosius ducebant alios de se, quam se de aliis scribere, res ipsas rerumque famam quærentes potius quam verborum. Quid multa? Quisquis urbem Romam eventus exceperit, nomen vivet quamdiu græcarum aut latinarum memoria litterarum ulla supererit, nec unquam deerit invidis materia tabescendi. Augustino sane ac Hieronymo, quos contemnere fas non est, hoc modo responsum sit. Romam velut alteram Babylonem in occidente fundatam non inficior, ut scilicet, iubente Deo, imperium orientale, quod in Babylone multis sæculis

fuit, inde ablatum tempore pariter ad occasum iret, ubi Romam esse perspicuum sit: interesse autem quod et mores urbium diversi et de orientali non occidentale, sed universale imperium sit effectum, omniumque sola verissima monarchia. Quod si propter totius domiti orbis in una urbe concursum et confusionem rerum maximam, ac super omnia Deorum turbam sacrorumque, Babylon, hoc est confusio, dici potest, non obluctor neque contendo: sed audeo dicere illud sibi nomen excidisse, quo primum die, fallacibus Diis exclusis, unius veri Dei cultum nomenque suscepit, et ut Leonis papæ verbum mutuer, *de magistra erroris facta est discipula veritatis.* Iam illud quod sæpe fulminibus ictum Capitolii saxum dicunt, idque in argumentum trahunt non acceptum Deo locum, sanctissimi litteratissimique viri pace dixerim, non id divinæ iracundiæ tribuendum, sed naturæ: alioquin multum inter omnes terras amat Ægyptum Deus sedem omnis impietatis omniumque malarum superstitionum, quæ non modo Isim et Osirim, sed Apim et Serapim et crocodilum adoravit ac coluit, nunc minime sanctiorem crocodilo Macometum colit, et tamen vel raro ibi vel nunquam tonare fama est: multum contra Pyrenæos montes odit, ubi Christus adoratur, et ubi quam terrifice tonet et quam crebro quis nobis melius novit, qui illic viridioris ævi unam egimus æstatem, et fulminum flammis totiens fumantia rura conspeximus? Etsi omnis quidem cogitatio opinioque omnis pium sobriumque excitans timorem utilis ac laudanda sit, vere tamen tonus atque ignis ille non tam iræ quam naturæ est, et fortuitus, et ventorum rabie cadit in terras, ut Saty-

rici utar verbo; et rei huius causam esse mobilitatem aeris volunt quidam, inter quos Plinius Secundus vir doctissimus; quod si verum est, valde mobilis ille Pyrenæi tractus aer credi potest. Ipse tamen hanc causam ponit cur sæpe tonet in Italia: quæ si iterum vera est, pro virili mea parte libentissime mobilitatem hanc permutatam velim cum ipsis Ægyptiis aut Hibernis, apud quos perraro etiam et leviter tonare, ct qui de iis scribunt, et qui inde veniunt testantur. Si (revertor Romam) non amat Deus Tarpeiam rupem, gloriose Hieronyme, quam sæpe, ut maroneo utar versu,

Fulminis afflavit ventis et contigit igne

liceat, oro reverenter, pro veritate tecum colloqui, si non amat Tarpeiam rupem Dcus, quomodo ibi caput orbis esse voluerit valde miror: quod ipse mihi non inficiaberis. Quid vero sis responsurus video: quamobrem huic patrocinio non innitor. Esto igitur: oderit Deus locum illum, qui nisi amaret illum Deus, certe non staret: sed oderit, idque compertum sit. An hinc tamen hoc elicis, quod eum fulminando persequi visus sit? Vide, quæso, argumenti huius vim. Nolo exempla longe petere, nec oportet. Profecto si Tarpeiam rupem non amat Deus quam fulminavit, quamque, quod aptius divini odii signum putem, de capite terrarum orbis latronum receptaculum fieri sæpe nostris quoque temporibus passus est, at saltem suum lateranense domicilium, at saltem Virginis Matris et suorum domos Apostolorum amat, quibus an pepercerit videmus. Lateranum nostra ætate flammis absumptum nunc etiam multo labore infinitaque reficitur impensa. Ve-

rum id non Dei odium dicet aliquis, sed culpa hominum fuit. Quartus annus agitur ex quo terræmotu terribili, et apostoli Pauli templum pene funditus ruit, et Virginis domus supremo colle consistens graviter concussa est. Nisi forte dicat quispiam non tam clarum cœlestis iracundiæ indicium terræmotum esse quam fulmen. Ecce autem præsens annus turrim illam Petri apostoli ita fulmine conflagrantem atque collapsam vidit, incredibile quidem dictu, ut vix tanti ædificii vestigium extet, turrimque ibi fuisse vix putet nisi qui viderit. Quin etiam, quod in stuporem religionemque multorum vertit, campana illa percelebris Bonifacii Octavi opus et nomen, ita liquefacta dicitur, ut ne reliquiæ quidem superfuerint. Quem ultimum casum non ut plane compertum ignoranti sciens narro, sed ut ignarus a sciente percontor. Nos enim famæ credidimus quæ tu cernis. Ego post Iubilæum annum Romæ non fui, qui nunc tertius retro est. Sed si verum est quod de hac re omnium Roma venientium una vox loquitur, quæ mentiri non solet, certe nunquam rupes Tarpeia tale aliquid passa est. Credo ego Deum nihil omnium odisse quæ fecit; sin locum unum altero plus amat, arbitror eum plus amare ubi se plus amari novit. Interdum vero loca sanctissima ferire ut profana perterreat. Accedit quod nec ego, ut soleo, tonitrua pavesco, sive quia quo magis vixi eo minus mori timeo, sive quia ex quo conscientiam abditis suis malis exonerare cœpi, externos tumultus minasque non metuo. Nec si successerit quod cogito Tarpeiam rupem in qua habitem elegi, non ne populo sim suspectus, quod fecisse legimus Publicolam, sed ne tædio affectus in id quod fugere est ani-

mus sponte recidam. Nosti autem e septem collibus qui omnibus montibus ac vallibus præfuerunt, quisnam longe gratissimus sit mihi studiisque meis aptissimus. Itaque ut ad propositum redeam atque concludam, non moveor sententia: magno urbis desiderio teneor: eventus in manibus Dei est. Certe si unquam sanctam civitatem intravero, verum dices quod superior spondet epistola. Vale.

EPISTOLA X.

FRANCISCUS PETRARCA PONTIO SANSONI S. P. D.

Oblatum aliquid gratum habet, seque eum quamprimum invisurum spondet.

Accensa charitas frænum nescit. Id, si unquam, nunc præcipue in dulcissimis atque humanissimis litteris tuis sensi. Mirarer si iste tuus erga me plusquam fraternus affectus novus esset, et non a teneris annis incœptus usque ad hanc ætatem iugiter increvisset. Gratias ago et oblationem tuam fidenter accipio, in tempore rebus tuis usurus ut propriis: excusationem tuam accusationem meam arbitror. Non enim tu ad me sed ego ad te venire debui, et si longiorem moram traxeris, veniam, quem semper video visurus. Plura scribere est animus, sed nuntii tui, quos facundæ licet epistolæ in auxilium misisti, taciti expectant, et litteras in silentio suspirantes numerant, cœlumque suspiciunt; et sol fugit, et vereor ne dum mihi obsequor, illis sim incommodus. Vale nostri memor.

EPISTOLA XI.

FRANCISCUS PETRARCA PHILIPPO EPISCOPO CAVALLICENSI
S. P. D.

Incertum quo mansum eat, Avenione digressum se in solitudinem ruris recepisse.

Mirum valde audies, verum tamen: nescio quid alii, ego autem hac ætate nondum quid velim firmare mecum valeo, non quod mea mihi voluntas ignota sit, sed quod desiderio multa obstant. Non plene igitur velle possum, quod frustra me velle video. Hinc mihi labor et rerum infinita perplexitas, quotidieque magis experior illud Hebræorum Sapientis dictum breve simul et grave, quod legentes plerique sicco pede prætereunt. Ego semper relegens pedem figo, et suspirans bis terque quaterque mecum repeto, quod scriptum est: *cunctæ res difficiles.* Ecce quanta nunc parvis etiam in rebus difficultas; quod vellem nequeo, quod possem nolo, quod autem possim simul ac velim quæro, nec invenio. Inter hæc multis consiliis ceu fluctibus iactatus, dum res finem habeat, ficta et vulgata abitus mei fama, quasi Italiam repetens, Babylone clam profectus huc redii, venissemque illico ad te, non tam ut tuis oculis quam ut meis satisfieret qui prope nihil ardentius, quam faciem tuam quærunt. Verum hoc proposito venisse me noveris ut lateam fugiamque, si possim, non modo alios sed me ipsum, hoc est vitia et errores meos qui me ab infantia in senium persequuntur; tanti præterea est invidiam vitare, quæ mihi per omnes terras

est obvia, ut si eisdem latebris et illi et cunctis mortalibus tegi queam, atque aliter nequeam, paratus sim et amicis omnibus, quibus mihi nihil est dulcius simul, et qua nihil amarius invidia, carere. Huic meo proposito ruris tui angulus, quod semper consuevit, opportunissimus est visus. Hic igitur me sub alis tuis delitescere patiaris ; cela me, oro te : quod si feceris sæpe me hospitem habebis, vel per noctem, vel per imbrem qualemcumque convivam, certe animo tuo gratum ; contra autem quod in fabulis audiebamus, si vulgare cœperis, amittes. Vale.

EPISTOLA XII.

FRANCISCUS PETRARCA PHILIPPO EPISCOPO CAVALLICENSI S. P. D.

Piscem, avem et epistolam ex iis quæ sine titulo inscribuntur, ad eum mittit.

Tria tibi veniunt, pater, multum diversa munuscula. Unicus auro nitens piscis et squamis maculosus argenteis. Torrentinam alii, Turturam quidam vocant. Gratius tamen fuerit saporem nosse, quam nomen. Hunc villici mei filius servus tuus, in his hodie lucidissimis undis cœpit. Item pinguis anas amœni dudum fontis incola, cui adversus raram indolem egregii canis, nec liberas aer vias, nec tutas fluvius latebras dedit, nec natanti fuga patuit, nec volanti. Ad hæc epistola quædam recens, quam in rure tuo nuper hamo debilis ingenii inter animi mei fluctus et rerum scopulos, ipse

quoque tibi piscatus sum. Cætera tamen ita veniunt ut apud te maneant; hæc venit ut redeat, neque diutius quam ut oculos tuos semel impleverit, tecum sit. Scis causam? quia veritas odium parit. Quod si iam tunc tempore Terentii verum erat, quid hodie arbitraris? Perlege ergo si libet, idque secretius: ac remitte, donec sciamus quid mundo Deus aut fortuna paraverit. Tunc consultabimus quid huic fiat epistolæ, an donanda sit flammis, an sororibus adscribenda. Interim scito, et hinc fidem metire meam, nullis me oculis hanc aliis ostensurum fuisse quam tuis. Vale, decus meum.

Ad Fontem Sorgiæ. XIX Kalendas Ianuarii, silentio noctis intempestæ.

EPISTOLA XIII.

FRANCISCUS PETRARCA PHILIPPO EPISCOPO CAVALLICENSI S. P. D.

Epistolam, quæ pone est, legendam ad illum mittit.

Tribus hesternis munusculis quartum addere in animum venit. Legisti confestimque mihi remisisti epistolam illam tibi conscriptam eo quod te capitalem hostem vitiorum noverim, quam quidem valde tibi placuisse gaudeo. Itaque mihi ipsi testimonio tuo probabilior ac gratior facta est. Nunc tibi aliam mitto quam Clero Paduanæ Ecclesiæ dictavi, super transitu sacræ memoriæ Ildebrandini Episcopi, quem te sciebam laudare solitum et mirari, quamquam ipse, me iudice, omnem hu-

manam admirationem miraculo suæ divinæ virtutis excesserit. Amabas tu illum, imo vero virtutem eius. Secum enim tibi, ut puto, nihil rei fuerat, nisi quod necessario consequens est, ut peccati osor, idem et virtutis amator sit. Tu, pater, has invicem conferens epistolas existimabis, si qua huius calami vis est ad actus diversissimos, vituperandum scilicet ac laudandum, ut tamen interea memineris quidquid utraque defectivum habet, ingenii crimen esse, si quid autem forte quod placeat, laudem esse materiæ non stili. Quis enim vel hunc laudare vel illum vituperare nesciat, aut quis usquam est tam hebes in reliquis, qui non hic ad utrumlibet sit disertus? Vale.

Ad Fontem Sorgiæ. XVIII Kalendas Ianuarii, diluculo.

EPISTOLA XIV.

FRANCISCUS PETRARCA CLERO ECCLESIÆ PADUANÆ S. P. D.

Ildebrandini Episcopi Paduani mortem deflet, virtutes amplissimis laudibus exornat.

Amisimus, fratres amantissimi, patrem nostrum, ducem nostrum, solamen nostrum, decus nostrum. Et vero lumen ac lucernam pedibus ac semitis nostris extinxit nobis heu nunc dominus, scintillam nostram et lucernam Israel, ut eam scilicet in cælis accenderet: Ildebrandinum Episcopum, quem nescio an terrestrem angelum an cœlestem hominem dicam. Præmisimus illum, fratres, quo nobis quoque, Christo duce, per ipsius

patris nostri vestigia veniendum est: præmisimus qui nobis præparet regni cœlestis habitaculum, et regem nostris culpis offensum precibus suis placet. Ivit ille felix, et quid dicam? Minus est omne quod cogito, quam quod illius præconio debetur. Dicam, deseruit terras? at ille nunquam hic fuerat nisi corpore, hoc est una et ultima parte sui. Dicam, destituit corpus? sed non aliter ille quam carcerem corpus incoluit. Dicam evasit e corpore? hoc forte rebus accommodatius dici videbitur, dicetur tamen improprie. Quomodo enim inde evasisse dicendus est, qui dum esset in corpore, ut ait Cicero, eminuit foras, et ea quæ extra sunt contemplans, quam maxime se a corpore semper abstraxit? Dicam, petiit cœlum? at semper in cœlo, etiam dum hic nobiscum esse videretur, sacris cogitationibus habitabat. Dicam, ivit ad sidera? verum ille in terris clarissimum sidus erat. Dicam, ivit ad Deum? sine Deo equidem nunquam fuit: quippe iusti anima sedes est Dei, et quod mirabilius sonat ex ore gentilis, *Deus ad homines venit*, inquit Seneca, *nulla sine Deo mens bona est*. Quæ si vera sunt, quando sine Deo unquam fuit ille mitissimus animarum nostrarum pater? Quid dicam ergo? Ivit ad eum procul dubio qui secum erat, et qui ubique est, ad illum ivit, corpus suum sibi despectum, et nos animo suo caros, cum quibus ad tempus exulabat corporaliter derelinquens. Et quibus verbis, sanctissime præsul, quodque nemo gravabitur, præsulum decus eximium nostri ævi, quibus verbis et felicitati tuæ gratuler et solitudinem nostram fleam? Tu, precor, stilum rebus imparem et materiæ succumbentem, nam potes, orationibus tuis iuva. Ivit igitur præsul noster

et militiæ nostræ princeps ad superos calle planissimo. Sic omnes sibi difficultates atque ardua quæque complanaverat, durumque malleo fervidæ virtutis iter straverat, ut nihil omnino quod pedem gradientis offenderet, occurrisse rear. Ivit autem summo gaudio felicium animarum, dulcisonis cantibus angelorum astra et cœlum omne mulcentibus, in sinu exceptus Abrahæ vel ipsius potius in gremio Iesu Christi; si qua spes, si qua fides vera est, episcopus noster empireum unde nunquam meditatione discesserat cœlum tenet. Hoc tantum interest quod ubi hactenus curas suas omnes habuit, ibi nunc totam habet animam, et corporis servitio ac terreno carcere liberatus, illic lætus votique compos habitat quo multa olim suspiria sancta præmiserat. Ibi est unde nulla eum vis hostilis, nullum tædii pondus, nulla senectus, nulla mors distrahat; ubi non crucient morbi, non angat inopia, non fastidia afficiant, non torqueant curæ, non bella perterreant; ubi non ira animum accendat, non odia inflamment, non luxus inquinet, non gula solicitet; ubi non tristis rodat livor, prosperitas vana permulceat, pungat adversitas, lætitia effundat, inflet elatio, spes attollat, deiiciat metus, dolor contrahat, conficiat mœror, desperatio præcipitet. Quibus malis quamquam hic etiam esset immunis cœlestem prorsus in terris vitam agens, tamen propter humanas miserias, inter quas necessario versabatur, anima illa sanctissima non moveri non poterat interdum, optimeque valens in se ipsa, nonnunquam alienis ægrotare cogebatur morbis, compati, mederi, consulere, succurrere, laborare. Nunc tandem plene felix ibi est ubi nec suis nec alienis torquetur angoribus, quin etiam

sua ingens crescit ex aliena felicitate felicitas. Unum est, ut arbitror, quod in tantis gaudiis doleat amantissimus parens, quod ecclesiam viduam et nos abiens liquit acephalos. Quis mihi deinceps scripturarum nodos fando dissolvet, quis arcana reserabit, quis explicabit enigmata, quis tenebras illustrabit, quis præterea formabit mores extirpabitque vitia, virtutes inseret, quis eriget lapsos, trepidos firmabit, stantes hortabitur, quis humiles attollet, comprimet superbos, terrebit audaces, confundet infames, nudabit hypocritas, celebrabit dignis laudibus honestos, quis *præmiabit* (*sic*) emeritos, puniet sontes, conteret sceleratos, quis catholicos solidabit, errantes diriget, sternet hæreticos, arcebit ab ovilibus Christi fures? Postremo quis orphanos viduasque tuebitur, quis pascet esurientes, quis vestiet nudos, quis solabitur afflictos, quis visitabit infirmos, quis humabit extinctos, quis pauperum publicus pater erit? Omnia hæc bona cum illo pariter, dilectissimi fratres, amisimus, sive potius, ut dixi, de loco ad locum commutavimus. Habebamus in terris præceptorem, habemus in cœlis intercessorem apud Christum, cui valde placere studuit ille dum vixit, et quem, ut spero, nihil frustra precabitur. Quid autem prius precari illum credimus, quam quod quisque mediocriter bonus pastor optaret, ut scilicet gregem suum luporum ac furum concursibus et morbis omnibus expeditum videat in domo Domini quo ipse vocatus iam præcessit? Quid vero aliud a Domino poscat in cœlis, quam quod a vicario eius poscebat in terris, qui paucis ante obitum diebus, cum se iam fini proximum videret, ad romanæ sedis antistitem, et quosdam de collegio, plusquam humanæ cha-

ritatis ac diligentiæ litteras destinavit, in quibus, quod sine lacrimis meminisse nequeo, suppliciter precabatur ut sibi successorem idoneum dare vellent, et velut in extremis agens pater anxius fido amico nubilis natæ curam, sic illorum fidei viduam commendabat ecclesiam? O beatissimam sanctissimamque animam, o vere virum perfectum, o vere solicitum, o superintendentem episcopum ac pastorem! Quando alii aut medicos quærunt aut hariolos interpellant, aut operosa conficiunt, aut variant testamenta, aut nihil agentes taciti ingemiscunt, aut toro volvuntur flentes ac queruli, aut attoniti et immobiles mortis vicinitate torpescunt, iste non suum, sed ecclesiæ suæ statum miseratus de futuro pontifice cogitabat, nec censebat dilectissimam sponsam suam, cum qua tam concorditer septem lustra transegerat, vel in transitu deserendam. Quis hanc fidem non laudet, quis hunc animum non optet; quis hanc morientis constantiam non miretur? Iulii Cæsaris inter multa illud romanæ mirantur historiæ quod moriens, ne inferiores partes corporis nudaret atque ut honestior casus esset, togæ gremium ad ima demiserit. Laudatur in extremis quoque curam decoris habuisse Pompeius; apud Græcos Olympias regia Alexandri mater dum occideretur, similiter togæ sinum demisisse narratur; minus mirabilis in muliere verecundia, mirabiliorque constantia. Epaminondas vero Thebanus, vir inter Graios laudatissimus, dum ex acceptis in prælio vulneribus moreretur, percontatus an clypeo suo potiretur hostis, ubi salvum audivit, afferri illum iussisse dicitur, quem martia quadam cum voluptate complexus, velut testem bellicæ suæ laudis, deosculansque cum

lacrimis lætus obiit. Quanto melius noster episcopus qui moriens non togam aut clypeum, sed animam suam et ecclesiam cogitabat, simillimusque Martino, nec mori timebat nec pro populi salute longioris vitæ labores ac tædia recusasset. Cuius rei cura divinæ providentiæ commissa ipse interim quod in se erat et Deum orabat et quos hic poterat homines precabatur, ut sponsæ suæ viduitati ac solitudini providerent. De successore quidem cogitasse quosdam legimus; imo vero quis est qui de successore non cogitet? sed ad movendum animos illustriora perstringimus. David Rex aliquandiu anxius tandem certo et discusso iudicio filium ex se genitum regni fecit hæredèm sapientissimum, ut fama loquitur, virum. Duos ex ordine filios imperii successores habuit divus Vespasianus Romanus Imperator, alterum virorum optimum, pessimum vero alterum, quod ipse et præsensisse et publice prædixisse traditur, quorum successor Nerva facere idem non potuit prole carens. Adoptavit autem virum fortem ac strenuum et reipublicæ utilem Traianum, isque alium sibi, et ille rursus alium adoptavit, diuque in imperio romano is adoptivæ successionis ordo permansit, quo multo ante primum imperatores usi erant ut Iulius Cæsar cui assumptus in filium successit Augustus, et ipse etiam Augustus Cæsar qui Tiberium privignum suum suorum cogente penuria sibi filium et successorem imperii delegit. Quamvis non sim nescius incidisse eum in suspicionem, quasi volens sciensque talem elegisset, quo scilicet ipse post mortem reipublicæ carior atque optabilior foret. Non satis dignum tanto principe consilium, si tamen vera res est; nam nec verisimilis est quidem, et ab hac eum

suspicione liberant non ignobiles historici. Cæterum dubium non est multo ardentius desiderari solere defunctorum virtutem per ignaviam successorum; quo enim magis horum vita deprimitur eo altius illorum laus attollitur. Iure ergo laudandus Philopœmenes dux Achæus qui ab hostibus suis captus, cum veneno necaretur iam mortiferum poculum in manu habens interrogavit an Licortas, qui tunc alter Achæorum prætor erat, viveret, vir post eum in Achaia fortissimus; quem ut vivere audivit, « *bene est* inquit: *bonum, patria, ducem habes:* » atque ita contentus et intrepidus expiravit. Profecto autem præsul noster, ut ad rem redeam, quod nec natura nec adoptione permittitur, successorem sibi precibus facit, non suæ quidem gloriæ sed suæ ecclesiæ studiosus. Nec ulla mihi dubitatio est quin, si in manu sua positum sit, non aliquem cuius inertia laudibus suis adiiciat, sed successorem sibi redivivum vellet Ambrosium aut ipsum certe Prosdocimum, cuius fundatam erectamque doctrinis ecclesiam illam novit ab ipsis fidei nostræ primordiis floruisse. Nunc quia ut credimus inclinata iam sæculi dies est, ex iis quos potest serotinis operariis vineæ Sabaoth optimum quemque mavult, et a Christo post quæsitam immortalitatem primum hoc munus exposcit, talem sibi successorem dari, qui claris operibus et vitæ luce famam eius obscuret potius quam illustret, quod frustra optare illum arbitror. Mittat enim Zenonem suum Verona, Geminianum Mutina, Ravenna Severinum, Paulinum Nola, Capua Germanum, Aquitania Prosperum: donet Africa Ciprianum, Hispalis Isidorum. Elige tibi Padua ex hoc sacro numero quem voles episcopum, erit ille

sole lucidior, nunquam tamen ideo Ildebrandini tui, quem ut Mediolano olim Ambrosium, sic tibi nuper episcopum Roma transmisit, clarum nomen obscurabitur; nunquam fama morietur, quam in cœlo vivens ille vivam liquit in terris; et licet ipse bonis nunc ineffabilibus abundans popularis auræ favorem plausumque non cupiat, quem adhuc in carne positus alto animo despexit, carere tamen eo, etsi valde velit, nequeat. Hæc gloriæ natura est; fugientes cousequitur, celebrat vel invitos, et sæpe nimium sui cupidos fugitiva destituit. Quomodo autem rivus aresceret perenni fonte descendens, aut quomodo solis radio percussi densi corporis umbra deficeret? Equidem unde fama hominis originem ducit, et cuius umbra est, virtus ipsa non moritur. Facio ego fratres in his litteris, quod divini sermonis auctoritas iubet; non laudo hominem in vita sua, sed ut ait Ambrosius, laudo post periculum, prædico securum, laudo felicem mundi nautam, sed in portu cœli ancoras habentem: laudo ducem in terrestri prælio gloriosum, sed in cœlesti palatio et in arcu æthereo triumphantem; non quod me multum urgeat illa ratio, ne laudatum tentet elatio, cui nunquam ad illius pectus notissimam humilitatis arcem aditus fuit: seu ne noceat adulatio laudanti, qui parum certe, qui tepide de illius laude loqui timeo, quia viri optimi sanctitatem peccatoris hominis verba non æquant. Verum autem loqui spero: hoc scio, quod non mentior. Quid enim adulari cogitem sepulto quod viventi noluissem, aut quomodo audeam coram omnia vidente mentiri, quod coram eodem dum adhuc intra corporeum ergastulum inclusus forte humanitus falli posset, ausus non fuissem? Testor

enim Deum: non aliter illi viro loqui solitus eram quam si loquentis ut faciem sic et mentem cerneret, quamvis ille me complexus familiaritate mitissima, multum mihi semper securitatis ingesserit. Sed nescio quid in illo homine divinum erat, quod cum maxime ille sese mihi facilem ac morigerum præstaret, tamen me magis magisque venerabundum et attonitum habebat. Solebat ille nomen meum sæpe dum adessem, sæpius dum abessem, veris utinam laudibus ornare: unde mihi et gaudium et stimulus non parvus ad gloriam, sed multo maior erat admiratio quo pacto cœcus, ut aiunt, amor talis etiam tantique viri iudicium obliquasset. Fuit ille mihi dum licuit indulgentissimus pater, et profundius, quam quisquam opinari posset, in eius arcanum velut in Sancta Sanctorum introieram, unde perpetuo et ipse mihi sum carior, et de illo securius loquor. Amavit ille me vivens ut qui in spiritu videret mei pectoris ardorem, nec puto propositum eius erga suos morte tepuerit. Nunquam mihi tanta de illius ope fuit spes, quanta hodie est, quando non minus illum velle, sed plus posse confido. Et quia virorum illustrium vel sola recordatio dulcis est, insistam in hoc sermone diutius. Amari ab illo cœperam aliquot ante annos, cum in quibusdam opusculis suis consulere dignatus ingenium meum, invenisset interdum forte aliquid quod probaret, non quod tantus artifex tali operario egeret; sed delectabat eum colloqui, et maiorum ingenia, ut mos est, longe aliis curis occupabantur. Novissime vero ad ecclesiam venientem suscepit me paterne ille homo Dei, quod de Ambrosio suo ait Augustinus, et peregrinationem meam satis episcopaliter dilexit. Deni-

que Ambrosius meus fuit, erexitque et firmavit animum non magis oratione quam vita; cæterum serior fuit adventus ipse, quam vellem. Habuissem spatii plus ad fructum conversationis angelicæ, a qua nemo unquam nisi sese melior factus abscessit, qua me quoque dum poteram non cupidius usum pudet ac pœnitet. Sed longioris vitæ spes fefellit; non respexi ad ætatem iam valde declinem, sed ad sobrietatem moresque hominis, et purum ac solidum senis corpus; acciditque mihi de illo quod multis fereque omnibus accidit; quidquid delectat sibi longævum spondent. Quod ipse quasi præsagiret me itineri accinctum et, quod minime suspicabar, verendam illam sacri oris effigiem in terris amplius non visurum, quantis quibusque consiliis retrahere nisus sit, mœstus modo mecum repeto. Pro quibus omnibus quid sibi retribuam non habeo, nisi memoriam et amorem et fiduciam, qua illum ut pro me oret precor, quoniam pro sanctissimo viro peccatorem hominem orare non modo supervacuum sed temerarium videtur. At me privatus dolor meus propositi oblitum cum a publico dolore distraxerit ad vos, in Christo carissimi fratres mei, redeo. Quid vero nunc dicam? nescio ab illius viri commemoratione discedere; quo magis de illo cogito magis ardeo, quo plus loquor plura loqui cupio, quo longius eo longiorem fandi materiam video, et minus exitum invenio; sed epistola finem poscit. Non audeo quidem hortari, imo vero nec permittere ut talis viri exitum ploretis, ne iuxta sententiam Ciceronis invidiæ potius quam amicitiæ videatur complorare felicem. Quis enim nisi invidus amicum lugeat, de carne ad spiritum, de terris ad cœlum, de laboribus ad

quietem, de morte ad vitam, de temporalibus ærumnis ad æternam beatitudinem transivisse? Rursum nec vetare audeo quominus damnum ecclesiæ tantum et tam irreparabile doleatis. Illud in quo errare non possum hortor atque obsecro ut Patris nostri memoriam habentes nec vestigia deserentes Religionem colere, cæremonias ab eo traditas observare, ab eodem cœpta peragere, peracta custodire nitamini; utque etiam omni tempore, sed nunc præsertim dum vacat Ecclesia, instantior ac devotior oratio nostra sit ad Deum, ut ipse nobis pastores semper Ildebrandino similes largiatur. Sic enim habetote, illum in medio nostri Angelum Dei potius fuisse quam hominem. Tu vero nobilis Padua, felix terræ situ cœlique clementia, proxima pelago fluminibusque circumflua, dives agro ubere, accolarum ingenio insignis, et vetusti nominis claritate percelebris, semper inter pontifices tuos et gloriosa confessorum tuorum nomina, si quid mihi credis, Ildebrandinum non ultimum numerabis.



FRANCISCI PETRARCÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS

LIBER SEXTUSDECIMUS.

EPISTOLA I.

FRANCISCUS PETRARCA TALARANDO EP. ALBANO ET GUIDONI EP. PORTUENSI CARDINALIBUS S. P. D.

Avenione se missum fieri petit, ut ad fontem Sorgiæ rebus suis consulat ob mortem villici sui omni custodia destitutis.

Si ille Carthaginensium primus terror Marcus Attilius Regulus magnum et anceps in Africa reipublicæ negocium gerens causam a senatu petendæ missionis illam non erubuit litteris inserere, quod villicus suus qui pauca sibi suburbani agri iugera coluerat decessisset; quid erubescam ego privati modicum, publici negocii nihil agens, a vobis, geminum decus ecclesiæ, missionem flagitare eamdem ob causam, quod villicus quoque meus vobis non ignotus, qui mihi pauca itidem sicci ruris iugera colebat, hesterno die obiit? Neque enim vereor, ne quis vestrum nunc mihi respondeat quod tunc senatus Attilio, iubeatque cœptis insistere, et in se curam deserti ruris excipiat. Illius enim ager Romæ erat: meus ad fontem Sorgiæ non nisi tenui vobis cognitus fama locus. Accedit quod maior quædam mihi sollicitudinis causa est: neque enim, ut ille, incul-

tæ tantum telluri prospicio, sed sicut alter Africæ malleus Gneus Scipio ex Hispaniis ubi felicissime rem gerebat missionem poposcit, quod deesse diceret filiæ suæ dotem, sic ego ut duorum illustrissimorum ducum coeant in me unum causæ, bibliothecæ meæ, quam mihi in filiam adoptavi, sentio deesse custodem. Fuit enim villicus meus agrestis homo, sed plus quam civili providentia et urbanitate conditus: puto nullum illo fidelius animal terra protulit. Quid multa? omnium iniquitatem perfidiam que servorum, de qua non solum quotidie verbo queror, sed scripto quandoque etiam questus sum, ille unus fide æquabat ac temperabat eximia. Itaque totum me illi et res meas librosque omnes quos in Galliis habeo commiseram, cumque omnis generis voluminum multa varietas, et quædam ibi minutissima maximis intermixta essent, atque ego diu absens quandoque post terminum rediissem, nihil unquam non modo amotum, sed ne loco quidem motum reperi. Erat ille sine litteris amantissimus litterarum, et libros quos mihi noverat cariores, exactiori custodia conservabat: iamque longo usu eo pervenerat, ut et nomine nosset opera veterum, et mea simul internosset opuscula. Totus hilarescebat quotiens sibi, ut fit, librum aliquem in manibus posuissem, stringensque ad pectus suspirabat; nonnunquam submissa voce ipsius libri compellabat auctorem, et, mirum dictu! solo librorum tactu vel aspectu fieri sibi doctior atque felicior videbatur. Hic igitur talis rerum mearum custos, quocum tribus iam lustris curas partiri solitus, nec secus eo quam ut dici solet Cereris sacerdote, nec aliter domo eius quam templo fidei usus eram, et quem pridie imperantibus

quidem vobis inde digressus leviter ægrotantem dimisisse rebar, iam senior, sed, ut Maro ait, cruda et viridi senectute, heri ad vesperam me dimisit ad melioris domini translatus obsequia. Ille sibi post tot corporeos labores unam animi requiem largiatur. Unam enim petiit a Domino, hanc requirit, hanc sibi, Christe, ne neges, ut inhabitet, non in domo mea sed in domo Domini omnibus diebus vitæ suæ, quæ iam desiit esse mortalis, ut videat non meam sed Domini voluptatem, et visitet templum eius, non agrum meum, in quo multos per annos gelu et æstu duratum corpus exercuit. Sub me fessus, sub te oro quiescat: ad te venit, te iubente, veteri laxatus ergastulo. Unus quidem e pueris meis qui forte obeuntem illum viderat, cursu concito mœstum pertulit rumorem, et ad me sera iam nocte pervenit nuntians illum expirasse sæpe me nomine vocantem, Christique nomen cum lacrimis invocantem. Indolui, gravius doliturus, nisi quia per ætatem hominis hunc mihi casum instare multo ante prævideram. Ire igitur oportet: date veniam, quæso, gloriosissimi Patres, supplicemque vestrum missum facite, urbi supervacuum, necessarium ruri, ibique magis bibliothecæ solicitum, quam agelli. Opto vobis tranquillam ac felicem vitam.

Avinione, Nonis Ianuarii.

EPISTOLA II.

FRANCISCUS PETRARCA GERARDO FRATRI S. P. D.

Refert quæ de virtute eius a duobus Carthusianis monachis audiverit.

Cœnabam forte apud sanctissimum atque optimum virum Ildebrandinum Patavinæ præsulem Ecclesiæ, qui tunc civitatem illam multiplicibus virtutum radiis illustrabat, nunc novum cœlo sidus accessit, dum ecce duos tui ordinis priores casus attulit, alterum Italicum, Transalpinum alterum: hic Casularum domus moderator erat, quæ Albingaunis litoribus impendet, ille Vallis Bonæ, quæ dextræ Rhodani ripæ proxima est. Cum ergo eos episcopus suo more talium hospitum lætatus adventu comiter excepisset, tractoque ad vesperam sermone multa percunctaretur, atque in primis quæ illos causa Patavium adduxisset, responderunt se missos ab ordine ut in territorio Tarvisino cœnobium Carthusiense construerent, favente in primis episcopo atque aliis quibusdam civibus, loci illius bonis ac devotis viris. Quod opus qualiter hactenus successerit successurumve sit nescio. Cœterum cum vir ille, cuius ut vita exemplaris, sic et doctrina et oratio sancta fuit, verbum e verbo eliciens, et inter alia tui quoque mentionem faciens, quam sorte ac vocatione tua contentus ageres quæsivisset, illi certatim materiam aggressi de te magnificos rumores retulerunt, nominatim unum : cum pestis hæc, quæ omnes terras ac maria pervagata est, ad vos ex ordine

venisset, et castra in quibus Christo militas invasisset, priorque tuus, vir alioquin ut ipse novi sancti ardentisque propositi, tamen inopino malo territus hortaretur fugam, te illi christiane simul ac philosophice respondisse: placere consilium, modo inaccessibilis morti locus aliquis usquam esset. Et cum ille nihilominus abeundum diceret, respondisse acrius: iret quo se dignum crederet: te in custodia tibi a Christo credita permansurum. Cumque iterum et iterum instaret, et inter terrores alios sepulchrum quoque tibi defuturum minaretur, dixisse te illam tibi ex omnibus ultimam curam esse: neque enim tua interesse sed superstitum quali iaceas sepultura. Illum postremo cessisse ad penates patrios, nec ita multo post morte illuc eum insequente subtractum, te vero incolumem, eo apud quem est fons vitæ protegente, mansisse: et cum diebus paucis, mors quatuor et triginta qui illic erant abstulisset, solum in monasterio resedisse. Illud addebant te nullo morbi contagio deterritum adstitisse fratribus tuis expirantibus, et suprema verba atque oscula excipientem et gelida corpora lavantem, sæpe uno die tres pluresve tuis manibus indefesso pietatis obsequio sepelisse et exportasse tuis humeris, cum iam qui foderet aut qui iuxta morientibus exhiberet nemo esset. Solum te ad ultimum cum cane unico remansisse totis noctibus vigilantem, modica lucis parte necessariæ quieti data: cum interim prædones nocturni, quorum feracissima est regio, sæpe per intempestæ noctis silentia locum invadentes a te, immo a Christo qui tecum erat, nunc pacificis nunc acrioribus verbis exclusi, nihil damni sacris ædibus inferre potuerint. Cum vero transisset

æstas illa terribilis, misisse te ad proxima servorum Christi loca ut aliquis tibi loci tui custos mitteretur; quo facto ivisse Carthusiam, et ab illo religionis nunc cultore unico in terris, priore loci, inter tres et octoginta priores alienigenas, te non priorem singulari et insolito honore susceptum obtinuisse, ut tibi prior ac monachi darentur, quos e diversis conventibus elegisses, quibus desertum morte tuorum monasterium reformares, teque hoc velut eximio triumpho lætissimum rediisse: ita tua cura, tua sapientia, tua fide Montis Rivi venerandum olim postea desertum cœnobium instauratum, interque difficultates istas atque alias multas tibi et robur corporis solidum et valetudinem optimam constare, et quale religiosum decet formæ decus. Quæ res me in stuporem ageret nisi scirem, ut ait quidam, viros sanctos virtutes etiam ædificasse (*sic*) corporeas: bona equidem valetudo animi sæpe valetudinem corporis viresque membrorum ac vultus speciem tuetur. Cæterum hæc illis et alia de te multa narrantibus cum episcopus lætis lacrimis madens me aspiceret, et ego nescio an siccis oculis sed certe sicco corde non essem, illi subito in me versi seu divino monitu, seu quodam mentis augurio in vultu meo te cernentes pio me gemitu ac gaudio complexi: O felix, inquiunt, fratris pietate. Multa deinceps alia dixerunt quæ tacendo melius expresserim. Tu vale; et propter quod hæc omnia scripta sunt, fac obsecro, mi frater, ut qualem cœpisti, talem te præstes in finem.

EPISTOLA III.

FRANCISCUS PETRARCA SOCRATI SUO S. P. D.

Sua se sorte contentum nil amplius quærere, nil concupiscere, et ab amicis enixe petere ne de fortuna eius velint se præbere solicitos.

Multa tibi dicere habui hodie quæ sciens prætereo; dicentur enim coram liberius atque facilius. Lingua in solitudine diu tacita et immota hunc fatigatis laborem digitis eximet. Unum differri noluit, quod non tibi, sed amico communi dictum sit, qui suo et publico more nunc me suis, nunc alienis litteris excitat, et ad cupiditates gelidum inflammare velle non desinit, atque, ut ait Horatius, amando perdere properat. Commune malum amicitiæ vulgaris: quam ob causam, etsi apud me amici illius charitas tota sit, certe existimatio imminuta est, et ut de Cicerone suo loquitur Brutus: *de amore suo nihil est remissum, de iudicio largiter*. Equidem ego ut hominem multa mihi probatum fide ac veteri amicitia coniunctum non amare nequeo, sic animum terræ affixum degeneresque sententias non odisse non possum. Scitote igitur tu, ipse, mei omnes ubicumque sunt quibus segnior appareo, imposuisse me votis modum, deque omni quod in hac vita iam evenire posse videatur modicum curare: cupere autem nihil. Satis enim habeo ad victum quo vir honestus cum fortuna fœdus ineat et contentus agat. Minus habuit Quintius, minus Curius, minus Fabritius, minus Attilius, qui vicerunt reges ac populos, quique triumphus clarior fuit,

se ipsos et rebellantis motus animi vicerunt. Sed quidquid fiat, nunquam tantum habere continget quin multis et mihi ipsi, si avaritiæ credidero, pauperrimus ac mendicus videar. Luxuria et avaritia et ambitio nullis finibus sunt contentæ, falsis vero opinionibus omnia plena sunt, quibus nisi resistitur, urgent usque ad extremam miseriarum. His obstare difficile, obsecundare pestiferum: quibus qui se ferendum dedit ubi voluerit non subsistet. Habeo unde vivam, quod vulgariter dici solet, et, quo melius carerem, habeo unde lasciviam. Quid me optare iubetis amplius? Quid sperare habeo, ubi possim si oporteat in proprio sepeliri? Ita dico, si quid proprium hic habemus: habeo ubi breve tempus, ubi longum habitem, quid edam, quid bibam, quid calciem, quid vestiam, qui mihi serviat, qui me societ, qui me vehat, quo tegar, ubi iaceam, ubi spatier, quo delecter. Quid imperator plus romanus habet? Est præterea corpus sanum multo mihi labore perdomitum, iamque non ita contumax animi mancipium, ùt solebat. Accedunt omnis generis libelli divitiarum mearum portio non ultima. Accedit hoc quantuluncumque est ingenium, hic amor litterarum mira cum voluptate animum pascens, et sine fastidio exercens. Acceditis vos, amici, quos inter prima mea bona connumero, modo libertas, sine qua vivere diu nolim, vestris consiliis non pereat. Accedit bonum grande securitas; nullum enim toto orbe quem noverim hostem habeo, nisi quos mihi fecit invidia, quos et iure despicio, et quibus carere velle non sit fortasse consilium. Accedit amor publicus bonorum omnium nostri orbis, eorum quoque quibus nec visus forte nec videndus

sum, mihi quidem, favore fateor superno non meo merito quæsitus. Parvæ vobis hæ divitiæ videntur? vultis ut fœnerer, vultis ut navigem, vultis ut in foro clamem venalemque animam et linguam habeam? An quid me agere aliud vultis ut diter? Laudatis in egestate vivere ut in divitiis moriar. Suadetis ut ambiendo congregem, quod sedendo alius spargat; cum dolore quæram de quo nescio quis gaudebit: cum labore inveniam quod cum mœrore dimittam, cum anxietate custodiam. Credite mihi: soliciti durum negotium assumpsistis: avaritiam implere. Insatiabilis est et inexplebilis: omnia sitit, omnia devorat, fundo caret; externis pœnis humana cupiditas non eget: sibi ipsa supplicium est; si quidem cœpta defecerint, mœsta est: si succedere cœperint, inardescit, si plene successerint, tum demum trepida, tum vere inops et misera est. Sed omittamus hanc philosophiam odiosam omnibus, veram certe. Ad communia revertamur. Si divitibus pauper, mihi dives videor, quid consulitis? æstuabo donec illis etiam videar dives? Nullus erit finis: non si terras ac maria possedero; dum restabit aliquid ad concupiscendum, nihil avaritiæ satis erit. Sinite, quæso, ut meo iudicio sim dives; mea res agitur; quid hic alieno iudicio opus est? quis liber alieno gustu vescitur? Tenete vestras opiniones, meas mihi relinquite: oro vos: frustra convellitis: in saxo durissimo radicatæ sunt. Illud sane, quod in litteris tuis extremum erat, unde mihi novam spem conflare vult amicus noster, profecto ut ut verum sit quod ipse ait, de quo usque adeo non sum certus, quid tamen inde conficitur? Esto equidem: Romanus hic novus pontifex bonos amet. Quid ad me?

certe si non amat alios, paucos amat, quorum ex numero non sum, et mallem esse quam pontifex. Vale.

Ad fontem Sorgiæ, V Kalendas Aprilis.

EPISTOLA IV.

FRANCISCUS PETRARCA AD IGNOTUM.

Vere indignos homines esse quibus tot tantaque beneficia contulerit Deus quot Christi nos docet religio: non inde tamen in dubium factorum veritatem esse revocandam, nec deficiendum in fide.

Mitto alia de quibus colloqui dabitur, ut spero. Unum periculi maioris et quod moram respuit, scribam. Suspiciones tuas de summa salutis ægre fero, quod sæpe tibi præsens dixi; sed ut video non tam sæpe quam debui, et quantum duro pectori necessarium erat ut frangeretur. Quid vero nunc aliud rear inter ambages rerum et fallacias diaboli animum cogitantis involvere, nisi id quod negari non potest, non esse dignum genus humanum cui hæc cœlitus fierent, quæ facta credidimus, eo quod hic fur, ille periurus, ille sit adulter, et talibus plena sit omnis terra, quales induxisse legimus Creatorem ut diceret: *pœnitet me fecisse hominem?* Quomodo ergo talia tantus tam indignis? Hæc forte nunc tecum dicis. Animadvertere autem oportet non hæc ad incredulitatem, sed ad humilitatem et gratitudinem debere conferre. Pauci beneficiis Dei digni, fateor, immo nullus omnino, nisi quem ille dignum fecerit. Tanto maior illa benignitas et liberalitas clarior

insigniorque clementia. Illud forte etiam tuas suspiciones exaggerat quod ante Christi adventum tot vel ingenio vel moralibus virtutibus excellentes viros fuisse nemo dubitat; nobis autem hodie funditus virtutes et ingenium deesse. Utinam minus evidens id foret: nutat hinc animus : et quod cur fieret non videt, factum esse non credit. Sed et hoc eodem spectat, et tale est, quod devotionem augere atque dilectionem, non incredulitatem parere debuisset, ut quo indigniores nos agnoscimus eo maiorem illius erga nos munificentiam agnoscamus et miremur, sed non usque adeo miremur ut negemus. Quis enim nisi pessimus a domino suo valde sine meritis honestatus, aut domino rebellat, aut accepti beneficii obliviscitur, et non potius dicit, gratis me amasti, indignum melioribus prætulisti: habeo gratiam: agnosco pium dominum, agnosco fortunam optimam quam tu mihi fecisti; virtuosorum præmia sine virtute percipio; felix ultro factus sum; hoc ipsum non meo labore, sed tua benevolentia quæsitum non mihi, non alteri, sed tibi uni debeo? Quid autem in omni doctrina, quæ de Christo traditur ab iis qui veritatem ipsam, qui Christus est, diligunt, quid inquam vel impossibile Deo est, vel nobis incredibile, nisi quod tanta Dei humilitas tanta misericordia et erga hominem pietas ostenditur, ut eam vix capere possit mens humana, et per omnia verum est quod ait Augustinus in Psalmo CXLVII, *quoniam etsi certa sunt, quæ multum læta sunt, vix creduntur?* Habes ergo mortalis homuncio unde incredulitate deposita gratiarum suscipias actionem : felicior factus es quam credere potuisses : crede quod factum est. Ipsa Dei sapientia, unicus consubstantialis et coæ-

ternus Patri Filius, ad te liberandum venit. Poterat et de maiestatis suæ solio iubere et necesse erat parere in cœlo et in terra: efficacius agere voluit et humilius: *totum hominem suscipere dignatus est*, ut ait Augustinus, et *verbum caro factum est et habitavit in nobis*, et sequitur ratio: *ita enim*, inquit, *demonstravit carnalibus et non valentibus intueri mente veritatem, corporeisque sensibus deditis quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, quod non solum visibiliter, nam id poterat et in aliquo æthereo corpore ad nostri aspectus tollerantiam temperato, sed etiam hominibus in vero homine apparuit:* cuius quoque dicti ratio subsequitur: *ipsa enim*, ait, *natura suscipienda erat, quæ liberanda.* Hactenus Augustinus. Sic ergo, amice, cum te periclitantem Deus cerneret, perire non est passus, cumque prostratum verbo posset, manu maluit attollere, et, qui ardenter, amantium mos, sese in terram inclinavit ubi tu iacebas, atque ulnis amplexus sustulit, et quo gravissime premebaris, pondus subiit transtulitque in se peccatum tuum. Impletum est illud Davidicum: *quantum distat ortus ab occidente longe fecit a nobis iniquitates nostras.* Poterat, ut dixi, verbo facere; sanguine suo fecit, et ut ait quidam: *hoc tecum percussum est sanguine fœdus.* Noli tu illud frangere: ipse enim servantissimus promissorum est. Potuisse illum te liberare certus es; voluisse quid dubitas? quid credere hæsitas quod et necessarium tibi est et facile largienti et sua dignissimum maiestate? Quid times, quod valde desideras in animum admittere? nisi quia, ut dixi, et magnum gaudium mens angusta non recipit, et te tanto munere sentis indignum?

Gaude iam toto animo, habes unde: tantaque gaudendi materia est ut eam vix apprehendas. Hinc nempe magis consolari, non minus credere convenit. Tu indignus, ille benignus: tu peccator, ille misericors: agnosce beneficium, amplectere gratiam: pelle suspiciones. Longo sine fine supplicio dignus eras; gloria tibi, nisi renuis, æterna proponitur: severum iudicem metuebas; pium patrem invenisti. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se*, non quia id nostra peccata mererentur: sed quia ipse cognovit figmentum nostrum et recordatus est quoniam pulvis sumus. Non ergo tam peccatis nostris irascitur, quam fragilitati compatitur et indigentibus opem fert. Tanta res est, ut non facile credenda videatur, pro malo bonum, pro offensa gratiam referri, ab eo præsertim quem offendisse tam indignum sit, et qui se tam facile possit ulcisci; credenda tamen haud dubie est, et agnoscenda misericordia Redemptoris, quoniam, ut in eo libro, quem profundissime de vera religione fundatum edidit, Pater ait Augustinus: *non iam illa hominis sacrosancta susceptio et Virginis partus et mors Filii Dei pro nobis et resurrectio a mortuis et in cœlum ascensio et consessus ad dexteram Patris et peccatorum abolitio et judicii dies et corporum resuscitatio, cognita æternitate Trinitatis et mutabilitate creaturæ creduntur tantum, et non etiam indicantur ad summi Dei misericordiam, quam generi humano exhibet, pertinere.* Pro quibus omnibus, amice, admiratio nobis ingens fateor stuporque salubris, et pavor devotus amplectendus atque tenendus est. Quoniam *vere mirabilis in altis Dominus, vere magnus et terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt:* vere

terribilis in consiliis super filios hominum: idem tamen *suavis et mitis et multæ misericordiæ omnibus invocantibus eum:* idem *miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors ac patiens et multæ misericordiæ et verax;* idem *dulcis et rectus Dominus, et qui legem dat delinquentibus in via,* hanc legem scilicet ut ad eum redeant et salventur. Quid multa? profecto ut nemo terribilior, sic nemo misericordior, nemo tranquillior: multos laborare cogit ne lasciviant, periclitari aliquos sinit ut corrigat, neminem vult perire, atque omnia facit ne pereamus. Itaque pellenda procul desperatio, abiicienda durities, exuenda impietas, incredulitas relinquenda. Quod enim nemo sanus ignorat, nihil impossibile, imo nec difficile aliquid est Deo: quodque nemo pius diffidit, nil illi arduum videtur quod ad salutem suæ pertineat creaturæ. Perversi ingenii est suspicari aliud, et misereri ac peccata diluere vel nolle Deum vel non posse; hinc enim non de fonte alio desperatio nasci solet, quorum altero bonus, altero negatur omnipotens: utraque blasphemia est in Spiritum Sanctum, quæ neque in hoc, neque in futuro sæculo dimittitur, dum summe potenti summeque bono vel impotentia ulla vel invidia nostræ salutis obiicitur. In quod malum incidisse creditur Cain, ubi ait: *maior est iniquitas mea quam ut veniam merear,* neque enim maior esse poterat creaturæ miseria quam misericordia Creatoris. In hoc ipsum Iudas infelix incidit, quando proiectis argenteis in templo, abiens laqueo se suspendit, qui etsi multo amplius peccasset quam Cain, desperatio tamen illi etiam sola obstitit, ne misericordiam inveniret; quam si a Christo petiisset invenisset,

ut Ambrosio placet; nunc neque misericordiam petit, et apud illos se peccasse confessus est, qui de peccato eius gaudebant, de supplicio non curabant. Postremo magis, ut Hieronymo videtur, desperatione Christum læsit quam proditione. Memorandum valde. Quid ergo potest Deus? omne quod vult: vult autem omne quod nobis salutiferum novit. Hoc firma fide constantique fiducia tenendnm est. Cessent inanes et pavidæ coniecturæ, et religiosæ aures susurris dæmonum obstruantur. Magnum fuerit propter nos Deum suo quodam mirabili amore nasci: maius inter necessitates miseriasque nostras vivere: maximum plusquam nostro communi, suo quodam ad nos misericordi, in se autem miserabili more mori. Mira hæc et ineffabilia quædam divini amoris signa quis neget? Sed an ideo nos ingratos faciet beneficii magnitudo? Absit a mentibus piis hic furor. Sentiamus nos beneficiis tantis indignos, et nos ad persolvendas meritas grates verbo etiam longe impares agnoscamus, victam fragilitatem nostram immensa Dei clementia fateamur, animo tamen quantum possumus gratissimi et obsequentes et creduli et fideles, neque quia res magna, nos indigni, ideo nobis illum consulere nequivisse vel noluisse propter inaccessibilem suæ potentiæ ac pietatis excellentiam desperemus. Vale.

Quarto Kalendas Aprilis.

EPISTOLA V.

FRANCISCUS PETRARCA AD IGNOTUM.

Gratulatur de valetudine recuperata: nosque vivendo mori, et moriendo mortis finem oppetere demonstrat.

A limine mortis te reversum audio, ad quod tamen (dictu mirum) redeundo festinas, melius dicerem festinamus omnes quicumque vitæ huius iter ingressi sumus: festinamus inquam, nusquam subsistimus, et dum quiescere videmur, currimus: minus dixi: non currimus, sed volamus. Itaque iam procul abesse non possumus. Sed bono simus animo et eamus intrepide incunctanter; non mortis illud forte, sed vitæ limen æternæ est, nostris licet criminibus obstructum, Christi tamen sanguine patefactum apertumque vulneribus. Oh! si in illam requiem ingredi contingat immeritos, oh! si in pace in idipsum dormiamus, et qui diu multumque laboravimus, quiescamus tandem in illo, qui singulariter nos constituit in spe, quæ ipso donante falsa non fuerit. Ego quidem bonam tibi valetudinem restitutam gaudeo, nec adhuc nos in hoc vitæ exilio separari cupio, quamvis ubicumque distrahimur, eodem æterni Ducis auspicio veniendum sit. Cæterum, ut est animus hominum fortunæ multum amicior quam naturæ, gratulor me non prius in te periculum quam periculi finem nosse, si tamen ægrotare autumes periculum, et non ad veram solidamque securitatem via est. Tu tamen ea lege te sanatum scito, ut non modo mortalis manseris, sed horis omnibus interea ad mortem accesseris, ho-

risque nunc omnibus continue moriaris. Quæ enim apud vulgus mors est, apud philosophos mortis est finis. Mira gratulandi materia. Mors longior, quod fieri metuimus, fit modo dum loquimur et, oh! stupor ingens, simul et mortem et mortis exitum formidamus, diuturnumque diligimus quod momentaneum execramur. Frustra quidem. Fiet, fiet inquam quod evasisse diceris, fiet aliquanto serius, sed cito; sed iam nunc non est tergiversandi locus ut paululum trahas. Quamdiu traxeris, eo necessario redeundum est, quo et cum redieris, digressum simul reversumque te stupeas. Plane sic est ut dicere soleo: dilata parumper solutionis dies, sed non cassa ratio est debiti naturalis a nascente contracti, a moriente solvendi. Vale.

EPISTOLA VI.

FRANCISCUS PETRARCA NICOLAO EPISCOPO VITERBIENSI S. P. D.

Gaudet e gravi morbo illum convaluisse: hortatur ad fortitudinem animi; et valeludini recuperandæ apprime idoneo Vallisclausæ hospitio illum invilat.

Vir fortis hortari non eget ut imperterritus notum hostem et solitum pugnæ genus excipiat: venienti obviam procedit de victoria prope certus, de laude certissimus: gaudet experimentum sui sæpius peti, et virtutem duris exercere mavult quam molli otio languere. Itaque inter pulverem ac sudorem, inter enses ac vulnera non tantum sine dolore, sed sæpe etiam cum

voluptate versatur; non sentit præsentia, totus in finem prominet, et quamvis corpore fatigatus, in pace animi et in spe gloriæ conquiescit. Tibi quidem, charitate frater, ætate fili, dignitate autem pater, quem ante annos ex puero virum virtus, dignitas senem fecit e iuvene, longo sermone non est opus, ut intelligas quod scriptum est in litteris sacris: *militiam esse vitam hominis super terram*, nec militiam modo sed bellum iuge, mortiferum, sine induciis, sine pace. Hoc bellum Christi miles ingressus, fieri tandem unus ex ducibus meruisti: in quo bene cœpisse non sufficit, sed si victricem expetis coronam, oportet de mane ad vesperam in acie stare, et adversus hostem dextra lævaque sævientem, clypeum indefessæ virtutis attollere. Multiplicibus quidem telis impetimur: hinc importuna paupertas, hinc divitiæ graves premunt, hinc vel nostra vel amicorum improvisa calamitas; hinc cor urens cura, ægerque animus, ægrumque corpus, et multi ac varii fortunæ impetus, quos ne dicam ferre, sed numerare difficile est. Nihil ulla ex parte tutum homini; sæpe dum maris summa tranquillitas in superficie videtur, tempestas in fundo est: etiam tunc dum maxime blanditur, tacitas mundus tendit insidias: omne iter laqueis obsessum, omnes rami visco illiti; omne solum lappis tribulisque confertum est; vix usquam sine discrimine pedem figas; nihil altius ascendisse profuerit: quocumque te vertas par periculum, æquus labor, imo vel eo maior quo pluribus fortunæ iaculis status altior patet. In hoc igitur vitæ campo in quem pugnaturi descendimus, nulla fugæ spes, nullum quietis diverticulum; totum in præsidio cœlesti et invicti animi virtute repositum est.

Sed ut ad rem veniam, audivi, pater, et usque in solitudinis meæ latebras tristis nuntius venit gravi te morbo corporeo laborare. Non ut ægrum tamen alloquor, spero enim quod dum ad me ægritudinis tuæ fama perlata est, iam sanus extes, et cum ad te littera ista pervenerit, nullum morbi vestigium repertura sit. Itaque licentius vagor. Fatebor autem tibi imbecillitatem meam. Ad primum mœsti rumoris adventum, ut me hominem potius quam philosophum scias, humanitus indolui usque adeo, ut subito in mœrorem læta prius otii mei tranquillitas verteretur, et ipse animi mei sæpe mollitiem castigarem. Re autem vera non tam tibi, quem modeste ac fortiter tulisse omnia et laturum esse non dubito, quam amantissimo genitori tuo affectum tantæ compassionis exhibui. Ille enim in membris tuis nunc ægrotat, utque auguror, gravius quam tu, qui ut dixi, iam fortassis omni periculo liberatus, dolorem nostrum timoremque supervacuum dolebis. Ille autem profecto non ante sanus erit, quam te sanum viderit. Ad te enim festinat omnibus posthabitis omissisque negotiis, quibus valde deditus semper fuit, quorum tu pondus ac copiam nosti ; præterea deserta domo, contempto mari, neglectis Alpibus, spreta hyeme, cunctas difficultates, res curasque suas omnes et se ipsum obliviscitur, dum te unum cogitat pius pater. Unde quod apud Virgilium pater filio dicit, nunc convenientissime dicet filius patri : *Vicit iter durum pietas.* Cuius rei cogitatio, ni fallor, multum viribus tuis adiiciet, dum subibit animum patrem in te tuum vivere, in te etiam languere : ut taceam matrem, taceam fratres, taceam sorores, taceam amicos, in quibus me ipsum numerare audeo non ex-

tremum, qui omnes te ægro, sani esse non possumus. Quis enim unquam tam corpore valens fuit, ut languente animo, sanus esset? Delectatus sum parumper mollioribus verbis uti, et pene mihi lacrimas ipsa pietas elicuit. Hinc iam viriliter admonendus es, ut memineris per te ipsum mortalia ferre atque alto animo despicere, calcare præsentia, sperare meliora, nihil mundo fidere quia fallax est: te ipsum sortesque tuas Deo credere, in illum spes curasque iactare, scire ex quo die in hanc vitam intrasti te non ad epulas sed ad prœlium venisse, ad morbos, ad molestias, ad labores: quidquid tamen acciderit, te victorem esse posse, si velis; tamen ne arma proiicias, neve animo consterneris aut concidas, et nasci et vivere et ægrotare et senescere et mori naturæ esse: at hæc fortiter et eodem vultu atque animo tollerare virtutis. Non dico quod quidam dixerunt, inter summam voluptatem et asperrimum dolorem nihil penitus interesse. Nimis mihi torpens et insensibilis ea sententia videtur; nec illud dico, quod nobilissimam familiam Stoicorum affirmantem audio, dolorem corporis malum non esse: licet enim verbis probent, eo quod malum nihil proprie dicatur, nisi quod oppositum sit bono, bonum autem solum virtus, cui non dolorem sed vitium constat opponi, id tamen rebus probare difficillimum. Itaque vulgarius loqui placet et Peripateticos audire qui dolorem malum putant, sed non summum. Quamlibet magnum malum dolor sit, infra virtutem est: in hoc conveniunt omnes, et certe clarior laus est, quam asperitas multa deterserit et fama serenior ex fortuna nubilosiore proveniens. Quiescere, gaudere, epulari, voluptatibus affluere norunt omnes;

indefesse laborare, patienter ægrotare, constanter inter terribilia versari et si oporteat intrepide mori, id vere viri opus est et cuius, licet amara perpessio, recordatio tamen dulcis. Vulgatum Virgilii verbum est:

.... Forsan et hæc olim meminisse iuvabit,

quod inter angustias meas sæpe mihi fateor occurrit et profuit. Sed mihi quidem in præsens multa scribendi tempus deest: hæc igitur summa sit: fugiendam spem video, (*sic*) poscendum ab omnipotente subsidium. Adversus cuncta quæ pateris vel quæ pati potes, firmandum durandumque animum, ut quasi callum contrahat adversitatibus suis idoneum, quod durati homines in membris solent. Hoc tibi in animo suadeo. Curam vero tui corporis suadere supervacuum videtur; neque enim tibi medicinæ artem dignitas episcopalis eripuit: medicus ac medici filius insignis (non quales multi, qui dehonestantes artificium suum et alienæ vitæ insidiantes, divitum modo liminibus obversantur) scis ut reor morbi tui causas; et remedia non ignoras, si verum est quod ait Cicero, medicos putare, comperta causa ægritudinis, paratam esse medicinam. Unum indulge mihi, ut extra terminos meos dicam accidentia animi quid corpori præstent. In utramque partem quid gaudium possit et quid dolor illustrium exemplorum turba confirmat. Sed attingam illustrissima. Superiori Africano animi gaudium contulit ad corporis sanitatem. Gavisus est ille de filio: gaudere poteris tu de patre. Eadem ætate Philippo Macedoniæ regi illi, qui cum populo romano bellum gessit, dolor animi morbum corporis mortemque conflavit. Profecto autem etsi nemo unquam

sit, cui non aliquam dolendi causam mundus invexerit, tamen si te ipsum et cœlestium in te munerum largitatem circumspicis, in illorum te acie reperies quos gaudere æquum sit. Quamobrem non patientem modo animum exhibe sed lætum, et præter cætera illud cogita forte non id tantum agi ut inter tot Dei dona quibus ante tempus ornatus sed non ante meritum fuisti, scias te hominem esse caducique corporis, sed etiam ut præsenti morbo et sequens sanitas dulcior tibi, et tu carior sis amicis. Tandem illud in animum inducas nihil quod sciam posse nunc cum hac solitudine comparari, in qua te Socrates noster et ego cupidissime expectamus, ubi facile divina ope suffultus et corpus recreare et serenare animum queas. Nullus hic tyrannus minax, nullus civis insolens : non obtrectatoris rabidi lingua mordacior, non ira, non civilis factio, non querimoniæ, non insidiæ, non clamor, non strepitus hominum, non tubarum clangor; non fragor armorum; nulla prætcrea avaritia, nullus livor, nulla prorsus ambitio, nullum superbi limen cum tremore subeundum ; sed gaudium et simplicitas et libertas et inter divitias pauperiemque status optabilis, sed sobria et humilis et mansueta rusticitas, gens innocua, plebs inermis, regio pacifica, cuius præsul vir optimus et bonorum amicissimus, consequens erit ut te in fratrem habeat, quoniam nos habet in filios. Quid de aliis loquar? Aer hic blandus ac suaves auræ : tellus aprica, fontes nitidi, piscosum flumen, umbrosum nemus, antra humida, recessusque herbidi et prata ridentia, hic mugitus boum, avium cantus, murmurque lympharum, penitusque abdita et ex re nomen habens Clausa Vallis et amœna :

in circuitu autem certatim Baccho grati colles ac Minervæ, neve in iis quæ ad esum potumque pertineant, parasitico more, quod non soleo, curiosius immorer, breviter sic habe: quicquid seu in terris seu in aquis nascitur, hic tale esse ut in paradiso deliciarum, sicut Theologi loquuntur, sive ut poetæ, in campis Elysiis natum putes; si quid vero, ut est animus hominis, sæpe voluptuosior quam oportet, exiguo ruri desit, facile finitimorum locorum ubertate supplebitur. Postremo ne singula prosequar, hic tibi quies exoptata et votiva tranquillitas, et quæ nullæ studioso animo divitiæ cariores, librorum copia ingens adest, fideliumque convictus atque obsequium amicorum. Versaberis cum sanctis cum philosophis, cum poetis, cum oratoribus, cum historicis. Nos duo, quantum sine satietate tua fuerit, latus tibi utrumque cingemus; nos tibi iam nunc animis occurrimus, et ab occupatæ vitæ tempestatibus redeunti portum hunc quietissimum præparamus. Genitor autem tuus interea flens atque anxius ad te venit, et per singulos passus Davidicum illud ingeminat, *quis dabit mihi pennas sicut columbæ et volabo et requiescam*, ubi scilicet filium meum primogenitum, quem mihi de filio patrem feci sospitem, lætus aspexero. Nos vero qui te summo cum desiderio præstolamur, facimus quod amantes solent: singulos dies solicite numeramus, et erectis auribus stamus si quid de te nobis felicius nuntietur. Inter tuorum vota igitur, pater amabilis, vive, oro, feliciter, et vale et veni et propera, supra vires animum attollens, ac sæpe tibi et omnibus virtutibus tuis dicens poeticum illud famosissimum:

Durate et vosmet rebus servate secundis.

EPISTOLA VII.

FRANCISCUS PETRARCA SOCRATI SUO S. P. D.

Nunciat adventum sibi pergratum, doletque abitum amici de quo nescit omnino quo se contulerit.

Venit amicus noster ad me quem venturum promiseras. Data ac reddita salute, quæsivi an a te litterularum aliquid. Ut nihil ait, cogitare cœpi frustra litteras quæri ubi viva vox adesset. Breviter autem sic habe, nil mihi gratius illius hominis adventu. Nosti quibus delectari soleam. Quanto illi durior fortuna, tanto ipse mihi dulcior, tantoque carior mihi, quanto ille vel sibi despectior vel superbis. Excepi eum ut potui, et passus est locus : rustico rerum, animi autem apparatu regio, ostendique sibi montanæ solitudinis meæ, quantum tamen pro tempore dabatur, quid per hos dies in ingenio, quid in hortulo quid in agello severim quidve messuerim. Dum sic essemus ut nil nobis omnino præter tui præsentiam deesse videretur, et in singulis rebus tuum nobis nomen occurreret, cœpit eum familiariter affecti animi cupiditas aliquantisper evagandi. Dixit esse sibi cordi insulam invisere, qui locus tribus passum millibus abest, Sorgia illabente et præterlabente delectabilis. Annui, ex pueris meis unum aliquem viæ comitem ut acciperet hortatus. Oravit ille ne profectionem suam, in qua magna sibi exonerandi animi spes esset, socio gravarem ; nihil enim sibi in eo statu dulcius quam ut solus esse posset. Non autem miratus sum ; nam et mihi quantus sit amor soli-

tudinis, quibus ego sum cognitus omnibus notum est. Sivi hominem: abiit hora prandii rediturus; nec dum rediit et iam biduo abest. Quid agam? quid esse credam? quamdiu illum expectem? an, quove illum sequi iubeam? an ad te reversum suspicer, an longius profectum? Ibi enim non est quo se iturum dixerat, et nescio quid opiner. Terrent me notæ hominis curæ. Mœsto animo male committitur solitudo. Tu si de illo certius quidquam tenes, hac me perplexitate expedi. Nihil est quod amplius dicam, nisi illud Ovidii:

Res est soliciti plena timoris amor.
Qui maior absentes habet

ut Nasoni Flaccus accedat. Vale.

Ad fontem Sorgiæ, Kalendis Aprilis.

EPISTOLA VIII.

FRANCISCUS PETRARCA LÆLIO SUO S. P. D.

Narrat sibi Carthusianorum cœnobium petenti matronas romanas obvias occurrisse, quæque ab ipsis de urbanis rebus resciverit.

Ad tertium decimum Kalendas Maias inter Aquensem coloniam et Maximino sacram domum dum germanum meum, tuum, nostrum, imo Christi, ut ait ille, revisurus pergerem, forte mihi viæ medio romanarum ingens acies matronarum fuit obvia. Mirum! procul in frontibus in incessu genus ac patriam novi. Sciscitari tamen libuit si forsan fefellisset æstimatio. Cum vero iam iuxta essem et voces colloquentium audirem, nihil

dubii superfuit. Figo gradum tamen quasi nescius, et vulgari eas sermone Maroneum illud interrogo :

Quæ genus, unde domo?

Ad primum italicæ sonum vocis læte subsistunt ; e quibus natu maior : Romanæ, inquit, sumus, Romaque profectæ imus ad hispanum Iacobi limen. Tu autem an forte romanus es, et an Romam vadis? Prorsus, inquam, animo romanus, sed nunc minime Romam peto. Tum vero familiarius circumfusæ cuncta fidentius colloquuntur. In primis reipublicæ statum quæro ; læta tristibus mixta respondent. Ubi ad particularia ventum est, nihil mihi fuit antiquius quam ut de te quærerem. Bene valentem nuntiant, auctumque felicibus et honestis nuptiis, et pulchra prole parentem ; quæ mihi quamvis pridem singula nota essent, non aliter tamen sum gavisus, quam si noviter audirem, seu te coram uxoremque et filium viderem. Addiderunt de periculis tuis quiddam, quod licet præteritum, trepidus tamen audivi : sic mihi fando formidinem renovarunt. Exitus, Deo gratias, felix erat. Hinc adolescentis nostri quærens statum, didici quanto periculo ereptus esset, dum Bertoldus senator collega eius irato populo obiectus, et ut aiebant, lapidibus obrutus periisset. Succurritque confestim illud Lucani:

Has urbi miseræ vestro de sanguine pœnas
Ferre datis, luitis iugulo sic arma potentes.

Audita autem causa tanti casus, rediit in animum illud Salomonis : *qui abscondit frumenta maledicetur in populis.* Male miser didicerat Cæsareum illud : *summa favo-*

ris annona momenta trahi, et illud *nescit plebs ieiuna timere.* Interrogavi tandem, num me agere quidquam vellent: erat enim animus propter Deum, propter virtutem, propter patriam, propter te, si quid optassent, implere pro viribus, et quod pecuniæ pro viatico sumpseram cum illis partiri. Scis, etsi nihil addidero, quid omnes viva voce responderint: velle se nihil prorsus, nisi ut pro eis orarem Christum daret prosperos in patriam reditus, et in finem facilem supernæ civitatis ingressum. Cætera illis affatim provisa. Ego vero ut ex me aliquid accipere in animum inducerem, iterum atque iterum nequidquam institi. Quid vis? Agnovi femineam romanam indolem, et delectatus sum, cogitans quam multarum nationum feminæ non solum oblata non respuerent, sed negata etiam importune deposcerent. Verum odiosa veritas: itaque nominibus abstinendum. Romanæ autem nostræ affectum animi mei gratanter amplexæ, oblatam pecuniam magnifice contempserunt. Dicat modo qui volet importunos ad petendum, ingratos cum acceperint: pace tanti detractoris dixerim: Romanos ego novi, et ad spernendum oblata magnanimos, et memores acceptorum, nec viros modo sed feminas, quæ natura ducuntur avariores. Nolo te in his litteris hodie tenere quantum eas in itinere die illa tenui, tenuissemque libenter ad vesperam, cum esset hora diei nondum tertia, nisi quia veritus sum tam sacrum femineæ devotionis impetum remorari. Et ipse præterea festinabam, viso fratre, longiusculum iter duce Deo in Italiam acturus, quod maturare disposui, si forsitan fatum meum studio flecti queat, ne semper peregre profecturus,

expectare cogar vel Iulium vel Decembrem. Digredimur vale dicto. Tum primum sensi ubi essem. Interim enim durante colloquio Romæ fui, visusque sum Metelli Ceciliam, et Fulvii Sulpiciam, et Gracchi Corneliam videre, et Catonis Martiam, et Æmiliam Africani totamque illam aciem illustrium veterum feminarum; sive, ut convenientius ad rem loquar et ætati nostræ aptius, Romanas Christi virgines Priscam, Prassedem, Pudentianam,Ceciliam et Agnetem. Inde digressus, luce proxima fratrem vidi, virum, nisi me amor fallit, omnium quos vidisse meminerim inter procellosas mundi miserias felicissime navigantem, et sic a terrenis elevatum, atque ita dispositum, ut et in vita hominis illius laudetur Deus, et ego quamquam proposito longe impar ac moribus, erubescam quidem ab ultimo præveniri, gaudeam tamen ac glorier mihi talem sanguinis atque uteri fuisse consortem. Illic inter germanos quinquennii postliminio reconiunctos longum pro tempore cupidumque colloquium fuit : multa ibi de multis, sed de nullo plura quam de Lælio nostro ; qualiter fortuna tecum, qualiter tu cum illa, quid ageres, ubi esses, quam vitæ viam sequereris, quid de progressu, quid de fine disponeres, quam te tui similem exhiberes. Cui cum ad singula respondissem, lætiorem quam inveneram dimisi : quam vero te salvere cupiat scire te arbitror me tacito. Vale.

Ad fontem Sorgiæ, VIII. Kalendas Maias.

EPISTOLA IX.

FRANCISCUS PETRARCA ZENOBIO FLORENTINO S. P. D.

Commendat cœnobium Montis Rivi ut regis patrocinium illi conciliet.

A Babylone novissima Nicæam Vari Italiamque petentibus viæ medio locus est dextrorsum decem passuum millibus submotus, interque nemorosos montes et montanos rivos abditus, et e situ ipso dictus, ut arbitror; Mons Rivus enim loco nomen. Domus antiqua Carthusiæ et prope ab illius ordinis fundata primordiis. Geminos fratres ferunt Ianuenses patria arte navigatores et mutatores, ut Lucani verbo utar, alterum Eoæ alterum Occiduæ mercis eximios fuisse. Alii quidem aliter narrant: fides, ut dici solet, penes auctores maneat. Ego referam quod audivi. Solemne his simul domo proficisci, cumque alter ab ortu, alter ab occasu longo post tempore rediissent, in patria convenire, ibi res fortunasque suas recensere, atque, ut talium mos est, omnibus rite dispositis, rursum digredi et maria retentare. Id cum sæpe fecissent propitiaque fortuna usi magnas honestasque divitias aggregassent, contigisse ut ille ab oriente primus rediens, hunc ab occidente venturum audiret applicuisse Massiliæ: quem cum aliquandiu frustra solicitatum litteris expectasset, suspicatum forte aliquid, et ut est hominum genus illud, moræ impatiens, temporisque parcissimum, ipsum postremo Massiliam venisse, inventoque fratre, mutatis curis ac studiis, pene alio, miratum quæsivisse et quid

rei esset ut solito segnior videretur; et respondisse illum: navigatum satis esse: nolle se amplius vento vitam credere. Itaque de se frater ut bonum crederet: se vero iam sibi consuluisse, portuque potitum in littore, imo in paradisi vestibulo, ædificasse ubi fessus requiesceret, donec ad æternam commigraret, domum. Dumque ille magis admirans pergeret scrupulosius inquirere, quid sibi frater his vellet ambagibus, inde sine alio responso manu apprehensa ad ea loca perductum ubi ille sibi iam tunc monasterium, de quo loquor, inter asperrimas silvas et secretissima in valle construxerat, cognitoque proposito fraterno, ipsum quoque subita devotione conpunctum accensumque imitandi studio, aliud in colle proximo monasterium erexisse, ac dotato largiter loco, mundoque simul et voluptatibus desertis, ambos ibi Christo quod restabat vitæ devovisse, et perseverantes in finem persolvisse quod voverant. Gemina nunc unius Christicolæ familiæ domus extat, quæ ipso fateri videatur aspectu fuisse sibi geminos quidem, sed unanimes fundatores. Hæc hactenus. Illic ego, quod minime novum audis, carissimum unicumque pignus habeo germanum, in quo liquido cernitur quid est quod ait Psalmista *mutatio dexteræ Excelsi.* Ita enim repente mutatus, ita ex adolescente vago et lubrico in virum stabilem atque constantem versus, ita denique de virtute in virtutem in dies alacrior ascendens, mutatæ mentis ardorem decenni iam perseverantia comprobavit, ut qui olim timori curæque mihi fuerat, nunc stupori et gaudio sit ingenti. Hunc pridie revisurus, quem iam quinquennio magis interviseram, et quem si in Italiam rediero, quamdiu sim intervisu-

rus nescio, paucosque ipse mihi vix furatus dies, locum adii. Quid expectas audire? Pias fratris lacrimas, an illic agentium Christi servorum humiles congressus, sanctam hospitalitatem salubresque sermones, quid dixerim, quid audierim, quid viderim, quid ibi me præsente, quid abeunte gestum sit, ut totus ille grex angelicus sacro sub lare circumfusus, hospiti nullum devoti obsequii genus omiserit, ut digredientem comitati omnes usque ad extremum limen, fraterque ipse cum paucis longius usque ad radicem montis silvoso calle prosequutus, raptim pro tempore multa monens, multa rogans, multa denuntians, quibus nec dies nec nox tota suffecerat? Hæc ego inquam omnia ingenio tuo potius æstimanda quam calamo meo exponenda commiserim. Unum quod scire non potes nisi audias attingam. Siquidem inter multa et salubria et sancta solatia quæ mihi ille sacer locus, illud breve tempus attulit, nescio quid illic amariusculum degustavi, credo ut detur intelligi verum esse quod scribitur, qui volunt in Christo pie vivere persecutionem esse passuros, neque ullam homini viatori, ubicumque caput abdiderit, spem quietis, donec in patriam sit perventum. Ecce enim hic innocuus cœlestium vere cœtus hominum honoribus divitiisque contemptis et invisibili hoste calcato, visibilibus nunc etiam ab hostibus molestantur, interque sæculares et ecclesiasticos tyrannos (miserabile dictu) alienæ passim avaritiæ præda sunt, et sæpe necessitate ultima coacti a divinis laudibus distrahuntur. Longa esset historia, si quæ perferunt indigna complectar. Summa hæc est, unde minutiora coniicias licebit. Omne latus ambiunt tyrannuli, importunissimum genus, et, si

detur, nullo non calle fugiendum. Sicut enim magni tyranni sæpe rapiendo munifici sunt, sic parvi munifici nunquam semper avidi, famelici, sitientes, qui de rapinis minoribus inardescant, et in spem maiorum veniant rapinarum. Cæterum Christi famulis illic voluntaria servitute conclusis nulla fugæ, nulla tyrannicæ misericordiæ spes est : totum in divino regioque præsidio repositum. Itaque olim almæ memoriæ Carolum Secundum regem siculum huius nostri regis avum supplices adierunt orantes, ut eis unum ex regiis satellitibus deputaret, quo teste, sub umbra iusti regis ab iniuriis tegerentur ; quod ille qui more cæsareo nihil negare noverat quod dono dignum esset, libenter annuit ; eoque velut clypeo multos annos sub illo rege, deinde sub filio eius, summo regum atque hominum Roberto, quietius exegerunt, donec quidam Massiliensis ecclesiæ, unde gravius infestantur, factus Episcopus tantus huius ordinis amator tantusque iustitiæ cultor fuit, ut cum eo mallent voluntarie, quam vi aut ullo superioris imperio agere. Ita multis itidem cum illo annis et concorditer actis, et cæteris ab iniuria boni præsulis veneratione cessantibus, diu nullus privilegio regio locus fuit. Sic tractu temporis per simplicitatem pauperum Christi, quæ apud sapientes sæculi stultitia apud Deum sapientia magna est, munus optimorum regum obsolefactum atque antiquum extitit. Inde autem dicto Episcopo rebus humanis exempto, protinusque aliis atque aliis peioribus in locum eius assumptis, omnia in deterius versa, donec paulatim ad antiqua reditum est et ecclesia Massiliensis suum tyrannum habet, et castra monasterio vicina, ut est natura hominum ad imitatio-

nem exemplorum malorum promptior quam bonorum, tyrannidem exercuerunt solito etiam duriorem. Dum antilucanas Christo laudes canunt, ecce lacrimosus pastor abactum gregem nuntiat : dum dominicæ memoria passionis sacris renovatur altaribus, ecce gemens villicus segetem, vineam, pratum, hortum tyrannorum armentis clamitat lacerari : dum parcissimæ cœnulæ, dumque somni brevissimi tempus advenit, famulorum Christi famulus vel æditiuus sacræ domus pulsatus ab executoribus tyrannorum, plenus querelarum veniens monachorum silentium interrumpit. Fugiunt ad antiqua remedia et regiis armis sese tegunt. Irridetur antiquitas : ipsique non aliam ob noxam nisi quia se libertate sub Christi iugo dignos censuerunt, graviori servitio premuntur. Quid te diutius morer? Si quæ audivi audias, non magis lacrimas teneas quam tenui. Est ibi calicum, amictuum et librorum bona copia, quos ægre per hoc tempus a prædonibus defenderunt. Nihil denique spei est nihilque remedii, nisi rex noster ad direptum Christi tugurium oculos regiæ pietatis inflectat, et prædecessorum suorum, avi ac patrui privilegiis renovatis, alienis manibus fundatum locum sua benignitate liberet atque restituat; non minoris meriti futurus quam qui condidit, sicut non minor est Bruti vel Camilli gloria quam Romuli, si vera horum virtus et non illius falsa divinitas æstimetur. Hoc a me igitur cum lacrimis petierunt, ut vel satellite regio restituto, vel protectore aliquo dato, ab iniuria tuti essent. Respondi me præter reverentiam ac fidem, de rege nihil meritum : habere tamen ibi maximum et illum optimum virum qui omnia possit apud regem. Illi etiam sua potius

virtute quam meo me merito carum esse: sperare non defuturum iustitiæ qui sit tam pronus ad gratiam, quique erga religionem illam qualiter sit affectus, suis impensis suaque diligentia prope muros patriæ extructo nuper insigni cœnobio declaravit. Intercessurum me igitur apud illum, te medio, ne si ei scripsero in rebus maximis occupatum animum tædio scripturæ longioris afficiam. Lingua tua calamus meus erit. Ita enim iustissimæ illorum preces meis digitis ad oculos tuos, lingua tua ad illius aures, et per illum ad regis notitiam perferentur. Augustum Cæsarem templorum omnium conditorem aut restitutorem a Tito Livio dictum, ut imitetur, suade huic nostro, seu verius vincat; et sicut ille falsorum, ita hic veri Dei templa restituat, quorum se iam exhibuit fundatorem. Habes rei summam, videsque quid petitur, et petitionis iustitiam et petentium dignitatem et desiderium meum vides. Non onerabo te precibus ne diffidentiæ signum sit. Profecto autem si te gesseris, ut spero, feceris rem et Christo gratissimam et mihi. Vale.

EPISTOLA X.

FRANCISCUS PETRARCA ZENOBIO FLORENTINO S. P. D.

Nunciat se Italiam versus iam tandem iter arripere, doletque illi et magno regni Senescalco aliquid infortunii contigisse.

Quam legis epistolam, in qua pro Carthusiensibus intercedo (loquor autem nostro more, non veterum, apud quos *intercedere* impedire est, et rei cuipiam, ne ad exitum

provehatur occurrere), ipsam ergo quam legis epistolam vel legisti, in illa devotissima eremo conceptam et post dies paucos in Helicone nostro scribi cœptam hoc ipso die, sic quieti fortuna invidet, in Babylone complevi, quo nudius tertius redii, ut irrediturus abeam. Præmissis enim rursus in Italiam exploratoribus nuntiis venio, etsi nil usquam constet esse tranquillum, aliquam tamen fisus votivi portus effigiem non deesse. Quidquid erit feram, dum meminero toto orbe nil Babylone turbidius, nil peius; cuius ea procellarum rabies est, ut nihil in circuitu, ne Helicona quidem ipsum pacatum sinat: hæc inquam memorans, modo hinc absim, quocumque caput hoc sors imperiosa rotaverit, me solabor. Quid autem? Fortunam ne loci mutatam reris an nostram? nunquam me hic lætus rumor invenit nec faciet quidem. Confestim igitur ut hoc infame limen attigi, gemino simul acri nuntio percussus, didici casum tuum, et illius viri optimi iacturam. Video quid huic calamo debitum: sed occupationes officiunt, locus, tempus, angustiæ ac turba negotiorum fugientem insequens, nusquam terrarum alibi dulci sic manum iniiciens libertati; iter quoque, quod duce Deo mox ut hanc litterulam implevero, velut is qui carcerem fugit, festinabundus arripiam: hæc omnia me amice scribere prohibent, non dolere. More autem meo antiquo hinc digressus in solitudine mea subsistam, si diebus octo, non pluribus. Iter hoc equidem sic animo partior ut hinc emersisse dimidia et amplius, eaque difficillima mihi viæ pars videatur: cætera brevia prorsus et prona sint. Vale.

Babylone, IV. Kalendas Maias.

EPISTOLA XI.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

Multa de pretio temporis: seque Mediolani, ut civitatis domino morem gereret, constitisse.

Non solebat mihi tempus esse tam carum; quamvis enim æque semper incerti, plus saltem sperati temporis tunc erat: nunc res et spes postremo omnia in angustum desinunt. Paucitas autem est quæ pretium rebus facit. Fac terra passim margaritas ferat, calcabuntur ut lapides: fac totidem sint phœnices quot columbæ: unicæ avis fama perierit. Fac balsami arbustis late montes tegantur, plebeius liquor erit: denique in rebus omnibus quantum numero cumulove succreverit, tantum pretio decedet. Contra vero propter inopiam vilissima rerum cara erunt. Hinc per arenas siticulosæ Lybiæ in manu Romani ducis invidiosus exiguus latex erat: hinc in obsidione Casilini fœdissimum animal mus in pretio fuit: hinc, quod omne molestiæ genus supergreditur, sæpe ignavissimi homines sola virorum penuria floruerunt. Exemplis abstineo, nominum fœditatem dedignante calamo: quamquam quid exemplis est opus? Non vici vacant, non plateæ portentis talibus: nulla ævo nostro crebrior pestis, et si sine iactantia dici potest, nunquam mihi tam vile tempus fuit, ut quibusdam coætaneis meis: nunquam tamen in eo pretio quo debuit. Vellem posse dicere nullum me diem perdidisse: multos perdidi: utinam non annos. Illud dixisse

non metuam, nullum quod meminerim diem ignorans perdidi. Non elapsa sunt tempora, sed erepta ; ita ut in mediis vel occupationum laqueis vel ardoribus voluptatum dicerem : heu dies hæc mihi irreditura subripitur. Ideo tamen id mihi accidisse nunc intelligo, quia nondum tempori pretium posueram, pretium illud cuius ad Lucilium suum scribens Seneca meminit. Noveram caros dies, inæstimabiles non noveram. Audite me pueri, quibus integra est ætas : inæstimabile tempus est. Hoc illa ætate nesciebam, qua optimum atque utilissimum scitu foret. Non æstimabam tempus suo pretio : scribebam amicis : imputabam laborem corporis, animi tædium, pecuniæ impensam : tempus ultimum erat. Nunc video: primum esse debuerat. Siquidem et laborem quies temperat, et amissæ redeunt pecuniæ : tempora semel elapsa non redeunt : ea demum irreparabilis est iactura. Quid ergo dicam? Nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ excelsi : opto id quidem sed non audeo dicere. Incipio certe tempus agnoscere non aliam ob causam, nisi quia ipsum me deserere incipit. Tunc puto clarius agnoscam cum omnino prætericrit. Oh miseri quibus nos angustiis reservamus! Quid credis? Quanti pretii dies, dies unus esse poterit animam agenti? Certe ego iam hinc æstimare tempus incipio, nondum tamen qua debeo, sed qua possum. Agnosco fugam incredibilem, lapsumque præcipitem, nullis nisi ardentis atque impigræ virtutis arcendum frænis ; cerno me destitui, damnumque meum pene oculis metior, et sæpe Virgilianum illud in ore habeo

Est mihi iam breviorque dies et mollior æstas.

Nam et bona pars temporis a tergo est, et affectus animi lentescunt, eoque lucro fugitivi temporis damna compenso. Quæ cum ita sint, et breviores deinceps epistolas, et submissiorem stilum, et leniores decet esse sententias. Primum temporis brevitati, reliqua fatigato animo adscribes. Neve me frustra hodie philosophatum putes. Novi ego animum moresque tuos, qui de amicorum successibus totus pendes; quem vero apud te amicitiæ gradum teneam scio. Ureris, angeris, æstuas, afflictaris, et dum maxime siles, clamat humanitas tua, meque de rebus meis invicta pietas interrogat, qualiter atque ubi sim, quid cogitem, quid moliar. Accipe igitur epitoma brevissimum, sub quo ingens latet historia. Corpore valeo quantum solent e contrariis compacta corpuscula; equidem ut et animo valeam magnis viribus enitor: utinam efficaciter! alioquin voluntas nuda laudabitur. Morem sane meum nosti: animum rerum fessum locorum alternatione reficio. Itaque biennio iam in Galliis exacto revertebar, et cum Mediolanum pervenissem, maximus iste Italus iniecit manum tam suaviter, tantoque cum honore, quantum nec merui nec speravi, verumque ut fatear, nec optavi. Excusassem occupationes turbæque odium et quietis avidam naturam, nisi parantem loqui, velut cuncta præsagiens, prævenisset, et in maxima frequentissimaque urbe solitudinem ille mihi in primis et otium promisisset, atque hactenus, quantum in eo est, promissa præstaret. Cessi igitur hac lege, ut de vita nihil, de habitaculo aliquid immutatum sit, idque non amplius, quam quantum fieri potest illæsa libertate, salvo otio, quod quam diu futurum sit ignoro. Augurio breve erit, si eum, si me, si

utriusque curas longeque diversis occupationibus circumdatam vitam novi. Habito interim in extremo urbis ad occiduam plagam secus Ambrosii Basilicam. Saluberrima domus est, lævum ad ecclesiæ latus, quæ ante se plumbeum templi pinnaculum, geminasque turres in ingressu, retro autem mœnia urbis et frondentes late agros atque alpes prospicit nivosas æstate iam exacta. Iucundissimum tamen ex omnibus spectaculum dixerim, quod aram, quam non (ut de Africano loquens Seneca) sepulchrum tanti viri fuisse suspicor, sed scio, imaginemque eius summis parietibus extantem, quam illi viro simillimam fama fert, sæpe venerabundus in saxo pene vivam spirantemque suspicio. Id mihi non læve pretium adventus: dici enim non potest quanta frontis auctoritas, quanta maiestas supercilii, quanta tranquillitas oculorum: vox sola defuerit vivum ut cernas Ambrosium. Hæc hactenus. Huius autem moræ spatium, cum primum mihi esse notum cœperit, tibi incognitum non sinam. Vale.

Mediolani, X. Kalendas Septembris, ante lucem.

EPISTOLA XII.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

Quibus potissimum rationum momentis sibi fuerit persuasum ut Iohanni Vicecomiti morem gereret, et Mediolani consisteret.

Et familiaribus curis meis, quibus nulla pars temporis vacat, et necessariæ quieti, quæ vel ab invito suum exigit, et nocturnis Dei laudibus, quas ingratæ mentis

oblivioni sic humana pietas opposuit, ut de die in diem vota nostra reddamus, postremo et epistolæ tuæ et amicorum litteris, multis inquam magnisque rebus vix una parva nox. Ad auroram se venturum minatus est nuntius, et faciet: nam et suum geritur negocium, et cum sero litteris onustam mihi porrigeret manum, faciem festinantis aspexi. Sed quid solicitus sum? minor fuerat nox Vulteii, qua fando potuit trepidis ante comitibus amorem mortis ingerere. Sæpe perexiguo spatio magna complentur. Non tam breve tempus est, ut fama loquitur, quamvis admodum breve sit; puto enim ad multa sufficeret, nisi illud nostra segnities angustaret: laxare illud est animus, de quo fortasse erit, ut alicubi pluribus ad te scribam. Quod ad hanc attinet noctem, tentabo si et oculos fessos brevi somno fallere, et sententias longas brevibus verbis amplecti queam. Mihi quidem, amice, luculentissimus epistolæ tuæ tenor sole clarius animum scribentis ostendit. Anxius es, et rerum mearum torqueris eventibus: quo me voces, unde retrahas, quid de me speres, quidve mihi metuas incertus; e quibus animi fluctibus sic emergis, ut læta tibi tandem de me omnia et votiva pollicitus, conquiescas spe honesta, et tam vera utinam quam amica. Hic mihi tam mitis affectus tuus magnam fateor, sed non novam voluptatem affert. Sciebam: nullis opus erat verbis; absentem intueor, tacentem audio. Quem vero te dicam nisi, ut Ciceronis ad germanum dicto utar, suavitate fratrem prope æqualem, obsequio filium, consilio parentem? Singula delectant, nec immerito. Sed quoniam deliberativum causæ genus est, ultimo utor in præsens, consiliumque tuum tamquam providentissi-

mi patris amplector, et in eo quidem, quod mihi secretum esse iubes, tecum sentio: de reliquis fortuna viderit ubi desinant, quis exitus, quis eventus, in quam partem obliquo vulgi iudicio trahantur: mihi contingat nihil agere cuius non ratio probabilis reddi possit. Sentio equidem quod antequam scriberes sentiebam, fatique mei reliquias agnosco. Inter populi manus versor: mea sors vetus. Sed noli, oro, diffidere. Confricatione clarior fiam. Quid faciam videt vulgus interdum: quid cogitem non videt: ita meliori mei parte, immo pene totus illum lateo. Sed esto: solis ex actibus iudicemur. Quid tamen ideo sibi vult vulgus? Nempe omnibus quantum licuit circumspectis, feci quod melius: si quid hic dubii est, at saltem quod minus malum credidi. Parum enim abest ut putem nihil hic boni fieri adstipulatore Psalmista: *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Postremo sive bonum sive malum, feci procul dubio quod necesse fuit. Quis audebit obstrepere non dicam iudicio meo, sed necessitatis imperio, clavos, ut Flaccus vocat, adamantinos summis verticibus affigentis, et iugo aheneo superba regum colla calcantis? Quid enim agerem, quibus uterer verbis, quas quærerem fugas? Quibus viis evaderem, quibus artibus tanti precatoris pondus excuterem, cui lentius obedire rebellare erat? Scitum est illud Laberii in Iulium Cæsarem: *Etenim ipsi denegare cui nil potuerunt Dii, hominem me denegare quis posset pati?* Hoc mihi ad primam illius occurrit vocem, simul et illud non ignobile dictum, licet ab ignobili Poeta:

Est orare ducem species violenta iubendi,
Et quasi nudato supplicat ense potens.

Illud equidem inter multa vehementius urgebat, et reverentiæ meæ stimulus et maiestati suæ pondus accesserat, quod ipse quoque vir esset ecclesiasticus, et quantum in tam excelso fortunæ gradu fieri potest, devotissimus; cuius conversationem fugere vir honestus sine nota superbiæ vix posset. Proinde quod mihi luctandi nunc etiam negandique vim abstulerit, etsi verecundius silentio premeretur, tibi tamen tacitum nolim. Dum enim scrupulosius quærerem quid ex me vellet, cum ad nihil eorum quibus egere videtur aptus essem aut dispositus, nihil ex me velle respondit, nisi præsentiam meam solam, qua se suumque dominium crederet honestari. Hic fateor humanitate tanta victus erubui, tacui, et tacendo consensi seu consensisse visus sum. Quid enim contra hæc dicerem non fuit vel certe non adfuit. Sed quid ago? Tam facile utinam vulgo persuadeam vera hæc esse quam tibi. Quamquam, dii boni, quid est quod optare incipio? An oblitus propositi mei sum: vulgus ut libet, nos ut licet? Vale.

Mediolani, VI. Kalendas Septembris, propere silentio noctis intempestæ.

EPISTOLA XIII.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

De obtrectatoribus et maledicis. Fabula de rusticis et iumento.

Quidquam ne mortalium in rebus tanto consilio provisum est, ut non obtrectatorum morsibus pateat?

Quem mihi omnium hac peste liberum dabis? Christus ab iis quos salvaturus advenerat infamatus, quin etiam interemptus est. Nobiscum bene agitur si securi securium, si immunes verberum verbis impetimur. Nisi forte mordaciores suspicamur antiquos, nulla unquam ætas nostra ætate procacior fuit. Unam tibi e fabellis referam vulgo notis, et quibus anus ante focum hibernas noctes fallere solitæ. Senex cum adolescente filio agebat iter. Erat his unus parvus asellus ambobus, quo vicissim laborem viæ levabant. Hoc dum genitor veheretur, sequente pedibus suis nato, irridere obvii. En, aiebant, ut moribundus inutilisque seniculus dum sibi obsequitur, formosum perdit adolescentem. Desiluit senex, et invitum natum in suum locum substulit. Murmurare prætereuntium turba : en ut segnis et prævalidus adolescens, dum propriæ blanditur ignaviæ, decrepitum patrem mactat. Pudore ille victus, patrem coegit ascendere. Ita uno quadrupede simul vecti murmur occurrentium indignatioque crebrescere, quod una brevis duabus magnis belluis premeretur. Quid te moror? His moti pariter ambo descendunt, et vacuo asello pedibus incedunt propriis. Enimvero tunc illusio acrior risusque protervior, duos asinos uni ut parcant, sibi non parcere. Hic genitor : cernis, inquit, fili, ut nil quod probetur ab omnibus fieri potest ; repetamus pristinum morem nostrum; hi suum loquendi carpendique omnia morem servent. Nil amplius dicam, nec necesse est : rudis fabella, sed efficax. Vale.

EPISTOLA XIV.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

Capta occasione parvi cuiusdam erroris ab amico in litteris admissi, quam de emendatione morum soliciti esse debeamus ostendit.

Risi ut iubes, non ea tamen qua iubebas ratione, sed alia quadam; neque enim ideo quod tibi tantisper latini sermonis vestigia titubassent ridiculum æstimavi, sed quod titubasse tam graviter puduisset. Ita ego te unius verbi, imo unius syllabæ, imo vero unius litteræ solicitum vidi, quæ tibi quidem elapsa, et haud duriter auribus meis illapsa erat, ut dicerem: oh! doctissimorum licet hominum curas! cui enim quæso non idem possit accidere? Cicero noster summus latini eloquii parens est; proximus illi Virgilius; seu, quoniam de hoc ordine dubitasse quosdam video, sunt certe romanæ facundiæ parentes Tullius et Maro, quod qui mihi negaverit nil ipse sibi consenserim. Utrique tamen *grammaticale est* (sic) *integrarum etiam dictionum,* cuius tædio Cicero ipse in epistolis ab Attico suo poscit auxilium, quo se magna molestia liberandum dicit. Atqui si quid est in arte grammatica, ubi titubanti labentique venia debeatur, in præteriti perfecti propemodum ambiguitate posuerim, cum, ut grammaticorum princeps ait, ipsi probatissimi artium scriptores non omnino certis hæc regulis disseruisse noscantur. Sed non ego perinde tibi nunc excusationes aucupor, quasi ille tuus et non calami potius, quam inadvertentis animi lapsus

sit, quod ipsum quoque venia dignum erat; hic vero tam nihil culpæ est, ut nullus veniæ locus detur. Quando enim ingenio tuo orique aureo excideret, quod procul dubio si vel dormiens loquereris adverteres? Multa furatur calamus et plura sæpe magnis ingeniis et magna tractantibus. Nihil habenti nil eripitur: magnorum domini parva damna non sentiunt;

Pauperis est numerare pecus,

inquit Naso. Sic est ingenium locuples quasi divitis heri domus, quæ, quo maioribus aucta lucris, eo magis servilibus furtis obnoxia est. Tu ergo *perfluxi* dicere voluisti, et profecto dixisti: calamus iugi opere fatigatus geminam subticuit consonantem. Parce suspicionibus; iam maior es quam qui vel obtrectatorum iudicio in talibus per ignorantiam labi possis. Sed vide, oro, cogita et intende acriter, non tantum stilo ne obsit, sed animo etiam ut prosit error calami. Vide, amice, quanto nobis omnibus, qui pulverem palestræ huius attingimus, maior sit eloquentiæ cura quam vitæ, et antiquius famæ studium quam virtutis. Quanta, quæso, vigilantia cavemus, nequid in sermone sordidum incultumve sit cum vitæ interim negligentes, multa ibi squallida prorsus et horrentia contemnamus! Ita paucorum humanorum servantissimi divina iussa transgredimur, quando ut bene vivamus lex immobilis Dei est, ut non sic aut sic loquamur humanum placitum atque conventum, quotidiani usus imperio motum sæpe movendumque; cum, ut ait Flaccus,

lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit et nova rerum
Nomina protulerit,

in quibus et Ciceronem et Virgilium sequentesque alios multa mutasse, et vel auctoritate vel consuetudine mutaturos esse non sit dubium. Hæc nimirum est illa perversitas, quam Pater Augustinus in confessionibus suis deflet. Cuius verba quoniam mihi placuerant, et tibi placitura ratus inserui. *Vide*, inquit, *Domine Deus meus, quomodo diligenter observent filii hominum pacta litterarum et syllabarum, accepta a prioribus locutoribus, et a te accepta æterna pacta perpetuæ salutis negligant, ut qui illa sonorum vetera placita teneat aut doceat, si contra disciplinam grammaticam sine aspiratione primæ syllabæ Ominem dixerit, magis displiceat hominibus, quam si contra tua præcepta hominem oderit cum sit homo.* Multa ibi præterea in hanc sententiam queritur, nec iniuste. Cum enim eloquentia sit paucorum valde, virtus autem omnium, quod est paucorum omnes appetunt, quod est omnium nemo. Neque enim hoc grammaticæ tantum exprobratum putes. Quem mihi poetarum dabis, qui non prius eligat vita claudicare quam carmine? Quem historicum, qui cum res omnium sæculorum litteris, memoriæque mandaverit, quod reges egerint aut populi, quæ rerum series, quæ temporum alios docuerit, quid ipse agat, rerumque suarum ordinem, vitæque brevis reddere rationem velit aut valeat? Iam ut percurram reliquos, ostende mihi rhetorem, qui non magis orationis deformitatem horreat quam vitæ. Ostende mihi dialecticum qui non ab affectibus propriis quam a conclusiuncula vinci malit adversarii. Sileo aritmeticos et geometras qui omnia numerant, omnia metiuntur, unius animæ numeros ac mensuras negligunt. Musici nume-

rum ad sonum referunt; huic studio omne tempus impendunt; hi sunt qui contemptis moribus tractant sonos, ciceronianum illud obliti: *maior et melior est actionum quam sonorum concentus.* Illic ne discreparet elaborandum erat, hic sperni poterat in quo tanto opere laboratur. Astrologi cœlum lustrant, astra connumerant; ausi rem, ut ait Plinius, etiam Deo improbam. Quid imperiis aut urbibus eventurum sit tam audacter, tanto ante denunciant; quid sibi quotidie eveniat non attendunt; lunæ solisque defectus prævident, præsentem eclypsim animæ non videntes. Iam qui clarum philosophiæ nomen habent vel rerum causas quærunt, ventosa iactantia, scire autem negligunt quid est Deus rerum creator omnium; vel virtutes loquendo describunt, vivendo destituunt. Postremo qui sibi nomen honestius præsumpserunt et divinorum scientiam sunt professi, quo deciderint vides. Ex theologis dialectici, atque utinam non sophistæ, neque enim Dei amatores, sed cognitores, neque idipsum esse cupiunt sed videri. Itaque cum alterum silentio sequi possent, alterum strepitu consequuntur. En quo mortalium redacta sunt studia. Oh! utinam scires, quantus nunc me urget impetus, quantus dicendi calor accendit, ut de his copiosissime disseram; sed maior confusiorque rerum area est, quam quæ præsenti calamo verri queat, et, nisi fallor, super iocoso tuæ brevis epistolæ fundamento satis ædificatum est. Ad hæc et mihi semper optatæ solitudinis otiique dulcedinem quanta nuper invisæ frequentiæ et insperatarum occupationum amaritudo consperserit, forsan audisti. Nimium diu felix fueram, nimium diu liber, nimium meus. Invidisse fortunam dicam, an

forte cœlitus actum esse ne lascivire animus voti compos inciperet? Fateor enim: solitudo, otium, libertas, nonnisi perfectæ virtutis consumatique animi, bona sunt: unde me multum abesse sentio et lugeo. Profecto autem animo passionibus obsesso, nil otio peius, nil solitaria libertate damnosius. Tunc obscœni subeunt cogitatus, subit insidiosa luxuries, blandum malum, et familiaris ociosarum mentium pestis amor, quibus ego me laqueis absolutum rebar, sed forte fallebar. Ferenda fidelis medici licet asperior manus: forte latentibus consulitur malis aut redivivis morbis occurritur, et forte brevi incommodo longa præteriti venturique ocii felicitas commendatur. Certe ego *dum fata Deusque sinebant*, ut Virgilii verbis utar, ocio meo cupidissime fruebar, et fruerer si mansisset. Sic mutatæ rerum sortes: imparatus non sum etsi caussæ effectuumque sim nescius. Proinde quod in finem valde optas, ut merearis inter discipulos meos dici, quid nisi nimis amicum et modestum et humile votum est? Inter amicos diceris eosque non ut vulgus, sed ut docti vocant, quorum vides quanta penuria est. Ego te quidem ut studiorum et voluntatum omnium, ut patriæ nominisque participem habeo, sic, si quidquid est, et gloriæ velim: haud ignarus feliciter me hoc contubernio mercari, opulentamque societatem, magnamque lucri spem parvo mihi famæ peculio comparari, et Vale.

Mediolani, XVI. Kal. Octobris.



FRANCISCI PETRARCÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS
LIBER SEPTIMUSDECIMUS.

EPISTOLA I.

FRANCISCUS PETRARCA GERARDO FRATRI S. P. D.

Quænam vera philosophia, quæ vera lex, quis utriusque optimus sit magister.

Religiosi cuiusdam viri manibus religiosior mihi libellus tuus allatus est. Aperui lecturus, at in crastinum: erat enim pars diei ultima. Ipse mihi blanditus est, ut ait Seneca: ita non ante deposui quam totum in silentio perlegissem: ita cœna corporis in noctem dilata, splendide interim cœnatus animus cibis suis suaviterque refectus et delectatus sum, germane unice, plus quam dici potest, intelligens non modo propositi sancti constantiam speratam semper ex te, aut contemptum rerum fugacium ab olim mihi notissimum, sed insperatam et inopinam hanc copiam litterarum, quarum expers, religionem illam Deo gratissimam ac pene nudus intrasti. Quamvis enim in litteris non sit salus, est tamen fuitque iam multis ad salutem via; signum præterea excellentis et facile in altum evasuri animi, posse rem tantam sine præceptore percipere: licet ut

verum fatear, non tu hoc sine præceptore perceperis : sed cum habueris præceptorem qui non tantum colere possit ingenium, sed largiri ; sub quo te brevi tempore profecisse adeo non miror ; cum sæpe dicto citius summam ille virtutem ac sapientiam multis infuderit, multos ex imis tenebris ad supremam lucem nutu miserante subvexerit, te quoque nunc frater aspiciendo et miserando doctum ex indocto, et de naufrago salvum fecit. Illi laudes et gratias, non tibi, ne quid forte me tibi hodie adulatum putes ; quod si nunquam feci, non est huius ætatis ut incipiam. Solebant equidem prisci viri studiorum causa Cecropias Athenas petere, præsertim antequam ut militiæ atque imperii, sic litterarum quoque Roma fons esset. Nostra sæcula Parisios aut Bononiam petunt, quam nos, meministi, etiam prima ætate petivimus: quod frustra quidem sed sæpe amicorum cupiditas questa est : nos autem semper non in ultima divinorum muuerum parte posuimus. Ita peregrinationes sumptuosas atque difficiles avide subit humana durities, nullumque respuit laborem, quo ventosæ pars una philosophiæ, aut legum insidiosa loquacitas quæratur, ac singulis hauriendis exhauriatur ætas tota, nulla parte temporis curis melioribus deputata. Tu veram philosophiam veramque legem vix dum pleno decennio didicisti. Nolo enim opineris hanc esse philosophiam quam in una urbe mille nunc homines profitentur : non adeo vulgare bonum est, ut multi credunt. Hæc quam prostitutam vulgo cernimus quid intendit, nisi sollicite atque anxie circa questiunculas et verba versari, quorum ignorantia uon sæpe minus tuta, forte etiam tutior quam scientia est? Ita penitus oblivioni

veritas datur, negliguntur mores boni, res ipsæ spernuntur, in quibus philosophia illa nobilis est, quæ neminem fallit. Inanibus tantum verbis intenditur. Quod ita esse philosophorum vita testatur, nihil implens omnium quæ prædicat. « Quotus enim quisque philosophorum invenitur, » ut in Tusculano suo Tullius ait, « qui sit ita mora-
» tus, ita vita et moribus institutus, ut ratio postulat: qui
» disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed le-
» gem vitæ putet, qui obtemperet ipse sibi, et decretis
» suis pareat? Videre licet alios tanta levitate et iactatione
» ut eis fuerit non didicisse melius: alios pecuniæ cupi-
» dos, gloriæ nonnullos, multos libidinum servos, ut cum
» eorum vita mirabiliter pugnet oratio: quod quidem mihi
» videtur esse turpissimum. Ut enim, si grammaticum se
» professus quispiam, barbare loquatur, aut si absurde
» canat is qui se musicum velit haberi, hoc turpior sit
» quod in eo ipso peccet, cuius profitetur scientiam, sic
» philosophus in vitæ ratione peccans hoc turpior est
» quod in officio, cuius magister esse vult, labitur, ar-
» temque vitæ professus delinquit in vita. » In quibus Tullii verbis illud inter multa notabile, quod philosophiam non verborum artem dicit esse, sed vitæ. Vis, amantissime frater, nosse, si forte non nosti, quænam philosophia vera sit, ut intelligens quantum in ea brevi tempore profeceris, alacrior pergas ad reliqua? Vis omnibus, qui falso philosophiæ nomine tumescunt, negatas aures mihi præbere, meque unum hic audire, imo non me, sed philosophorum principem Platonem, et Christi philosophum Augustinum libro Supernæ Civitatis undecimo? « Nunc, inquit, satis sit commemorare
» Platonem determinasse finem boni esse secundum

» virtutem vivere, et ei soli evenire posse qui notitiam » Dei habeat et imitationem, nec esse aliam ob causam » beatum. Ideoque non dubitat hoc esse philosophari, » amare Deum; cuius natura sit incorporalis; unde » utique colligitur tunc fore beatum studiosum sapien- » tiæ (id enim est philosophus), cum frui Deo cœpit. » Quamvis enim non continuo beatus sit qui eo fruitur » quod amat (multi enim amando ea quæ amanda non » sunt, miseri sunt, et miseriores cum fruuntur), nemo » tamen beatusest, qui eo quod amat non fruitur. Nam » et ipsi qui res non amandas amant, non se beatos » esse putant amando, sed fruendo : quisquis ergo frui- » tur eo quod amat, verumque et summum bonum » amat, quis eum beatum nisi miserrimus neget? ipsum » autem verum et summum bonum Plato dicit Deum, » unde vult esse philosophum amatorem Dei, ut quo- » niam philosophia ad beatam vitam tendit, fruens » Deo sit beatus qui Deum amaverit. » Hæc apud Augustinum sententia Platonis ad verbum relata est, qui unus ex omni philosophorum cœtu propinquior accessit ad veram fidem : quem in hoc ut in aliis multis complexus Augustinus eodem libro: « Philosophiæ ipsum » nomen, inquit, si latine interpretemur amorem sa- » pientiæ profitetur. Porro si sapientia Deus est, per » quem facta sunt omnia, sicut divina auctoritas veri- » tasque monstravit, verus philosophus est amator » Dei. » Quibus illud incunctanter addiderim apud nos qui quotidie fatemur Christum Deum nostrum, consequenter veraciterque concludi verum philosophum nonnisi verum esse christianum. Quid vero mihi tribuo? nihil est additum a me præter Christi nomen.

Quid enim aliud sentiebat Augustinus ipse ubi ait: « Si sapientia Deus est, per quem facta sunt omnia, » hic enim procul dubio est Christus. Etsi enim una- » quæque persona Trinitatis Deus sit, quod fateri, ut ait » Athanasius, christiana veritate compellimur, atque ita » sit summa potentia, summa sapientia, summa bonitas, » proprie tamen Christus sapientia Patris est, per quem » omnia facta sunt, quod et ex Evangelio Iohannis et » ex symbolo fidei assidue cautat Ecclesia. » Et Augustinus idem veræ religionis libro de operibus Trinitatis agens: « non aliam, inquit, partem totius creaturæ » fecisse intelligatur Pater, aliam Filius, aliam Spiri- » tus Sanctus: sed simul omnia et unamquamque » creaturam Patrem fecisse per Filium in dono Spiri- » tus Sancti. » Hoc est quod idem et sæpe alias et in eiusdem libri fine repetiit. « Unum Deum a quo su- » mus, per quem sumus, in quo sumus » et rursus: « unum Deum a quo omnia, et per quem omnia, in » quo omnia. » Idem XI de Civitate Dei: « Cum in » unaquaque creatura, inquit, requiritur quis eam fe- » cerit, per quid fecerit, quare fecerit, respondeatur » Deus per Verbum quia bonus est, ut cum altitu- » dine mystica nobis ipsa Trinitas intimetur, hoc est » Pater et Filius et Spiritus Sanctus. » Et post pauca: « Credimus inquit et tenemus et fideliter prædicamus, » quod Pater genuerit Verbum, hoc est sapientiam, per » quam facta sunt omnia, unigenitum Filium, vivus » vivum, æternus æternum, summe bonus æqualiter » bonum. » Non expedit quæ sequuntur inserere, cum omnis de ipso loquens scriptura omnia per ipsum facta confirmet. Si hæc igitur Sapientia est Deus, idemque

Christus Dei Filius, philosophia autem sapientiæ amor est, ex ipsis etiam Augustini verbis sine dubietate concluditur, verum philosophum nisi Dei amatorem verumque Christicolam esse non posse. Hanc tu philosophiam, germane optime, non Athenis aut Romæ, non Parisiis, sed devoto in monte ac religioso in nemore feliciter apprehendisti, multo illis verior securiorque philosophus qui, ut Augustinus idem ait: « Si quando » ad disputationem venitur, Platonico nomine ora cre- » pantia quam pectus vero plenum magis habere ge- » stiunt. » Quod si de Platonicis etiam verum est, qui ex omni philosophorum acie præferuntur a nostris, quanto de illis est verius, de quibus Apostolus loquens ait: *cavete ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem seductionem secundum elementa mundi*, qui scilicet alias atque alias, quas nunc enumerare non oportet, innumerabiles sectas ex infinitis erroribus extruxerunt?

Quid nunc de legibus me dicturum putas? Multos legum inventores diversis in gentibus fuisse novimus. Sed ut obscuriora prætercam, clari sunt legibus inventis apud Argos Phoronæus, apud Lacedæmonios Licurgus, apud Athenienses Solon, cuius leges ad Romanos inde transvectæ, multum ornatus atque amplitudinis acceperunt. Hinc lex duodecim tabularum legesque aliæ et Senatus Consulta et plebiscita et honorarium ius prætorum, postremo dictatorum ac principum edicta. Hæ autem leges omnes, et, si quæ aliæ sunt, sicut humanitus adinventæ, sic humanitus immutatæ per varietatem temporum mutatis affectibus et voluntatibus hominum, in quibus illæ fundatæ erant; commune est enim ut una lex aliam corrigat. Vis æternam

legem esse? æternum illi subiicias fundamentum. Lex populo Israelitico per Moysen, Deo dictante, data est. Illa quidem stabilior: sed nequaquam æterna. Certe per Moysen lex, per Iesum Christum gratia implens legem. Ille non evacuans, sed implendo, non quidem legem ipsam, at multa legis sacramenta finivit. Unde in Psalmo CXLIII Augustinus: « Meministi, inquit, quanta » in veteri lege et legamus et non observemus. Sed » tamen aliqua significatione præmissa et posita intelligamus, non ut abiiciamus legem Dei, sed ut sa» cramenta promittentia impleta promissione non ce» lebremus: quod enim promittebant venit: gratia » enim novi Testamenti in lege velabatur, in Evan» gelio revelatur: velum removimus, quod velabatur » agnovimus. Agnovimus autem in gratia Domini nostri » Iesu Christi capitis et salvatoris nostri, qui pro nobis » crucifixus est, quo crucifixo etiam velum templi » conscissum est. » Quod Augustini testimonium præcipue propter hoc ultimum inserui, ut liquido animadvertas scissuram veli quam in Evangelio legimus, figuram ingentis cuiusdam ineffabilisque mysterii fuisse, significantem velo veteri, quo usque in illum diem legis arcana tegebantur, Christi passione conscisso, revelata omnia populo humili ac novo, quæ superbia antiquior tumidis et caligantibus oculis non vidisset. « Iudæi » enim quamvis uni omnipotenti Deo supplicent, ut » alio quodam loco Augustinus idem ait, sola tamen » temporalia et visibilia bona de illo expectantes, ru» dimenta novi populi ab humilitate surgentia in ipsis » suis scripturis nimia securitate noluerunt advertere, » atque ita in veteri homine remanserunt. Vetera au-

» tem, ut ait alibi idem, quamvis priora sint tempore » nova tamen anteponenda sunt dignitate; quoniam » illa vetera præconia sunt novorum. » Itaque ut ad propositum revertar lex ipsa Mosaica, quamvis humanarum legum omnium sanctissima, ipsa tamen, ut vides, in multis gratiæ cessit, quæ per Iesum Christum facta est. Huius autem solius est lex illa immobilis et æterna nulli unquam cessura; sed cui vel cessuræ sunt omnes vel cesserunt. Hæc est illa suscipienda lex Dei, de qua Lactantius Cæcilius Formianus non otiose agit in quodam loco « quæ nos ad sapientiæ iter dirigit, illa » sancta, illa cœlestis quam Marcus Tullius in libro » *de Republica* tertio pene divina voce depinxit. » Cuius ego ne plura dicerem verba subieci. « Est quidem, inquit Cicero, vera lex, recta ratio, naturæ congruens, » diffusa in omnes, constans, sempiterna quæ vocet ad » officium iubendo, vetando a fraude deterreat; quæ » tamen neque probos frustra iubet aut vetat, nec im» probos vetando aut iubendo movet. Huic legi nec » obrogari fas est, neque derogari aliquid ex hac licet, » neque tota abrogari potest: nec vero aut per sena» tum, aut per populum solvi hac lege possumus, ne» que est quærendus explanator, aut interpres eius » alius, nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, » alia posthac; sed et omnes gentes et omni tempore » una lex et sempiterna et immutabilis continebit; » unusque erit communis quasi magister et imperator » omnium Deus; ille legis huius inventor, disceptator, » lator: cui qui non parebit ipse se fugiet et naturam » hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas pœnas, » etiamsi cœtera quæ putantur supplicia effugerit. »

Hæc est ergo, mi frater, Ciceroniana lex Dei, quam vir ille, non dicam quod Lactantius ait, longe a veritatis notitia remotus, sed qui veritatem hanc Christo, quem non noverat, revelante cognosceret, adeo significanter expressit, ut significantius nemo posset aut brevius eorum quoque qui veræ fidei sacramentis initiati sunt: quod sine dubio, in hoc enim a Lactantio discordo, divino aliquo spiritu instigatus fecisse credendus est. Scis autem cur immobilis divina lex est? quia ab illo lata est qui semper idem ipse est, et anni sui non deficient, et de rebus est non transeuntibus, neque mutabilibus, sed æternis, et si nonnunquam de transitoriis loquatur, in ipsa tamen mente legislatoris omnia ad æternam illam referuntur vitam, ultra quam nihil est. Ita legem ab infinito et immutabili et de immutabilibus atque impossibilibus aliter se habere editam, in æterna republica interminabilem quoque et immutabilem esse necesse est. Huius auctor legis est Christus, et hæc est illa *lex Domini immaculata convertens animas*, de qua loquitur Psalmista, illudque *testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis*. Hanc tu legem, germane carissime, non inter scholasticorum greges in strepitu, sed solus in silentio didicisti; quod utique non fecisses si parvulus non fuisses. Pro parvulis enim humiles accipi locus ille testatur, ubi scriptum est: *sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum;* et ille: *abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis*, sed in primis ille a te non prætermissus ubi cum dixisset, *custodiens parvulos Dominus*, ut aperte monstraret qui sint isti parvuli mox adiecit: *humiliatus sum et liberavit me:* tanquam si diceret: cum custodiat Dominus parvulos

ut me quoque custodiat humilitate parvulus factus sum. Cœterum huic tantæ docilitati idoneus præceptor accessit, non in philosophis Aristoteles, non Pythagoras aut Plato, non in lege Papinianus non Ulpianus aut Scævola, sed Christus utrobique. Sub tanto magistro facile devotum et humile fructificavit ingenium. Illum ama, illum cole, illi (quia nihil aliud illo dignum habes) multo dignius quam Eschines Socrati da te ipsum: meliorem reddet ille te tibi; quod discipulo suo Socrates pollicetur iste præstabit. Age illi gratias semper, cum pro multis, tum pro eo nominatim, quod hunc tibi animum dedit, quem antequam daret non habebas, neque hic verearis ne sis nimius, neve ut gratias agendo, laudando et amando illius beneficentiam excedas, quam æquare nunquam poteris cogitando. Hoc unum est quo illud Terentii trahi nequit: *ne quid nimis*; de quo illud potius vere dicitur: nunquam satis. Ac ne forte tam efficax Christi magisterium mireris quod sub illo tantum brevi tempore profeceris, quantum nec in academia Platonis nec in omnium philosophorum aut iurisconsultorum scholis toto tempore profecisses, cogita quantalibet hominis magnitudo Deo comparata quam sit nihil omnino. Plato magnus vir, magnus Pythagoras, magnus Aristoteles, magnus Varro. Ita dico magnus horum quilibet si per se consideres. Non magnæ staturæ fuisse fertur Augustus Cæsar; verum adeo elegantis ut facile corporis brevitatem venustate redimeret; id vero non amplius quando quisquam procerior accessisset: tunc ingenio dissimulata brevitas apparebat. Vis tu et horum qui maximi videntur magnitudinem veram nosse? unum quemlibet ex illis vel potius omnes simul, et quotcum-

que præcesserunt aut sequuti sunt aut usque in finem sæculi sequentur, confer uni Christo. Videbis elata forte sed iam inania nomina, et quod valde suspexeras cognita veritate despicies. Subito splendor ille cessabit, nisi sol iustitiæ Christus illuxerit; ad quod credendum quamvis non sis exhortandus, ut tamen securius maiori fide credas velim cogitanti tibi de hac re ad memoriam redeat ille psalmi locus: *absorti sunt iuncti petræ iudices eorum:* sive ut translatio vetus habet: *absorti sunt iuxta petram iudices eorum.* Petra autem ut novimus Christus est. Itaque locum illum exponens Augustinus « tota terra, » inquit, a solis ortu usque ad occasum laudate nomen » Domini: Quid faciunt pauci aliter disputantes? iudices » sunt impiorum. Sed quid ad te? vide quid sequitur. » Absorti sunt iuxta petram iudices eorum. Petra autem » erat Christus. Absorti sunt iuxta petram: iuxta idest » comparati iudices magni, potentes, docti. Ipsi dicun- » tur iudices eorum, tanquam iudicantes de moribus, et » sententiam proferentes. Dixit hoc Aristoteles; adiunge » illum petræ et absortus est. Quid est Aristoteles? » Audiat, dixit Christus, et apud inferos contremiscit. » Dixit hoc Pythagoras, dixit hoc Plato: adiunge illos » petræ, compara auctoritatem illorum auctoritati evan- » gelicæ, compara inflatos Crucifixo. Dicamus eis; vos » litteras vestras conscripsistis in cordibus superborum. » Ille crucem suam fixit in cordibus regum. Postremo » mortuus est et resurrexit: mortui estis et nolo quæ- » rere quemadmodum resurgatis. Ergo absorti sunt » iuxta petram istam iudices eorum: tamdiu videntur » aliquid dicere donec comparentur petræ. » Hæc ad litteram Augustinus. Multa quidem hodie ut vides de

alieno supra morem meum interserui: quamquam, ut a doctis viris accepimus, quidquid ab ullo bene dictum est nostrum sit, vel utendo certe nostrum fieri possit. Est enim ut rerum sic et verborum usucapio. Feci autem ut plus fidei dictis meis esset apud te tantorum hominum testimonio probatis, apud quem tamen fateor ut magna mihi semper auctoritas fuerit, quod sine ullis externis adminiculis non meritum quidem meum sed tua vere utique germana charitas fecit. Et hactenus quidem, frater, lætissimo stupori meo qui ex insperata litterarum tuarum ubertate oritur, responsum sit. Nihil modo prorsus ad reliqua, nisi quod quæcumque libellus ille tuus continet, quæ sunt multa, magno plausu complector, et laudo, supplicibusque votis postulo ne minus adiuvent animum quam delectant. Vale, decus meum.

Modoetiæ, VII Idus Novembris.

EPISTOLA II.

FRANCISCUS PETRARCA ADOLESCENTI SUO S. P. D.

Adolescentiam eius malis moribus inquinatam obiurgat, et honestioris vitæ initium suadet.

Hactenus huc infame nomen et obscurior in dies rerum tuarum fama pervenerat. Dolebam tacitus, dumque genus aliud supplicii parabatur, graviora promeritum severo silentio puniebam; quamvis et latentior interim pœna non deforet; si quidem pias nimis erga te manus, etsi propter locorum distantiam a ferula fe-

riantes, a solita tamen liberalitate retraxeram, quas non prius ad consueta convertam, quam tu ad virtutis iter rectum ab adolescentiæ tuæ præcipiti domo (*sic*) revertaris, nulli penitus de te nisi aut publicæ famæ, contrariæ vel experientiæ crediturus. Cæterum ut modo tantisper silentium interrumpam amicus hic noster cogit, qui si minus te amaret, plus apud me fidei mereretur. Sed ut sint vera quæ ille de te loquitur, quando id natura rerum fert ut facile credat quisque quod cupit, persevera et incumbe, præteritamque segnitiem cursu velociore compensa. Sin falsa sunt, fac vera esse incipiant. Per te ipsum moneo et obtestor, si qua tibi tui cura est, si quis amor gloriæ, si quis metus opprobrii; ad me enim ex te nihil nunquam nisi flosculi quidam, spes solicita, et anceps venturi gaudium forte perveniet. Tu, si mihi credideris, post me laborum tuorum et huius temporis dulcissimos fructus leges.

EPISTOLA III.

FRANCISCUS PETRARCA GUIDONI ARCHIDIACONO GENUENSI S. P. D.

Dilatum eius in Italiam adventum dum improbat, excusat ob cladem Genuensium a Venetis in navali bello confectam, illosque tum viribus tum animo cecidisse conqueritur.

Consilium tuum ut nec probem nec improbem ipsa perplexitas rerum facit. Quis enim probet te in terra

omnium pessima atque fœdissima, mutato repente proposito fixisse tentoria? Contra vero quis improbet te, rebus ita se habentibus, optatum patriæ perhorruisse conspectum, omnia potius eligentem, quam publicas spectare miserias? Quid enim melius, ubi opitulari nequeas, quam oculos avertere, ne mala videas tuæ gentis? Fugiendum extra terrarum orbem fuerat, ne illa conspiceres, quæ mœstus audisti, et quibus occurrere non tuarum virium, non compati, non tuæ erat humanitatis et amoris in patriam notissimi. Quid vis dicam nisi quod soleo? Sæpe de hac re sententiam meam dixi, et sæpe illam repetendo meam facio: nusquam terrarum mora tranquilla est. Illic bellum, hic tristior bello pax, illic aer infectus, hic quod est pestilentius infecti mores: illic fames avida, hic fame periculosior exundans copia: illic calamitosa servitus, hic servitute peior insolens libertas; illic sitiens et inaquosa regio, hic fluminum vagus furor; denique illic æstus, hic frigora, illic ferarum impetus, hic hominum doli; illic solitudo vasta et horribilis, hic gravis et importuna frequentia. Ita locus ille quem quærimus nusquam est. Quid agendum? Migrandum ne ocius ex hac vita? Non licet id quidem: quamlibet ob causam non licet: sileat amicus Seneca: melior sententia Ciceronis. *Et tibi*, inquit, *et piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius a quo ille nobis est datus ex hominum vita migrandum.* Nobile dictum; nec ratio ignobilis: *ne munus*, inquit, *humanum assignatum a Deo diffugisse videamini.* Efficaciter quidem ac præclare. Si enim temporalis imperio ducis assignatam custodiam miles tenet, nec nisi eodem ipso iubente deserit, aut

si id egerit, pacato eius privatus aspectu ignominiam et carcerem timet et verbera et mortem, quid de contempto æterni regis imperio æstimandum est? Itaque nihil præcipitanter agi oportere palam est: patientia difficultas vincitur, optimumque est Psalmistæ consilium, expectandum Dominum, agendumque viriliter, ut illo scilicet vocante respondeamus intrepidi; interea taciti per patientiam expectantes, dignos nos facere studeamus qui dexteram in partem vocemur a Domino. Ciceronianum quoque consilium salutare ut interim « colamus iustitiam et pietatem, quæ cum sit magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxima est, et ea vita via est in cœlum. » Quo dicto quid intendit aliud nisi quod nostri loquuntur, viatores nos ostendens, quibus sit ad cœlum ubi patria est nostra, bonorum alis operum bonarumque cogitationum gressibus ascendendum; quod facilius fiet, ut eidem placet, si iam nunc dum sumus in corpore eminebimus foras, et ea quæ extra sunt contemplantes, quam maxime nos a corporibus abstrahemus. Hæc mihi videntur in hac tanta difficultate sanctorum atque doctorum hominum sana consilia: nam Senecæ præceps illud et exoticum dogma, quod vir alioquin doctissimus non vidit, dum temporales fugit ærumnas, incidit in æternas. Horum igitur omnium hæc summa est: non amandus est carcer in quo sumus, sed nec anticipandus exitus, ne quod multis accidit, dum carcerem fugimus, præcipitio pereamus. Sic vivendum in carcere, ut cum venerit tempus nostrum, felicem hinc exitum mereamur. Sane quod ad præsentis temporis statum attinet, ut ad propositum vertar, nego locum esse sub astris ubi non multa fa-

stidia nobilem animum fatigent, adeo ut nemo tam fortunatus, nemo tam cupidus vitæ sit, qui si patientiæ frænum desit, non et vitæ odio et mortis interdum desiderio teneatur. Sicut autem in terris esse pessimum est, sic ad cœlum scandere sub terrenorum piaculorum fasce difficile, et sicut hinc abire suopte arbitrio vetitum, sic neque hic contra superioris imperium momento temporis esse licet. Ita quocunque te verteris difficilia omnia et aspera et intractabilia et misera. Attamen quanta cœcitas! etsi adversus vitæ tædia sæpe mortis auxilium imploremus, tamen cunctis excussis, seu conscientiæ metus est, seu voluptatum illecebræ, seu insitus horror mortis, nil magis cupimus quam hic esse. Cupiamus oro iam tandem esse alibi, et quamvis rei, Dei misericordia confisi, cupiamus aliquando dissolvi et esse cum Christo: sed dum optata certe vel optanda venit dies, mentibus precor in cœlo, corporibus hic simus, sobrie patienter humiliter, et iniquitatem locorum æquitate animi molliamus.

Ego te quidem in Italia, Deum testor, summo desiderio præstolabar, morasque tuas oderam, quod prius autumni temperies quam adventus tui nuntius adesset. Pepercerain enim, imo misertus eram tibi dum æstate media ægrum te post terga relinquerem, neque ab incolumi exegissem ut nulla urgente necessitate Phoebeis caput ardoribus obiectares, interque Cancri rabiem ac Leonis delicatiore corpusculo pulverem mecum susciperes ac sudorem, ad quos ego nescio qua fatali sed inermi militia natus sum. Cum vero iam sol transiisset in Virginem, Libramque conspiceret, mirabar quænam ista segnities, et amœnissima Italiæ rura cœ-

lique clementiam cernens, mecum sæpe dicebam: nunc ille quid agit, nisi quod promissi sui immemor, nostræque oblitus amicitiæ, Babylonicum cœnum terit, et tantus amator libertatis laudatorque modestiæ, sponte sua superborum liminibus obversatur? Si ambitione tractus nihil inanius, si avaritia nihil obscœnius. Quis autem finis? an dum cumulo rerum sit extincta cupiditas? quærendo illa magis magisque succenditur. Deme divitias, avaritiæ subtraxeris fundamentum. Pauper enim non nisi necessaria vitæ cupit, quæ sunt pauca: dives qui iam nummorum cumulos vidit, didicitque immensa et inutilia mirari, protinus aureos montes et argentea flumina cupida sibi meditatione componit. Quamobrem si ad finiendam leniendamve cupidinem magnas divitias optamus, in adversum nitimur. Crescet illa successibus et latenter obrepet, nec cupiditas tantum, sed necessitas evitata succrescet: nullusque laborum erit modus, nisi cum intelligere cœperis omnes hos laqueos contemptu opum dissolvi posse non opibus. Dum talia volverem iratus tibi et fortunæ meæ, ecce subito fama tristior infelicis Ianuensium belli terribili tonitru perculit aures meas. Obrigui stupens, et ad te animo conversus: heus, inquam, amice fortunate, ut in malis! Nam sive ista præsenseras et magna quidem consilii tui vis; sive nil tale præsagienti contigit abesse, et tecum in eo saltem clementior tua sors, quod admodum fero spectaculo te dimovit. Certe quicquid horum verius, tarditas tibi celeritate melior fuerit; mala saltem miserabilis patriæ non videbis. Quid vero nunc loquar? Quibus verbis magnitudinem rei æquem? Quod verebar accidit: Id si dicam mentiar:

imo vero accidit quod vix possibile arbitrabar. Ianuensium classem profugam mare vidit et stupuit. Nam si raritas miraculum facit, quid rarius quam Ianuenses in pelago iusta acie vinci? Quamvis nec iusta acies, nec par classis, sed auxiliorum illuvies externorum, et plures adversus unam gentes, et exercitus inde numerosior, et cum ventis atque hostibus prorsus non æquo Marte certatum est. Nec tamen ideo mirari desino, aut unquam desinam, dum meminero ab avorum temporibus non auditum, quin quælibet bella maritima, licet impar numero Ianuensium virtus, et conspecta illius urbis signa confecerint. Sed quid loquor, aut ubi sum, ut ait ille? Hæc fortunæ solita fides est. In terris vitam agimus, ubi nulla unquam fuit longa prosperitas, nulla erit. Somnia sunt quæ nos lætos faciunt ac mœstos. Somniantes Deus excitat. Iudicia eius abyssus multa, consiliorum eius infinita profunditas, inæstimabilis altitudo. Forsitan sic expediebat insolentiæ, ut quam prosperitas iugis aluerat, adversitas inopina compesceret. Longi sæpe culpam temporis brevis hora castigat ut nihil aliud. Utilis sæpe felicibus fuit adversitas, qua monerentur esse se quidem fortunatos, sed fortunæ imperio non exemptos. Africani verbum est a Panætio relatum, a Cicerone autem officiorum libris insertum: ut equi propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes domitoribus tradi solent ut iis facilioribus possint uti, sic homines secundis rebus effrænatos sibique prærfidentes, tanquam in gyrum rationis et doctrinæ duci oportere, ut perspicerent rerum humanarum imbecillitatem varietatemque fortunæ. Quod quid est aliud dictu quam quod

ait Psalmista, sed aliis verbis et brevius, *ut sciant gentes, quoniam homines sunt?* Multos quidem cogit humanæ conditionis oblivisci nimia felicitas: quod ubi accidit, non modo utile sed necessarium est flagellum, quo excitentur et sentiant quoniam homines sunt non dii. Alexandrum Macedonem multis erroribus, et ante alios opinione falsæ divinitatis inflatum, ut qui se filium Iovis adulantibus credidisset, hominem esse non Deum in India susceptum vulnus admonuit: cuius apud Senecam expressa confessio veri est; *omnes*, inquit, *iurant esse me filium Iovis, sed vulnus hoc hominem me esse clamat.* Sapienter id quidem, ut ab homine non tam rationi credere solito quam fortunæ. Si Martem belli Deum credi fecere victoriæ, si quarumdam artium successus inventoribus earum inde sumptum divinitatis nomen imposuit, cur non tanto pelagi successu, tot tantisque victoriis credi poterat Ianuenses æquoris deos esse? Eventus docuit homines esse terrenos: prosperitas periit, sed non sola, simul enim et prosperitatis comes error evanuit. Quantum uni contrariorum demitur tantum accedit alteri, itaque quo minor fortuna est eo maior est ratio. Illa in consilium advocanda, quod inimica eius prosperitas non sinebat. Illa stupori nostro dolorique medebitur. Illa nobis fortunæ mores, constantiamque monstrabit. Quotiens vicit Hector, quotiens Hannibal, quotiens Pompeius? quisque victus est tandem: quam fortassis ob causam Iulius Cæsar, ut scriptum videmus, ad pugnandum, quod semper ardentissime fecerat, fieri cœpit extrema ætate cunctanctior. Noverat ille vir, quem natura ingeniosissimum fecerat, ars et experientia longa doctissimum, ubi ra-

dices haberet sua illa felicitas, et quod de eodem legimus sciebat expertus

> Quam non e stabili tremulo sed culmine cuncta
> Despiceret staretque super titubantia fultus[1];

ideoque fervorem magni animi modesto consilio mitigabat, multorum memor ille discriminum. Multiformiter hic erramus; nam et quæ videntur felicia non sunt, et quæ speramus duratura non durant, et quæ semel abiere non redeunt; nihil quale cœpit desinit; universa prætereunt: tempus fluit, annus vertitur, dies properat, volant horæ, sol obliquo calle circumflectitur, luna quotidie alia semperque dissimilis sibi, nunquam uno oculo fratrem videt. Hinc nobis hæc temporum peramœna varietas, amœnitasque pervaria, ut ubi modo nix riguit, rosa mox floreat, et qui modo nudus arentique similis truncus erat, mox frondibus vestiatur; qui tenuis nuper et æstivum resolutus in pulverem campus fuit, imbribus astringatur ac pinguescat assiduis. Omnia statum mutant, terræ, maria, cœlum ipsum; homo laboriosissimus incola nobilissimusque terrarum, cuius continue sortes tremunt, cuius mens movetur affectibus, corpus locis, cuius minuitur in dies animus, memoria senescit, ingeniumque retunditur, valetudo concutitur, robur atteritur, agilitas ingravescit, forma consumitur, viror excidit, mors insequitur, fugit vita. Sed cum sua omnibus sit vertigo, tamen creberrima omnium est alternatio fortunæ, quod acriter attendisse visi sunt qui rotam illi tribuere versatilem. Et miramur adhuc moribus usam suis? vincere victi possunt qui

[1] Lucan. Lib. V.

vinci potuere victores; et vincere et vinci bellicum opus est. Quisquis longæ viæ accingitur sciat alicubi se lapsurum: si secus evenerit, supra fortunam viatoris evenisse noverit, eventurumque aliter si longius processisset. Quos perpetuo victores legis, scito illos adversis casibus vel secessione ab armis, quod forsan Africano meo accidit, vel festina morte præreptos; quod multis, sed in primis eidem illi Alexandro, quem paulo nate nominavi, plurimum admirationis addidit apud indoctos, et pauca pensantes. De quo Livius: « Haud » equidem, inquit, abnuo egregium ducem fuisse Alexan- » drum, sed clariorem tamen eum fecit quod ûnus fuit » qui adolescens in incremento rerum nondum alte- » ram fortunam expertus decessit: ut alios reges cla- » ros ducesque omittam, magna exempla casuum hu- » manorum, Cyrum quem maxime Græci laudibus » celebrant, quid nisi longa vita, sicut magnum modo » Pompeium, vertenti præbuit fortunæ? » Hæc Livius. Cæterum hoc adversus variam instabilemque fortunam vitæ brevis auxilium optandum votis inconcussæ felicitatis nomen optantibus singulis forte regibus aut ducibus possit accidere; regnis atque urbibus non ita: quæ sunt non dicam immortales, ut Cicero, sed longævæ. Tanto igitur temporis excursu, tanta velut ætate reipublicæ difficillimum est quemvis victoriosum populum utramque fortunæ faciem non vidisse, ut neminem vinci pudeat. Roma victrix omnium quotiens victa est? Testes sunt infelicium præliorum dies, quos in annalibus damnatos, atros, infaustos, innominabiles ac funebres vocant: testantur tristis loca memoriæ, Allia, Cremera, Ticinum, Trebia, Trasimenus, Cannæ,

Thessalia, ubi se ipsam propriis manibus vicit Roma. Quæ si ante factum in animum venissent, scivissemus et Ianuam vinci posse. Sed ita est: amara cogitatio gustum ægræ mentis offendit. Vix est qui libenter cogitet quod torqueat; cogitantis facile animus ad dulciora convertitur. Ego quidem de me fateor, non cogitaveram diem hunc videre, non quod nescirem volubilem fortunæ rotam, sed virtute eximia sistendam rebar, et collatis externis nationibus quæ mare accolunt, spondebam mihi perpetuos successus. Hoc speravi fateor, hoc dixi, hoc denique scriptis inserui. Vis audire magnam scriptoris audaciam? Nec dum scripsisse me pœnitet, cum tamen falsum me scripsisse falsum sperasse res arguat. Quid igitur? An mentitum esse non pudet? Puderet utique, si mentitum me crederem; nunc vero ita demum mihi victorias semper et felicitatem perpetuam pollicebar, si civilis unitas infractæ concordiæ non deesset: quæ profecto defuit. Sunt qui odio ducis victos sua sponte milites affirment; quod si ita est, novum non est. Tale olim aliquid ex historiis scimus. Sunt qui odio militum ultro cessisse ducem ferant; quod si credimus exemplum flagitii non occurrit. Unum est quod penitus mœsto me stupore circumdedit, quod ad primum fortunæ vulnus consternatos fractosque animos video, quos putabam una ingens si ruina cœlum omne convelleret oppressura esset interritos. Quandoquidem huc e proximo raptim nuntius venit infelix. Nox erat et atræ nocti accessisse mihi visæ sunt tenebræ: toto corpore totoque animo cohorrui. Ut me recollegi, calamum mœstus arripui. Longa scribendi materia aderat, multa dolor, multa dicta-

bat indignatio, multa consolationis oratio concursabat, eamque mihi fiduciam dabat animi simplicitas, ut meum opus crederem, sicut ab initio et semper a bello italico dehortatus eram; deinde autem de externo hoste quæsitæ victoriæ plauseram, sic nunc animos labantes oratione firmare. Sed, ut video, iacent victique sunt quibus stantibus et invictis de nulla fortunæ iniuria desperandum erat. Volebam et iam cœperam præter rationes atque hortamenta virtutum, omnium gentium exempla congerere atque in primis Romanorum, quorum in omni præsertim bellica virtute primus est locus: qui post tot strages et post illud, ut historici vocant, pene ultimum vulnus imperii Cannis acceptum, imminutis nempe viribus, sed animis calamitate prope auctis, semper in aciem redeuntes victores suos eo maiore gloria vicerunt, quo abesse longius a spe victoriæ videbantur. Iungebam Lacedæmones indomitum genus et magnitudine animorum Romano generi proximum, qui ad Thermopylas ab immenso Persarum exercitu obruti, non multo post in Asiam ultrici classe transvecti sunt, sæpe quidem ab extrema rerum desperatione victores. Addebam Athenienses qui bello cum Lacedæmoniis suscepto, afflictis ad ultimum fortunis, amissis ducibus exercituque deleto, et Syracusio in æquore tota pene classe consumpta, quod unum supererat, servavere animos: brevique post terra marique per omnia sese magnifice ulti sunt. Nec silebam Pœnos quamvis infidos et varios, fortes tamen, qui sæpe retentatis armis et de magnis casibus resurgentes, tandem perire maluerunt quam servire. Et ut publicis exemplis privata succederent, puderetque quod ausus

esset unus vir universum populum non audere, Marcus Claudius Marcellus in medium trahebatur, qui cum die uno adversus hostem bellacissimum æquo certasset eventu, et idem die proximo victus esset, die tertio reversus in aciem victorem vicit Hannibalem. Citabatur in testem Cæsar qui ad Durachium licet absens victus, fuso exercitu, amisso centurione fortissimo, mox in Thessalia magno prælio victor fuit. Et ut virilem pudorem fœmineæ virtutis exprobratio prægravaret, meminisse iubebam gloriosi facinoris, quando Thamiris Scythiæ regina, quæ ab illo formidato rege Persarum Cyro magnis percussa vulneribus, cæso per insidias exercitu, et unico filio interfecto, non tamen muliebri consternatione deiecta est, sed pari arte regem aggressa victorem, virtutem comitante fortuna, regem ipsum cum ducentis Persarum millibus in æternum memorabili ultione mactavit. Hæc et horum similia dum prima facie dictare magno impetu animi cœpissem, ad aures meas primo mane perlatum est, nullum magnificis vocibus locum esse: cecidisse animis victos et agitari apud eos, humiliora dicam an cautiora consilia nescio quidem adhuc; expectabimus finem iudiciumque facilius. Tunc tamen infremui, fateor; abiectoque procul calamo, mecum ipse: quid ago? inquam: an illud oblitus sum *virtutem verba non addere?* Actum est de gloria urbis illius, sed ferendum. Cuius enim gentis immortalis erit virtus cum fuerit romana mortalis? Et urbibus et orbi senectus est sua, suum declivum, (*sic*), sua mors. Ad finem cuncta festinant: subeunda magno animo creatarum rerum omnium sors communis: omnia orta occidunt, et aucta senescunt.

Id si Sallustius non dixisset, scimus tamen, sed dissimulamus et nos ipsos fallimus. Itaque dum factum cernimus, quasi nesciremus attoniti lamentamur. Ego equidem non id queror accidisse, sed in nostrum tempus incidisse doleo. Quamvis et is ipse non sat virilis aut masculus dolor sit. Quid enim refert qualiter scias cuncta perire, dum scias? Quidam Romani finem imperii vaticinati sunt; cuius nondum finem, sed peiorem fine statum cernimus. Illi igitur periturum præviderunt, quod nos periisse conspicimus. Itaque licet nunquam fatum hoc Ianuensium vidissemus, ignotum tamen esse non poterat præteriti rationem ad ventura trahentibus, humanæque varietatis et inconstantiæ non ignaris. Superba Babylon corruit, et turris illa famosa quæ cœlo minabatur, vix nunc per terram sparsa conspicitur. Assyriorum sceptra cum mille trecentorum aut non multo secus annorum spatio floruissent, effœminato rege cæso per Arbacem præfectum, in Medos Persasque translata sunt. Inde autem post non longum tempus Macedonum armis advecta, et Pellæis invecta sunt arcibus: inde etiam abitura velocius. Quamvis enim inter macedonici regni primordia regemque novissimum longum tempus effluxerit, tamen ab Alexandro, quem cupiditas arripuit monarchiæ, et quem magnum Graii vocant, usque ad Æmilium Paulum qui regno illi finem dedit, quique Macedonum reges captos ante currum egit a perdomita et in provinciæ formam redacta Macedonia nomen habens, nisi fallit supputatio, centum annos, seu non multo plus minusve reperies, cum duplo amplius Medorum ac Persarum regna compleverint. Ne autem Euro forsan et Boreæ Auster invideat, ha-

buit et suum fatum illa mundi pars multisque laborum gradibus ascendit ut rueret. Quære Carthaginem: non invenies vel ruinam. Ubi sunt, inquit Valerius, superbæ Carthaginis alta mœnia, ubi maritima gloria inclyti portus, ubi cunctis litoribus terribilis classis, ubi tot exercitus, ubi tantus equitatus, ubi immenso Africæ spatio non contenti spiritus? omnia ista duobus Scipionibus fortuna partita est. Sed oro te, Valeri, ubi sunt iidem illi quos memoras Carthaginis domitores? Respondebis: homines fuerunt, mors iure suo usa est. Sed ubi quæso romanum est imperium omnium ultimum atque fortissimum? Quod per ferrum ævi, metallum omne succumbit visio illa regiis Assyrii designavit. Certe ipsum quoque auro et argento atque ære prærigida acie comminutis, impermixtum testæ, quod pars visionis novissima portendebat, non ab alio confractum, sed quod proprium ferri fuit, rubiginosa consumitur senectute. Ut vero iam cum ultimo Maximoque concludam, magna tantis exemplis inest consolatio. Non præripio tibi spem, sed cautionem permisceo. Fortunæ blanditias minasque contemnito, et non tantum ad ea quæ iam non evenisse non possunt, sed ad omnia quæ evenire possunt, tanquam prorsus eventura sint, accingere. Acri et implacabili cum hoste bellum gerimus, pacem sperare non possumus, victoriam possumus, nisi cedimus, nisi falsis opinionibus locum damus. Stultum est æternum hic aliquid sibi hominem sperare, cum videamus regna ipsa mortalia. Vale.

EPISTOLA IV.

FRANCISCUS PETRARCA GUIDONI ARCHIDIACONO GENUENSI
S. P. D.

Narrat de Genuensibus in fidem Domini Mediolanensis receptis, deque eorum sorte solicitum piis monitis consolatur.

Expectatio supplicium est: hoc te quam primum liberare disposui. Itaque post non multos dies primum cladis nuntium sequuta legatio solemnis huc venit sobria quadam, et ut ita dixerim, veneranda tristitia, atque, ut eleganter ait Statius, multa cum maiestate malorum. Erat in oculis acceptæ pudor ignominiæ, et publici damni dolor, et patriæ miseratio, interque tot affectus trepidos, indignatio acris, et ardens quædam scintilla vindictæ. Multis quidem res acta tractatibus quos locus iste non capit: tandem supremo dies adsignata colloquio: quæ ubi illuxit, vocati omnes adfuimus, atque illis dominum expectantibus iussus comes esse, cupide parui, ut qui optarem mœstæ seriem historiæ, quæ vulgo varie iactaretur ex ore scientis addiscere. Consedimus: regiæ domus in medio aula ingens est auro vestitis muris ac trabibus insigni fulgore mirabilis. Ubi cum multi ex aulicis convenissent, casu mihi princeps legationis in sorte datus, vir prudens et litterarum non ignarus, quo cum sermo mihi pro tempore varius, cuius de te, quem ille probe noverat, prima pars fuit, proxima de statu patriæ mœstior ac longior oratio, cuius hæc summa fuit. Omnis quidem infelicis prælii in unum ducem culpa reflectitur; qui utinam Carthaginen-

sium dux fuisset, apud quos non tantum pavidos aut temerarios, sed infaustos duces crucibus affixos scimus. Huius vero tantæ deiectionis causam didici non hostium metum, quibus multo sanguine nudum victoriæ nomen constat, non virium diffidentiam, quibus se nunc etiam superiores esse confidunt, sed, quod ab initio timebamus, intestinæ malum metumque discordiæ, primoribus procerum, qui miserari debuerant afflictam plebem, tyrannidis causas per nefariam occasionem impia mente captantibus, quibus territum populum, et hinc hostibus, hinc civibus quolibet hoste peioribus obsessum, ad huius iustissimi principis confugisse præsidium. Inter hos sermones facta loquendi copia, introgressi omnes ad dominum, non mediocris hominum concursus illustrium fuit. Ibi princeps legationis in hanc sententiam verba fecit: se iussu populi urbem, cives, agros, mare, terras, oppida, spes, opesque et fortunas suas, postremo divina et humana omnia in fidem domini committere, a Corvo scilicet usque ad Portum Herculeo, ut quidam putant, nomine consecratum, qui Menecus olim, nunc vulgo Monacus, utroque termino in deditione comprehenso, certisque conditionibus adiectis, quas prosequi longum esset, sed tunc manu publica descriptæ clara voce recitatæ sunt. Fueram sero a quibusdam de consilio requisitus ut legatorum verbis responderem, et tanta de re loqui ipse aliquid vellem: id enim pergratum domino futurum; at multa passim quamvis occurrerent seu miserabiliter, seu magnifice loquendum esset, seu restituenda spes, seu deflenda calamitas, abundeque sufficeret nox illa, non inexpertus tamen quam difficile est alienos sensus ad plenum nostris ver-

bis exprimere, excusavi tanto negotio tempus angustum. Ad hæc, et in auribus miserorum pluris domini verbum fore, quam quidquid ab alio dici posset, nec me fefelli. Ita enim ille respondit ut aliquis forsan ornatius, efficacius nemo. Cuius responsionis effectus fuit: non se de propriis viribus atque virtutibus, sed de divina tantum ope confisum, neque ulla cupidine terminos prolatandi, sed amicæ gentis compassione dumtaxat, rem laboriosam atque arduam suscepisse. Recipere igitur se illos in suam fidem, et polliceri quidquid consilii potentiæque suæ fuerit reipublicæ opem quantam possit, plebi infirmæ favorem eximium, omnibus iustitiam. Orare sese Deum atque omnes cælicolas, in quibus nominatim recensendis non modicam partem orationis absumpsit, ut quod ipse pie ac fideliter concepisset id feliciter consumarent. Quid vis? Per amicitiæ fidem iuro, loquente illo, sine lacrimis non fui. Credo itidem affectos alios, quod mihi omnium immota frons et intentio et silentium indicabant. Sic ille vir maximus Ianuensium ærumnis compati, sic magno animo velle succurrere visus est, ut si vita comes fuerit, in hac enim rerum tota vis vertitur, sit vel magnæ spes certa victoriæ vel honestæ pacis. Si enim mutato duce, mutatam sæpe fortunam belli vidimus, quid sperandum putes tot insuper legionibus tantaque potentia? Ille quidem si spes nostras impleverit, æternum decus et immortalem gloriam ex aliena sibi calamitate conflaverit; quod si voluntati optimæ aliqua fortunæ vis obstiterit, ipse quidem pii propositi merito non carebit. Ecce cum duabus epistolis multa dixerimus, plura nunc etiam sunt quæ restant. Præteriti ordinem præsentisque

statum temporis audisti: de futuro quid sperem, si me roges, non audeo quidem scriptis mandare, ne more suo forsitan debacchante fortuna, plurimorum reprehensionibus pateam, qui si tacuero, quid cogitem non videbunt. Ut cætera prætermittam quæ mihi supra meum sperandi morem multum modo spei afferunt, illud constat, quod a sapientibus diffinitum est, optimum reipublicæ statum esse iusto sub unius imperio. Verumtamen ut ad omnia parati simus cum Augustino desinam.
» Manet, inquit, civitas quæ nos carnaliter genuit? Deo
» gratias. Utinam et spiritualiter generetur et nobiscum
» transeat ad æternitatem. Sed non manet civitas, quæ
» nos carnaliter genuit. Manet quæ nos spiritualiter
» genuit. Ædificans Ierusalem Dominus. Numquid dor-
» mitando ædificium suum perdidit, aut non custodiendo
» hostes admisit? Nisi Dominus custodierit civitatem,
» in vanum vigilant qui custodiunt eam. Et quam civi-
» tatem? Non dormit neque dormitabit qui custodit
» Israel; » et post pauca: « Quid expavescis, quia pe-
» reunt regna terrena? Ideo tibi cœleste promissum
» est ne cum terrenis perires: nam ista peritura præ-
» dicta sunt: prædicta omnino. Non enim negare pos-
» sumus quod prædictum est: Dominus tuus, quem
» expectas, dixit tibi: Exurget gens contra gentem, et
» regnum adversus regnum. Habent mutationes regna
» terrena: veniet ille de quo dictum est: Et regni eius
» non erit finis. » Hoc est igitur Augustini consilium, amice, seu maneat civitas nostra terrena seu pereat. Non sum multus in persuadendo cui, me tacente, persuasum scio maxime viri proprium celsique animi et humana calcantis præparatum esse ad omnia quæ possint

homini accidere, non solum in istis vagis ac profugis, ut aiunt, fortunæ bonis; sed in ipsis etiam membris suis ac suorum, denique et in amicis et in patria, quæ viro bono vita propria est carior, dum animus in tuto sit, qui ut sanctis philosophisque visum est, nisi ipse se læserit ab altero lædi nequit. Cætera omnia magno tolleranda sunt animo. Si enim et fortuitorum casuum fuga nulla est, et mala licet lævia per impatientiam ingravescunt, quid nisi patientiæ spes sola relinquitur? Vale.

EPISTOLA V.

FRANCISCUS PETRARCA GUIDONI ARCHIDIACONO GENUENSI S. P. D.

Gaudet eum ad fontem Sorgiæ aliquot diebus fuisse, et loci amœnitatem celebrat. Narrat se quoque ab urbe in villam secessisse, cuius situm prospectumque describit.

Quæ spes quod solamen publicæ calamitatis audisti: tempus est stilum ad lætiora vertendi. Audivi quidem te curis urgentibus urbe profugum, rura sectari. Laudo morem hunc verbo continue, re dum licet; sed de occupationum urbanarum suppliciis, deque solitaria quiete latius aliquando disserui, et res est, de qua etsi multa sæpe dixerim, multa dicam, si diu vivere datum est. Loquor ut vulgus: vere enim in rebus humanis nihil est diu, non dicam gaudium, seu fugitiva prosperitas, sed nec dolor ipse, nec gemitus qui nobiscum et incipiunt et desinunt. Cæterum quid mihi in his quantislibet vitæ mortalis angustiis sæpius repeten-

dum veniat quam quod nunquam ex animo nisi cum animo discedet? Is est autem ocii ac solitudinis appetitus, de quibus hactenus singulos tractatus edidi, non tam aliis quam mihi, ne forte silentium oblivio consecuta novis animum implicaret affectibus, a quo metu iam procul esse videor: sic mea mecum crevit opinio, iamque induruit atque percalluit et in habitum versa est. Sed ut omnia ista prætercam et ad id veniam quod inter multa retrahentia me nunc ad scribendum trahit, audio te nescio quot diebus ruris mei, quod ad fontem Sorgiæ est, incolam fuisse, et curarum tuarum æstus loci optimi refrigerio temperasse. Placet, consiliumque tuum hoc laudo; nisi enim me rerum mearum fallit amor, et consuetudinis vis antiquæ, vere rus illud locus est pacis et ocii domus, requies laborum, tranquillitatis hospitium, solitudinis officina. Nusquam, iudice me, præclara ingenii opera magnificentius excuduntur; loquor expertus: ita tamen si quid magnificum ex hoc parvo et angusto prodire possit ingenio. Illic solicitudinum grata remissio et dulce diversorium occupati animi: illic silentium et libertas, securum gaudium, læta securitas: longe inde exulant urbana negotia et litium fervor et comessantium strepitus; non ibi sentitur armorum fragor, non inanis lætitia triumphorum, non inconsultus e contrario natus mœror quo nunc angimur; ludunt argentei pisces in gurgite vitreo, rari procul in pratis mugiunt boves, sibilant auræ salubres leviter percussis arboribus, volucres canunt variæ in ramis, et si tecum meis me versibus uti vis:

Nocturnum philomela gemit, flet turtur amicam
Et nitido de fonte cadens et murmurat amnis.

Villicus autem silet rei rusticæ intentus, et acclinis in terram de attritis opere ligonibus vicissim sonitum elicit ac favillas: denique, ut semel expediam, habitatio est felix, cœlestis, angelica. Illuc ergo quotiens vacat, si quid mihi credis, a tempestatibus curiæ velut in portum fuge: illic enim non aliter quam in portu Brundusii fluctuantem animi naviculam tremulo fune compesces. Utere libellis nostris, qui crebro nimis absentem dominum lugent mutatumque custodem: utere hortulo qui similem, quem quidem ego viderim, toto orbe non habet, tuamque et Socratis nostri fidem implorat ne mea sibi obsit absentia. Signabo autem diem tibi serendis arboribus idoneum, non eum quem fortasse alibi pro diversitate terrarum agricolæ observant. Audivi senes dicti ruris, ante alios villicum meum, qui vir optimus et rerum rusticarum peritissimus fuit, ita dicere quod ibi satum fuerit ad octavum idus februarii felici successu coalescere, nec adverso sidere interire. Tunc ergo, præsertim si lunæ ratio constabit, serite ibi, oro, novum aliquid, quo forte senectutem illic placidam simul acturis, si fata permiserint, vestra cura gratior aspectus, atque umbra sit densior. Utere arbustis e quibus antiqua suis manibus Bacchus et Minerva plantarunt, nova vero meis ipse manibus, non tantum nepotibus umbram factura sed nobis. Utere parva domo et agresti lectulo, qui ubi te gremio exceperit, mei præsentiam non requiret. Unde equidem nunc tam multa miraberis: desines autem si locum noveris ubi ista dictavi. Collis est uberrimus atque pulcherrimus medio ferme Cisalpinæ Galliæ, cuius in ea parte, quam Boreas Eurusque percutiunt, castrum sedet Sancti Columbani nomine, late

notum situ mœnibusque prævalidum. Ima collis Lamber lambit, flumen exiguum sed nitidum, et iam iusti patiens navigii, quod per Modoetiam descendens non procul hinc Pado illabitur. Ad occiduum latus solitudo gratissima est et dulce silentium liberrimusque prospectus. Nusquam memini e loco tam modice tumenti tantum et tam nobile terrarum spectaculum vidisse: parvo luminum flexu Ticinum, Placentia et Cremona cernuntur, famosæque urbes aliæ multæ. Sic enim incolæ affirmant: quam vere autem, hodiernus nubilosus dies experimentum negat; sed in his tribus ipse meis oculis credo. Alpes quæ nos a Germanis dirimunt nivosis a tergo jugis sunt nubes cœlumque tangentes: ante oculos Apenninus et oppida innumera, atque inter multa Clastidium belli punici tempestate historicorum commemoratione nobilitatum, et Padi ripæ, ubi acri admodum et iniquo certamine Marcellus olim dux romanus, cæso Insubrium rege Gallorum Vindomaro, tertia opima spolia de ducibus hostium reportavit. Padus ipse sub pedibus ingenti ambitu pinguia rura discriminans. Hoc ergo cum primum colle consisterem, quid vel cogitasse me primum putas vel optasse? Qualiter forte urbes illas iugo premerem, quot aratris rura illa proscinderem, quot armentis pascua læta complerem: quanto navigio merces externas adverso amne subveherem, quantis legionibus virentia arva protererem, quibus voluptatibus amœnissima in regione diffluerem? Tale nihil omnino: alium mihi longeque alium vitæ finem statui. Quid ergo? scito me nusquam amœna loca conspicere, quin subito redeam in memoriam ruris mei, eorumque simul quibuscum libenter valde, si datum esset, illic

præcipue vitæ brevis fragmenta consumerem. Te igitur cogitans et rus illud dum tibi ista dictarem memoriæ credidi: neque enim scribendi instrumeuta aderant: illa autem ubi domum est reditum depositum bona fide restituit. Scripsi igitur hæc ad vesperam in thalamo non philosophico poeticove, sed regio quæ meditatus eram, non multo ante solis occasum, solus ibi herboso cespiti insistens, sub ingentis umbra castaneæ. Vale.

XII, Kalendas Novembris, in arce Sancti Columbani.

EPISTOLA VI.

FRANCISCUS PETRARCA BERNARDO ANGUISSOLÆ PRÆSIDI COMENSI S. P. D.

Excusat se quod nondum Comum venerit, nunciatque iussu domini longius iter se propediem initurum.

Mos est equum residem geminis sollicitare calcaribus: mea tarditas tribus impellitur; loci novi spectaculo, dulcis amici desiderio, et observantia promissorum. Et profecto propinquam urbem illam Cisalpinæ Galliæ collibus aereis circumseptam ipsisque subiectam Alpibus, et famoso lacui impendentem vel semel cupide viderem Comum, qui Campanas totiens Cumas vidi. Talem vero amicum multo cupidius: aut enim ego fallor, aut nulla dulcedo maior oculis quam exoptata facies amici. Duplici autem voto meo sacrosanctum fidei pignus accedit: promisi etenim me venturum, nec pœnitet promisisse: pudet potius quod promiserim non implesse. Singula quidem vellicant fateor: universa

convellunt. Sed, vir optime, quid agam? Viden ut undantem plenis imbribus urnam præceps vertat Aquarius? Iam non pluviæ sed flumina cœlo ruunt: semita omnis in usum tumentis alvei versa est, ut non eundum viatoribus, sed natandum sit. Verum quid loquor? Ah demens! Qui enim quietis avidissimus diei vix unius iter horreo, dierum profectionem inire iubeor multorum, notasque mihi nimium Alpes, media nunc hyeme transire. Ille me ire, qui te forsan eundi cupidum stare iubet: ita prope nullus contentus vivit. Parebo tamen, ut qui iubenti nil penitus negare velim; idque eo promptius quo me ut proprie dixerim, non iubet ille sed rogat, fortunam suam qnamvis altissimam humanitate illa notissima supergressus. Quantum præterea viarum rigor et brumalis terret asperitas, tantum profectionis causa delectat; eo enim ad pacem inter potentissimos duos Italiæ populos reformandam, tam feliciter utinam quam libenter. Cum autem ego simul et temperies verna redierimus, nil mihi procul dubio prius erit quam ut loco insigni viso et amico optimo reviso, hinc illud impleam quod promisi. Vale.

EPISTOLA VII.

FRANCISCUS PETRARCA BERNARDO ANGUISSOLÆ PRÆSIDI COMENSI S. P. D.

Commendat amicum in Germaniam patriam suam redeuntem.

Misi ad te non voluptatis materiam sed laboris, ut soleo. Posses optare ut alia terrarum in parte agerem

unde tibi ex me amoris tantundem, tædii minus esset. Iste quem cernis, peregrinæ licet originis, sed amici animi est, et qui non me solum, sed quoscumque me amare cognoverit, amet et colat. Itaque sic eum ut amicum aspice; facies ignota; mens viri, si quid mihi credis, humanitate notissima. Dirige hunc, oro te, ut nuper alios direxisti, qua tutissimum per Alpes atque brevissimum in inferiorem Alemanniam est iter. Annum acturus in Italia cum Legato Sedis Apostolicæ venerat. Vicit at patriæ et suorum amor: sæculo longior annus est visus: decimum mensem explere non potuit. Itaque properat hinc tædio perurgente, illinc trahente desiderio. Matrem habet annosam, cuius fatalem prævenire diem ardet, et nimium distulisse formidat. Est enim inter cætera pietate mirabili, maternumque desiderium proprio metitur, eoque suum magis ac magis accenditur. Tu quoque matris eius animum perfacile metiere, si et tibi tuæ genitricis imago succurrat, et pietati pietas stipuletur, si cogitare cœperis ipsum viduæ filium talem atque unicum abesse. Solent enim et quæ cara sunt, copia et assiduitate vilescere. Hic vero quæ pretium facere possint universa concurrunt. Nam et filius, et unicus est, et qualis vir aspectus ipse testabitur. Abfuerat etiam priusquam ad Italiam veniret, et nunc cum pietas insita tum amicorum expectatio et in primis matris ætas ac solicitudo solicitant. Tam pium tamque undique accensum desiderium qua potes adiuva, et tibi vel sic alienæ quoque pietatis partem vindica. Redde natum matri anxiæ, redde civem patriæ exoptatæ: nisi forte barbaricos animos non putamus natalis soli sentire dulcedinem, et hunc affectum nonnisi Italicum definimus aut Græcum

Atqui percunctare unum quemlibet, non dicam ex iis quos haec cultior quam Rhenus alluit, sed quos misit incultior illa barbaries quam Danubius sive etiam quam Thanais asperat. Dicet tibi nil cœlo patrio blandius, nil ea terrarum regione suavius. Provide cave, ne ad comparationem venias: barbaricam dicet Italiam. Vale.

EPISTOLA VIII.

FRANCISCUS PETRARCA FRATRI MATTHÆO COMENSI S. P. D.

Cupiditatem discendi eo nobiliorem esse quo vilior est divitiarum cupiditas. Illam in amico laudat et veterum exemplis illustrat.

Gaudeo equidem et exulto quotiens litteratum virum discendi cupidum invenio. Solet avaritia quærendo crescere et successibus irritari, quem ad finem nescio, cum, nisi ratio exulet a consiliis humanis, minus cupere debeat qui plus habet. Somnus dormiendo, fatigatio quiescendo depellitur; cibo fames, potu sobrio sitis extinguitur. Mirum: sola quidem avaritia quæsitis accenditur, ut surdis cecinisse videatur Horatius ubi ait:

> Denique sit finis quærendi; cumque habeas plus
> Pauperiem metuas minus, et finire laborem
> Incipias, parto quod avebas . . . . .

Salubre consilium, si penitus in animum descendisset. Nos vero mortales immortalibus curis pleni, tum maxime timorem incipimus, et laborem, dum finire præcipimur; crescit pecuniæ studium crescente pecunia.

Heu quanto dignius quantoque melius discendo cresceret sapientiæ studium et cupiditas litterarum, præsertim cum quærendi certus sit et definitus modus: discendi proficiendique usque in finem nullus est finis. Nemo se satis æstimet profecisse: nunquam enim nitetur ut ad summum veniat qui pervenisse confidit: laborem viæ evasit qui attigit quo pergebat, nec minus qui attigisse se putat: subsistit igitur, et subsistens non modo non procedet, sed etiam retrocedet. Neque etenim, ut mercator dives quamvis navigandi finem fecerit, cumulatam tamen consignatamque pecuniam domi habet, sic etiam studiosus legendi meditandique finem faciens, consignare memoriam velut arculam suam potest. Est enim futilis ac rimosa, et cui nisi aliquid iugi studio semper inferciat, multa quotidie dilabantur. Ita qui non discit obliviscitur, et quisquis memoriam suam quasi plenam redundantemque neglexerit, post tempus ad illam rediens inanem vacuamque mirabitur. Studendum assidue, et usque ad extremas vitæ reliquias sine intermissione discendum exemplis innumeris et illustribus admoneamur e quibus pauca subnectam. Socrates quidem quasi philosophorum pater, senex tractandis fidibus operam dedit; litteris græcis Cato, dum doctior fieri cupit. Nec laborem Pythagoras, nec Plinius mortem timuit, nec Democritus cæcitatem. Princeps eloquii Cicero verba facturus excusasse dicitur quod triduo non legisset. Philosophiæ autem princeps Plato, uno et octoginta annis moriens, sub capite non nummorum sacculos senilis testes avaritiæ, sed libros philosophici studii argumentum habuit, quasi in silentio loqueretur et diceret: quibus ingenio vivens incubui quando aliter

non possum corpore, saltem moribundus incumbo. Carneadem senectute ultima frigescentibus membris inæstimabili ardore animi, inexplebili litterarum siti sæpe cibi videmus immemorem, et si ancillare desit obsequium, inter epulas forsan inedia defecturum. Nullum tamen ex omnibus exemplum clarius quam magnus ille legifer Solon, qui supremo die circa lectulum suum, in quo ipse iam animam agebat, disputantibus amicis, semivivum caput extulit, et quærentibus inopini motus causam mirantibusque respondit, velle se quidquid id esset de quo loquerentur addiscere, et sic mori; nec immerito discendo mori voluit, qui (sic enim vere illum gloriari solitum accepimus) quotidie discendo senuerat. O nobilium ingeniorum generosa cupiditas! Optabant illi veteres discere non ditari: nostri autem senes, contra quos iure optimo Tullius execratur, quo minus viæ restat eo plus viatici quærunt. Placet igitur quod vulgo dictum sæpe laudavi: felices homines si tam patrimonio suo quisque, quam sapientia propria sit contentus. Sed nos obliqui existimatores rerum nostrarum cito nobis docti sapientesque videmur, divites vero nunquam. Hinc illa perversitas ut pecuniæ appetentissimi simus, et honesti studii contemptores. Cur quæso nisi quia quæ deesse nobis opinamur appetimus, quæ credimus abundare negligimus? Haud immerito quidem, nisi electionem opinio falsa præcederet; pecunia enim multis supervacua, multis sæpe mortifera, sapientia nulli penitus tanta est quin egeat ampliore. Tibi equidem, amice, gratulor quod pecuniæ non solum animo sed professione contemptor, sapientiæ autem et quibus abundas litterarum cupidissimus, quæris sedulo ubinam illas inve-

nias, unde fit ut dives inopis in morem ad ostium etiam meum pulses, dignissimus exaudiri, nisi voto tuo mea paupertas obsisteret, qua cogor ut respondeam: I felix: quære alibi, ditiusque limen adi: hic namque quod rogitas procul dubio non est. Vale.

EPISTOLA IX.

FRANCISCUS PETRARCA MARCO IANUENSI S. P. D.

Amantum cœca esse iudicia, seque tantis eius laudibus prorsus indignum.

Falleris, amice, si res meas, ut tibi, sic omnibus placituras arbitraris. Non oculis omnibus idem visus: cœcus est amor, cœci sunt amantes, amantumque iudicia cœca sunt. Non tu primus hoc dicis, dicet aliquis; vetus est verbum. Vetus, inquam, sed verum. Veritas non senescit. Ingeniosior fortasse qui reperit, non verior. Alter hoc dixit. Quid refert? an minus ideo verum est quia a multis dicitur? Dixit hoc alter, et ego consentio, verissimeque dictum fateor, et alienæ sententiæ expertus accedo. Quæ cum ita sint, vide, quæso, ne indulgentia tua hæc, quæ frænum in laudibus meis nescit, non parvo famæ periculo nos opponat, tuque non sat perspicax iudex appareas, et ego, qui tutius latuissem, severioribus iudicibus, te prodente, subiiciar. Illud enim minime vereor ne recens cuiuscumque iudicium te ab antiqua unquam opinione dimoveat. Quidquid erit, absit ut amicis tuis non semper pateant amicitiæ nostræ fo-

res, nihil illis occultum velim: viderint quid iudicent: ibo obviam, etsi forte aliter sensuris ac tu, certe, ut spero, non aliter amaturis. Postremo malim cœcum tibi iudicium, quod facile amor excuset, quam mihi insolentiam obiectent, malum inexcusabile, tanta præsertim earum in me rerum penuria quibus solent homines superbire. Vale.

EPISTOLA X.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI ARETINO S. P. D.

Se Mediolani constitisse et animum urbanis negociis addixisse ea ratione excusat, quod multa citra voluntatem hominibus facienda passim occurrunt.

Tres mihi de te veteres radicatasque sententias una recens auxit et renovavit epistola, sapientiæ simul et virtutis et amicitiæ tuæ testis. Ita mihi liquido ante oculos ponis, quod Deum testor nunquam inde discedit, ævi brevis et incerti fugam: ita graviter hinc occupationes meas antiquas, si quæ sunt quæ laudem mereantur, hinc novas veteribus adversas, et quærendæ gloriæ inimicas coacervando dinumeras: ita dulciter hortaris ut fugiam meque in libertatem eripiens, quæ mihi non exiguo apparatu iacta sunt rerum meliorum fundamenta non deseram, sed accelerem potius, et pericula moræ longioris intuens alas ingenio, calamo calcar adiiciam, ut iam, quod vix possibile videbatur, et prudentior apud me vir sis et melior, et rebus meis amicior quam putabam. Quid vero me responsurum

credis? Negaturum ne aliquid? nihil prorsus. Possem lingua forsitan, corde non possum. Urgeor quidem: non opus est eculeo: violenta est veritas, animos ligat. Quid enim non ingenue fatear tibi quod negare mihi ipse non audeo? Illico ut epistolam tuam legere cepi dixi mecum: hæc veri nodos secum attulit; captus sum. Unde ergo nunc evadam? Quibus me artibus expediam, quo ingenio me absolvam? Postremo quid dicam nisi quod cum toto genere humano commune crimen est mihi? Quis est enim hominum qui non sibi sæpe nocuerit, cui non proprie dici possit vetus illud verbum, omnia mala hæc tibi, o stultissime, procurasti? Elegans et plane argutus Iohannis Chrysostomi tractatus est, primo forsitan congressu mendacii frontem habens, at si acrius intueare nihil verius. Est autem hic titulus. *Nisi a semetipso neminem lædi posse*: quo audito statim inimicum veri vulgus insaniet: quod si ad se rationibus viam pandat, velit nolit ita esse fatebitur. Patimur mala quæ fecimus, et sæpe in caput auctoris pœna revertitur. Non aliunde premimur nec oportet. Crede enim mihi: nil opus acie instructa aut machinis muro admotis, defossisque clam cuniculis. Quisque hostem vastatoremque suum secum, interque delicias suas habet, illi obsequitur, mirum dictu, et adversus se pertinaciter illi favet. Dices autem, et antequam dicas assentior: non est hoc culpam purgare, sed participare cum pluribus: aliena quidem accusatio non excusatio nostra est: insigniorem forte reum culpæ comes, innocentiorem certe non faciet. Omissis ergo aliis, ad me revertor. Video te, amice, vero armatum facile, si resistam, in hac colluctatione victorem: eodem

enim forte tempore quo in fronte argumentorum tuorum ictus excipio, transalpinus amicus litteris quoque non minus validis quam urbanis, nudum ut ita dixerim tergum ferit, quærens itidem ex me, quid est quod ego tantus ruralis affectator ocii, in tot urbana negotia sim relapsus sponte, ut sibi videtur, mea; et (vide artificiosissimum leporem) ne forsan interrogatione conturber antequam me tangat, de se quærit admirans, quid causæ est quod ipse quoque Babylonicos anfractus male oderit, nec dum possit effugiat. Ecce ut duos amicos e diverso terrarum tractu in idem pugnæ genus similitudo quædam contraxit ingenii. Quid autem diceret uterque vestrum si nosset quo in statu nunc maxime dum loquor res sunt meæ? Siquidem coniuratis non ad imbrem sed ad diluvium cunctis cœli sideribus, hyeme aspera et intractabili transire tibi et mihi familiarissimas Alpes cogor. Sed a quo? forsan interroges. Et a quo putas nisi a me ipso, qui sic alterius factus sum ut dulces preces, atque, ut Liberii verbo utar, viri excellentis submissa placida blandiloquens oratio apud me inexorabilis vim præcepti imperiosæque vicem maiestatis obtineant? Ita nihil sese vilius est homini, nihil venalius libertate. Amico sane alteri viva voce, si illuc vivus integerque pervenero (quæstio enim subdifficilis et ni fallor utilis communis est illi tecum) tibi autem scripto trepidante respondeo, non equidem ut excuser quod fieri non posse iam sum fassus, sed ut, si quo pacto fieri potest, non vulgo inerti et illaudato et obscuro, sed illustrium comitum gloria ac splendore me contegam. Quid igitur Paulus Apostolus undique summus vir, quid ait, oro te? *Non enim inquit quod volo facio*

bonum, sed quod nolo malum hoc ago. Quid, amice, dicent alii si Paulus hoc dicit? Iam quod sequitur nosti, quibus hoc verbis excuset: *si quod nolo, inquit, ego hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Anceps penitus et profunda conclusio, quamque contra me verti posse non inficior. Sed modo non vacat his incumbere. Signare autem locum libet ad quem redeas, si quando fortassis tibi talium cura erit. Psalmus est centesimus decimus octavus. Ibi non procul a principio iste nodus apostolicus acerrima quidem Augustini disputatione resolvitur. Nunc leviora prosequamur. Quid enim ipse pater Augustinus, quid agebat illo conversionis suæ die, et in illa saluberrima sed difficillima conflictatione animi dum ad meliorem transire vitam vellet, nec transiret? Quibus æstuabat angoribus, quibus stimulis urgebatur, et tamen pestifero tenebatur fræno ne transiret, quo non magno apparatu, sed sola voluntate transeundum erat? Quando quod eleganter Flaccus irridet:

> Strenua nos exercet inertia: navibus atque
> Quadrigis petimus bene vivere. Quod petis, hic est.

Libet tanti viri illius angustias meminisse, et intestinum illud animi sui bellum, in quo sicut dignum erat pars tandem victa deterior clarissimum et æternum meliori præbuit triumphum. Idque eo libentius recordor quia res in hac eadem urbe, ubi ego nunc simile quiddam experior, gesta est. Ambrosii basilica sola est inter domum quam inhabito, et cappellam perexiguam ubi in arcano conflictu dissidentium curarum, tandem victor Augustinus sacro fonte ab eodem lotus Ambro-

sio, vitæque prioris solicitudine liberatus est. Quo facto statim amicus ille Christi antiquus et hic novus magno sanctoque gaudio exultantes, carmen illud famosissimum laudis et confessionis mutuæ pariter cecinerunt Deo, quod mox late per omnes ecclesias divulgatum hinc exordium sumpsisse compertum est. Iam vero, si libet, ipsa de se loquentis Augustini verba percurram; vix enim possibile dixerim tantam talis animi procellam efficacius aliis verbis exprimere. « Multa, in- » quit,[1] faciebam corpore in ipsis cunctationis æstibus » quæ aliquando volunt homines et non valent, si aut » ipsa membra non habeant, aut ea vel colligata vin- » culis vel resoluta languore vel quoquemodo impedita » sint. Si vulsi capillum, si percussi frontem, si con- » sertis digitis amplexatus sum genu, quia volui feci. » Potui autem velle et non facere, si mobilitas mem- » brorum non obsequeretur. Tam multa ergo feci, ubi » non hoc erat velle quod posse: et non faciebam, quod » et incomparabili affectu amplius mihi placebat, et » mox ut vellem possem, quia mox ut vellem utique » vellem. Ibi enim facultas ea quæ voluntas, et ipsum » velle iam facere erat, et tamen non fiebat: faciliusque » obtemperabat corpus tenuissimæ voluntati animæ, » ut ad nutum membra moverentur, quam ipsa sibi » anima ad voluptatem suam magnam in sola volun- » tate perficiendam. Unde hoc monstrum et quare » istud? Luceat misericordia tua et interrogem si forte » mihi respondere possint latebræ pœnarum hominum » et tenebrosissimæ contritiones filiorum Adam. Unde » hoc monstrum et quare istud? Imperat animus corpori,

[1] August. *Confess.*, lib. VIII, c. 8

» et paretur statim; imperat animus sibi, et resistitur. » Imperat animus ut moveatur manus, et tanta est fa- » cilitas, ut vix a servitio discernatur imperium: et ani- » mus animus est, manus autem corpus est. Imperat » animus ut velit animus, nec alter est, nec facit tamen. » Unde hoc monstrum et quare istud? Imperat, inquam, » ut velit, qui non imperaret nisi vellet, et non fit quod » imperat. » Hæc est Augustini admiratio de se ipso. Quod si in eo potuit accidere, quid in me tale aliquid miremur? Adhuc tamen, ut vides, subterfugio et vagor, nec dum aut tuus stupor, aut amici illius, aut meus (me enim ipsum erroresque meos atque animi mei monstrum aliud volentis et aliud agentis nolo æstimes me magis aliquem admirari) brevi aliqua et aperta responsione comprimitur. Quid ergo quod Paulus, quod Augustinus, quod innumerabiles alii, et ut nostra prosequamur, quid est, inquam, quod amicus ille, quod ego, quod tu forsitan unum volumus aliud agimus, cum ad id nemo procul dubio nos compellat? Ad hoc Paulus ipse quidem obscurius ut dixi: sed simplicitas veritati et familiaribus amica colloquiis. Ipsum igitur audiamus Augustinum, et quonam is stuporem illum suum fine determinet. « Sed non inquit, ex toto vult (*animus*). Non » ergo ex toto imperat. Nam in tantum imperat in » quantum vult, et in tantum non fit quod imperat in » quantum non vult; quoniam voluntas imperat ut sit » voluntas nec alia, sed ipsa. Non utique plena impe- » rat, ideo non est quod imperat; nam si plena esset » nec imperaret ut esset, quia iam esset. Non igitur » monstrum partim velle, partim nolle: sed ægritudo » animi est, quia non totus assurgit veritate subleva-

» tus, consuetudine prægravatus. Et ideo sunt duæ » voluntates, quia una earum tota non est, et hoc » adest alteri quod deest alteri. » Hæc est nuda et pura veritas, amice. Volumus quidem omnes esse felices, idque ullatenus nolle non possumus. Ea nobis nascentibus insita prorsus et inextirpabilis est voluntas. Volumus, inquam, felices esse omnes: sed non omnes facimus quo felices simus: imo vero viam ipsam unicam et angustam, qua ad felicitatem pergitur, pauci admodum sequi volunt, neque id ipsum plene volunt, potiusque velle cogitant, quam volunt. Hinc ille pestifer torpor ac perplexitas animorum, de quibus iam multa diximus, aliud agentium cum aliud velle videantur: quod si vere vellent utique illud agerent, non quod agunt. Possumus ergo si volumus ad felicitatem ire, hoc est illa agere quæ nos ad felicitatem veramque libertatem animi perductura cognoscimus. Sed ita demum si vere, si plene, si constanter, si bona fide volumus. Cæterum velle ipsum fors non statim nostri erit arbitrii, quod etsi liberum acceperimus, libertatem ipsam sic peccati mole oppressimus et consuetudinis pessimæ vinclis adstrinximus, ut sine præsentissima Dei ope vix ad honesta consurgat: tam multa sunt quæ retrahunt et obsistunt. Nam, ut ibidem ait idem Augustinus: « Non » solum ire, verum etiam pervenire illuc nihil erat aliud » quam velle ire. » Et sequitur: « Sed velle fortiter et » integre, non semisauciam hac atque hac versare et » iactare voluntatem, partem assurgentem, cum alia » parte cadente luctantem. » Hæc sunt quæ in anxietate persimili divinæ et ingentes illæ animæ senserunt: hoc vobis quotcumque estis amici de me soliciti ac

pendentes in præsenti rerum mearum difficultate responsum·sit. Unum valde me prægravat, ne in totum velim quod ex parte volo, et plene velle ni fallor volo. Volo, inquam, idque me velle dicere, Christo licet audiente, non timeo; sed dignum fateor ut quod indigne quæsivi, non dulce sentiam sed amarum. Nocet mihi ad quietem et ocium famæ pondus, quam veræ nihil ad rem, si idem potest falsa quod verax. Mirum! Ipsa sibi præcox, ne dicam præceps, fama præiudicat, et falsi nominis magnitudo veræ gloriæ tardat augmentum. Nisi quod non merebar ante tempus invenissem, potuissem forte quod optabam suo tempore promereri. Veruntamen ita est: hinc cuncta mihi turbida et inquieta fiunt. Sed bene habet: nil patior novi. Sæpe laudati lacus piscatorum retibus, sæpe famosi saltus canum latratibus infestantur. Oh! felix, si quis usquam est, cui contigerit inter honesta studia latere, et vulgi strepitum et humanarum curiositatum declinare circuitum. Qui sic latuit clarior emerget, et tunc primum vivere dum mori videbitur incipiet. Mihi quidem nescio an culpa an fortuna dulce latibulum invidit. Sæpe hactenus tentantem fugere mea semper fama me prodidit loquacior mendaciorque quam vellem. Ita ego a prima ætate tantus amator solitudinis ac sylvarum iam senior versor in urbibus, et odiosa frequentia laboro: et male mihi est. Sæpe etiam in animum redit illud divi Vespasiani, qui triumphali die cum tarditate pomparum et turbæ tædio gravaretur dixisse fertur: merito se puniri qui ad illum nec se nec maioribus suis dignum honorem quo serius eo turpius aspirasset. Graviter equidem ac modeste. Mihi ea solum suffragatur excu-

satio, quod etsi veræ laudis cupidum me non negem, hanc tamen quæ me premit pompam concupisse non memini. Hactenus colloquendi studio evagatus sum; hic tandem colloquii finis esto, ut intelligas etsi labores alii ex aliis, et inter labores novæ mihi quotidie laborum causæ materiæque nascantur, me tamen de libertate vel in vinculis si sors cogat, de rure in urbibus, in laboribus de quiete, postremo, ut tritum illud Africani mei dictum vertam, in negotiis de otio cogitare. Interim mihi seu arte quadam seu natura datum scito ut iugi et valida meditatione vile mihi faciam quod assequi nequeo, dulce autem quod evitare non valeo. Vive nostri memor et vale.

Mediolani, Kalendis Ianuarii.

FRANCISCI PETRARCÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS

LIBER OCTAVUSDECIMUS.

EPISTOLA I.

FRANCISCUS PETRARCA CAROLO IV. IMPERATORI AUGUSTO
S. P. D.

Cæsarem moras nectentem seque inaniter excusantem
ut romanum imperium restituat adhortatur.

Cæsareos apices triennio fere, postquam a te discesserant, ad me pervenisse miraberis. Sic est tamen. Non tibi iam soli tuisque legionibus, sed nunciis quoque et epistolis tuis, Cæsar, impermeabiles Alpes sunt. Ego quidem ut vehementer id doleo, sic fateor gaudeo, et mihi clam gratulor, id tacito me non fieri. Clamavi equidem, sed frustra, nec duabus epistolis auditus sum, quarum etsi stilus auribus forte tuis incomptior, profecto et sententia verax, et pura scribentis fides est, et quod romanus orbis totus attestabitur, agendæ rei opportunissimum tempus erat. Clamo nunc etiam, quod tibi frustra ne an efficaciter faciam tu videris: mihi frustra non erit quicquid fideliter egero. Etsi aliis namque non proderit, mihi certe profuerit satisfecisse officio, implesse quod debeo. Equidem ego ingens et quo nullum inter homines maius possum, affectus mei præ-

mium tuli testimonium maiestatis tuæ, quæ fidem meam laudibus multis accumulat, consilium vero non amplectitur. Malo mihi fidem sine prudentia constare quam sine fide prudentiam. Dum tibi mea fides ac devotio probetur, non magnopere solertiæ titulum aucupabor, consiliumque meum æquo animo feram vel respui vel differri: quin etiam gaudebo et haud immerito gloriabor, te non modo me, sed omnes mortales ut Imperii dignitate, sic consilii vivacitate præcellere. Suasi quidem et persuasisse credideram celeritatem tuis conatibus opportunam. Ita enim mihi; tibi vero aliter videtur. Tu frænum terris, tu clavum pelago regis: tuo stabitur iudicio. Ego fideliter locutus dicar. Satis est mihi. Prudentia inter professores prudentiæ requiratur. Si tamen interpretari dictum meum non prohibeor, ita ego tibi celeritatem suasi ut segnitiem excuterem, non ut in aliud extremorum te impellerem. Sciebam enim quod præcipitatio cum in rebus omnibus turpis sit, tum in summi Imperii administratione turpissima est. Suasi ergo celeritatem non præcipitem sed maturam. *Maturate fugam,* inquit Maro. Quem locum Macrobius exponens: *et contraria,* inquit, *videtur fuga maturitati.* Et post pauca: *maturate,* inquit, *quod neque citius neque serius, sed medium quiddam et temperatum est.* Quam sententiam Cæsar Augustus sequens monebat, ut ad rem gerendam simul adhiberetur et industriæ celeritas et tarditas diligentiæ: ex quibus duobus contrariis fit maturitas. Multa ibi similia. Sed redeo ad rem. Si ergo tibi, Cæsar, hoc consilium non placet, placeat fides, ut facit. Me autem quid dicturum putas? Nempe mihi consilium aliud nullum est: sed optabo ut quidquid elege-

ris secundet omnipotens Deus, et moram tuam mundo utilem, tibi gloriosam velit et, ut ait Psalmista, *tribuat tibi secundum cor tuum et omne consilium tuum confirmet.* Verum quia nondum functus officio sum nisi omne quod mens parturit et lingua pepererit, sic iam Cæsar, epistolæ tuæ respondebo, ut intelligas me de sententia non tam rationibus litterarum tuarum, quam tui nominis maiestate depositum. Quis enim sani capitis contra Cæsarem sentire audeat, et præsertim in rebus Imperii? Si de poetica aut si omnino de litteris sermo esset, uterer forte libertate Accii poetæ, quem Iulio Cæsari in poetarum consilium venienti non assurgere solitum accepimus, non contemptu principis, sed professionis propriæ fiducia. Nunc cum de Imperio agitur, quis tibi non assurgat, aut quis non cedat nisi amens oblitusque rerum omnium? Loquor itaque non ut te refellam, sed ut exerceam, non ut adverser, sed ut me tibi penitus aperiam, nudemque quidquid animus latebris suis tegit. Primum quidem tarditati meæ clypeum prætendis mutationem temporum, quam multiplicibus verbis exaggeras, ut aliquanto magis dictantis ingenium quam imperatoris animum mirari cogar ac laudare. Quid enim quæso est, quod aliquando non fuerit, imo vero quid par maiorum nostrorum laboribus periculisque perpetimur, dum Brennus Italiam, dum Pyrrhus, dum Hannibal vastabat? Quænam comparatio rerum est? Ut vero nobis omne mortiferum vulnus sit non rerum natura, sed mollities nostra facit. Quod ridebant proavi, nos lugemus, et ad omnem difficultatis occursum cohorrescimus ac torpemus: cum nulla interim in conquirendis excusationibus sit ætas et nulla gens prom-

ptior. Olim, inquis, Romana Respublica dives fuit. Quis, oro te, divitem illam fecit, nisi civium suorum virtus, ac modestiæ studium et iustitiæ cultus et rei bellicæ disciplina? Quid autem maius censes: inter tot gentes indomitas, inter tot populos prohibentes evexisse in silvis dumosis, et in collibus imperviis inauditum illis temporibus, et invisum nomen, an adhuc stantibus fundamentis et reverentia nominis toto orbe diffusa, senectute collapsum restituere? Hic mihi mutationem si quis obiiciat non audiam, vel si audiam ridebo. Crede enim mihi, Cæsar, mundus idem est qui fuit, idem sol, eadem elementa: virtus sola decrevit. Civitatum nempe manuque congestarum molium aliæ creverunt, decrevere aliæ, quædam funditus corruerunt, nostris quædam surrexere temporibus. Vetus est vicissitudo rerum humanarum. Quid hinc elicis? Iterum quæso crede mihi. Si Roma illa unde titulum trahis, et si Cæsar ille, cuius nomen atque, ut sperare solebamus, animum habes, hodie viverent, multo citius quam tunc ad arcem rerum atque Imperii fastigium pervenirent. Tunc enim repugnantiæ multum fuit, grave nostris periculum, ingens labor: nunc plana et facilis via est: sed viator deest: luxus et inertia late regnant: ignavia orbem terrarum possidet, armato Cæsari mox cessura, imo vel pro te partes actura. Nonne etenim tuum nomen paucis bonis et amatoribus virtutis atque Imperii adiutum adversus inertem luxum inermemque superbiam facile bellum omne conficeret? Vis non modo probem sed ostendam tibi ista esse ut dico? ecce. Nudiustertius caput extulit quidam e plebe humili non romanus rex, non consul, non patricius et vix bene

cognitus romanus civis, nullis titulis suorum, nullis maiorum imaginibus, denique nullis ad id tempus virtutibus suis clarus, qui vindicem se romanæ libertatis assereret. Obscuri hominis clara professio. Illico ut scis, Tuscia cupide manus dedit, imperia excepit. Iam sensim omnis Italia sequebatur, iam Europa, iam totus orbis in motu erat. Quid multis est opus? Non legimus ista, sed vidimus. Iam rediisse iustitia et pax et harum comites alma fides, tranquilla securitas, ad postremum aurei sæculi vestigia videbantur. Ille tamen in ipso rerum flore paruit alteri. Nolo sibi culpam dare nec alteri: non condemno hominem, non absolvo; non sum iudex: quid opiner scio. Et sumpserat ille titulum Tribuni, quod inter romuleas dignitates humillimum nomen fuit. Si tantum ergo Tribunicium potuit, quid Cæsareum nomen posset? At si differs, si hæres, et quam tibi sub oculis posui fugam temporis non attendis, actum est; ruit Imperium, perit libertas. Noli, oro te, Cæsar, hæc cum stomacho legere, quæ forsan gustui minus dulcia sunt quam velles. Nescis quia bilem concretam remedia nisi amara non penetrant? Ego tibi verum dicere non metuo, quoniam amare te verum novi, odisse blanditias. Prudenter, optime, magnifice. Aconita regum sunt, irrisio potentium, mors principum, arma fallentium. Sed enim nescimus *quanta bellua sit Imperium*. Hic enim alter excusationum tuarum color fuit. Quod dictum miror cur Augusto tribueris cum Tiberii sit, nisi forte vel rerum cura præsentium memoriam vetustatis obnubilat, vel communicato vocabulo quemlibet Imperatorem ut Cæsarem, sic Augustum vocas. Fecisti forsan id sciens, ut ab insigni auctore dicto, quo uti

decreveras, auctoritas quereretur, non ignarus inter Augustum et Tiberium quid intersit. Ille principum sapientissimus atque optimus fuit, hic obscœnus ac ferox, et ut de eo proprie dixit quidam, lutum a sanguine maceratum. Hoc tamen idem dicto quo tempore sit usus nosti, vel si quid oblivionis inter tot maiores curas obreperit, apud Tranquillum leges. Eo quidem tempore hoc dixit, quo exempto iam rebus humanis Augusto successor longe impar impudentissime arreptum rebus ipsis imperium verbis tamen ambiguis fallacique et varia dissimulatione renuebat, falsum modestiæ nomen quærens, usque adeo, ut tergiversanti quidam in faciem elegantissime cavillatus illuderet: cœteros homines, quod promittant sero implere, illum vero quod impleat serius polliceri. Sed esto: sit dictum boni principis, sit non ficto animo prolatum, ipse sit auctor Augustus. Quid ad rem? Nescitis, inquit, quanta bellua sit Imperium. Imo scimus eximie: bellua potentissima est, sed quæ frænum doctæ manus excipiat: bellua ingens, sed tractabilis et ni tractetur indomita. Aude, age, frænum manu arripe, soliumque tibi debitum conscende. Si metuis, sessorem inveniet. Iulius Cæsar, cuius ut modo dicebam, hæreditarium nomen habes, equum apud se ortum et alterius impatientem ascendit, et in deliciis habuit: tu solium non alterius sessoris impatiens sed a tot retro principibus insessum et tuæ sessionis avidissimum solus fugis? Verum enim vero cuncta prius tentanda quam ferrum. Hæc inter excusationes tuas ultima est, ubi nescio an illud gloriosi militis apud Terentium esses oblitus: *omnia prius experiri consilio quam armis sapientem decet.* Nihil enim aliud ad patrocinium

sententiæ huius affers, nisi quod hoc et medicos docuisse ais, et Cæsares didicisse. Bene quidem multum disparia coequasti: nam et Cæsares ægro orbi mederi solitos accepimus: nunc et ipsi cum reliquis ægrotant, et mundus æger medico caret, et mors universalis in foribus est. Dic autem mihi, Cæsar, quid ex omnibus intentatum est? verba, preces, minæ, blanditiæ, apparatus? Quid restat nisi ut hostibus imperii supplex ad genua provolvaris? Si id auditu fœdum et indignum est, ferrum superest ultima veternosorum ulcerum medicina. Nam quid amplius expectas? Padus ut ad fontem redeat? Ibit ille qua solitus est, et cum amne fluent anni, quodque non nunc noviter ex me audis, iuventam senectus excipiet, senectutem mors. Nihil prorsus hinc auferes, nisi quod bene seu quod male gesseris: nihil hic dimittes tuum, præter nominis memoriam et exangue corpusculum; illud quoque non iam tuum sed terræ parentis, ac vermium non magis Cæsaribus quam plebeis parcentium, imo quidem avidius corpora nobiliora rodentium. Quid de aliis fiet quæ videntur tua? Certe opes et imperium linquas alteri necesse est et ignoras cui. Hæc humana conditio est, cui nec Cæsar nec Pontifex romanus, denique nec regum nec omnino hominum ullus eximitur. Nunc igitur, nunc cura quod semper non poteris, qualia scilicet esse velis quæ propria et irrevocabiliter tua sunt: animam et famam. Inter temeritatem et inertiam nescio quid eligam: sæpe temeritas felicior fuit: non delector extremis, medium quæro. Sed heu vereor (quod pace sit dictum tua omniumque qui imperio illi præsunt quique gerendarum rerum officia susceperunt) ne penitus verum sit

quod in ore semper habeo: singula vitia, singulas excusationes habere, inertiam solam omnes. Si diu deliberasset Africanus, Italia deserebatur a suis, et Afrorum erat. Si diu deliberasset Nasica, libertas romana Gracchi conatibus et audaciæ succumbebat. Si Claudius Nero non dicam supervacua multa et longa, sed unum, quod necessarium videbatur et breve erat, senatusconsultum expectasset, coniunctus fratri Hasdrubal Romanum proculcabat nomen. Quid inter minores hæreo? Ipse quem sæpe nomino Julius Cæsar si procrastinator fuisset nunquam in tam parvo tempore hanc tantam, quæ vix omnium studio sustinetur fundasset erexissetque rerum molem, cui Imperii nomen est. Tu si cuncta deliberas, et singulis immoraris, prædicam tibi, etsi forte non animo tuo gratum at certe fidei meæ debitum (falsus utinam sim aruspex), nullus erit rerum finis; alii ex aliis erumpent laquei; nunquam te Italia, nunquam tu Italiam videbis, extra quam ubi imperii caput quæras nescio. Proinde quod scribis, te non ambitione tractum ad imperium aspirasse, sed difficultatis haud nescium divinæ iussioni paruisse, credo. Nam et prudentiam et modestiam tuam novi. Sed vide ne hoc tibi primum calcar et maximum esse debuerit, quo divini certus auxilii properares. Tu quidem patrii regni finibus contentus imperatorii oneris et honoris sarcinam ultro aliis linquebas. Hanc infallibilis ille rerum sator, rector et cognitor multis cupientibus ereptam humeris tuis imposuit. Paruisti. Non acceptare imperium forte magnum fuerit: de hoc tamen docti viderint. Certe sine scelere poterat non recipi; receptum negligi sine scelere non potest. Deus enim tibi (sicut

ipse non dissimulas) Deus, inquam, non tuus labor aut ambitio Imperii auctor est. Times illo duce proficisci quo iubente et Abraham unicum filium mactare et Moyses pastor incomitatus faciem superbi et obstinati regis adire non timuit? Scio: multa te vellicant, quibus compositis alia atque alia emergerent. Credis ne tu Cæsar in imperio sine curis vitam agere, quam pastor in tugurio non agit? Nam illa qualia sunt quibus inniteris? Nonne quot publicæ mundi clades, tot privatim famæ tuæ vulnera, quotque hinc excusationes efficere tibi vis tot in te conficis argumenta? Cuius enim pudorem nisi regis prægravant regni mala? Diruta est, inquis, imperii libertas. Tu pater imperii dirutam restaurabis. Sumpta latinis servitus: tu illam tuorum cervicibus excuties. Ad avaritiæ lupanar prostituta iustitia; tu illam ad sua sacra penetralia revocabis: pax e mentibus lapsa mortalium: tu illam in sua sede restitues. Ad hoc enim natus, huic officio destinatus es ut Reipublicæ deformitates aboleas et pristinam faciem mundo reddas. Tunc verus mihi Cæsar verusque videberis imperator, cum officium tuum impleveris, sine quo, ne dum princeps, sed ne privatus quispiam iure laudabitur. Addis autem (stupeo auditu) nesciam tunc secessionis Italiam. Quando, obsecro, id fuit? Ego enim in annalibus vix aut ullum tale tempus invenerim, aut inveniri posse crediderim. Sileo illa vetustiora ipsius urbis origine, et primos muros fraterna cæde madentes et impio scelere quæsita diademata. Quotiens parta iam libertate plebs indignans secessit a patribus? Testes sunt mons Sacer, Ianiculum, Aventinus. Pyrrhus in Italiam traiecit, opem nempe laturus rebellantibus Tarentinis. Eodem tempore

et Brutii defecerant et Lucani aliæque gentes Italicæ, quas omnes bello contundi et nolentes in fidem redigi oportuit. Secutus est Hannibal; defecit Capua magnis Romanorum obstricta beneficiis et, ut proprie dicam, populi romani liberta sed infidelis et ingrata. Imo vero quis ea tempestate non defecit? Relege historias. Decem octo coloniæ per omnem Italiam in fide manserunt, quarum subsidio, ut Livii summi historici verbis utar, tunc imperium populi Romani stetit, iisque gratiæ in senatu et apud populum actæ. Quid totiens Hernicos rebellantes, quid perpetuos hostes Volscos Æduosque commemorem? Quot cum Latinis bella prope civilia (unum enim corpus imperii videbatur), quot urbes eversæ, atque in primis ipsa romani imperii parens Alba? Quod ut fieret quid nisi defectionum metus ac memoria hortabatur? Quotiens cum Sabinis ancipiti acie decertatum, cum Umbris, cum Samnitibus, cum Hetruscis, cum Liguribus ac Boiis et Gallis Insubribus, ubi Mediolanum Ticinumque urbes sunt? Sed quid longius feror? Tibur ac Tusculum et Præneste, tria quæ suburbia urbis Romæ, bellorum causas ac materiam præbuere, cum non suis tantum viribus insultarent, sed externis hostibus auxilium ac receptacula præbuissent. Ad hæc Veii vix decennio diruti: exustæ Fidenæ: sanctitatis admiratione Phalerii subacti, vi capta Neapolis, captumque Brundusium, et Corioli, et Fregellæ, et Sora, et Algidum, et Corniculum, ac Sutrium, et Bovillæ, et Verulæ, et Fæsulæ, unde patriæ meæ fundamenta fluxerunt. Piget, fateor, maximis parva connectere. Sed ut iam prævalidæ robustæque civitati nihil arduum sit teneræ ac vix dum pubescenti Reipublicæ nullus acu-

leus parvus erat. Adde Syracusanam obsidionem longam atque difficilem, clarissimæque urbis interitum, qui duces quoque hostium ad commiserationem lacrimasque compelleret: adde Firmium atque Asculum et Picenum omne perdomitum, Vestinosque et Marsos et Pelignos, interque tot externos tumultus intestinas domi seditiones, et senatus insolentiam, et tribuniciam rabiem et turbulentissimos agrariæ legis motus, ut reliquos sileam, quos enumerare non sufficio. Adde, postquam res ad unius imperium rediit, coniurationes innumeras et totiens, licet frustra, petitum insidiis Augustum caput, ut omittam qui veneno vel gladio periere: adde famem Perusinam et obsidionem Mutinensem, et defectionem coloniæ Cremonensium, quæ una fuerat inter paucas fidelissima, quarum paulo ante memineram. Longum nimio historiæ iter arripui sed subsistam. Omnis enim ætas secessionibus Italicis ac defectionibus plena est, ut forti animo et veterum memori nihil possit insoliti terroris occurrere, utque nimis proprie dictum et ex ipso naturæ gremio sumptum videatur quod Virgilius ait:

> Gravidam imperiis bellisque frementem
> Italiam.

Talis enim ab initio fuit, talis est hodie, talis ad extremum erit. Iam vero quæ valide te paupertas remoratur? Quid habet paupertas commune cum Cæsare? Aut quomodo pauper est qui alios ditat? Animus pauperem facit et divitem. Pauper sum. Et Iulius ante imperium pauper fuit; post imperium non dives: nemo enim liberalius victoria usus est, et, ut ait Annæus Seneca, nihil sibi retinuit præter dispensandi potestatem. Postremo: pauper

sum. Multos in bellum impulit paupertas, multis animos dedit, præsertim si adversarius dives sit. Divitias nempe viris fortibus bellum facit. At monet paucitas meorum, comites bellum parant, terret fama vulgaris. Quarundam minimarum rerum aliquando magnum est nomen, et sæpe fama terribilior quam conspectus. Opinio rem non mutat. Quod tui nequeunt, oculi tuorum vident, non quia vegetiores, sed quia propinquiores. Multa de longinquo cernentibus metuenda propinquantibus apparuere ridicula. Ecce quam tibi multa Cæsar tribus epistolis scripsi, si forsitan ter vocatus exaudias, et ut, quem non potes aliter, in his litteris animum meum cernas. Mallem posse tibi armatis legionibus obviam ire imperata facturus. Quod unum datur, animo atque exhortationibus occurro, neque iam satis scio, quid ulterius loquar, neque, si hoc non sufficit, quid ex me sufficere possit intelligo. In te, magnanime Cæsar, in te, inquam, esse debet ignis ille quem speramus nobis et algenti iustitiæ succursurum. Sed is forsan extinctus est: nequidquam flamus in cinerem. Improbi viri verbum est, sed hac in parte veridici, virtutem verba non addere. Excitare illam potest adhortatio, non dare. Itaque nihil amplius dicam nisi id in quo totius negotii vis est: omnia consilio, Cæsar, egent, sed nihil inertia. Et est ubi non multum consultasse consilium sit. Vale.

IX Kal. Decembres.

EPISTOLA II.

FRANCISCUS PETRARCA NICOLAO SYGERO MAGNO INTERPRETI IMPERATORIS CONSTANTINOPOLITANI.

Gratiarum actio de Homeri libris ab eo dono acceptis.

Clari animi, clarum munus, ut decuit, fuit: operationes enim hominum animum imitantur, et qualis quisque sit ex actuum qualitate conspicitur. Singulare aliquid te decebat: nempe singularis es vir, et ab acie vulgari tota intentione remotissimus. Si esses unus e populo, fecisses ut reliqui; nunc autem implesti magnifice quod tuum erat, unoque actu et amicitiam et ingenium aptissime declarasti. Misisti enim ad me de Europæ ultimis donum, quo nullum vel te dignius, vel mihi gratius, vel reipsa nobilius mittere potuisses. Magnus ille rex Syriæ Antiochus, ut quidam putant, sive, ut Ciceroni placet, rex Pergameorum Attalus Publio Scipioni magnificentissima dona, usque ad Numantiam misit ex Asia, quæ ille vir clarissimus non abscondidit, sed, ut ait idem, inspectante suscepit exercitu, cuius avus Africanus ille superior, insignia munera Masinissæ regi legitur donasse, virtutis ob meritum, quia Romanum exercitum enixe admodum in bello iuverat. Fecere idem sæpe alii. Neque enim modo publicas privatasque munificentias enumero: sed attingo aliquas quarum relatu facile quid sim dicturus intelligas. Donant aurum quidam, vel argentum, concupiscibilem forte, sed certe periculosissimam terræ fecem. Donant spolia rubri maris et algæ ditioris exuvias, lapillos

gemmasque cometarum in morem sæpe lugubrem prorsus ac sanguineum rutilantes. Donant monilia et baltheos, fuliginosorum decus artificum. Donant excellentium opus architectorum arces et mœnia. Tu vero vir optime nihil horum quæ et opulentiam largientis ostenderent et accipientis avaritiam irritarent. Quid igitur? Rarum munus et iucundum, meque utinam, te profecto dignissimum ut dixi. Quid enim vir ingeniosissimus atque eloquentissimus nisi ipsum ingenii et eloquentiæ fontem daret? Donasti Homerum quem bene divinæ omnis inventionis fontem et originem vocant Ambrosius et Macrobius, et si omnes tacerent, res ipsa testatur, sed fatentur omnes. Ego autem ex omnibus sciens unum tibi testem protuli, quem ex omnibus latinis tibi familiarissimum esse perpendi. Illis enim facile credimus quos amamus. Sed redeo ad Homerum. Hunc tu mihi vir amicissime donasti, promissi tui simul ac desiderii mei memor, quodque non modicum dono adiicit, donasti eum non in alienum sermonem violento alveo derivatum, sed ex ipsis græci eloquii scatebris purum et incorruptum, et qualis primum divino illi profluxit ingenio. Summum utique, et, si verum rei pretium exquiritur, inextimabile munus habeo, cuique nil possit accedere, si cum Homero, tui quoque præsentiam largireris, qua duce peregrinæ linguæ introgressus angustias, lætus et voti compos dono tuo fruerer, attonitusque conspicerem lucem illam et speciosa miracula, de quibus in *Arte poetica* Flaccus ait:

Antiphatem Scyllamque et cum Cyclope Carybdim.

Sed nunc heu quid agam? Tu mihi nimium procul

abes felix utriusque linguæ notitia singulari; Barlaam nostrum mihi mors abstulit, et, ut verum fatear, illum ego mihi prius abstuleram. Iacturam meam dum honori eius consulerem non aspexi: itaque dum ad Episcopatum scandentem sublevo magistrum perdidi, sub quo militare cœperam magna cum spe. Longe impar fateor, tui et illius ratio. Tu mihi multa, ego tibi quid conferre possim non intelligo: ille autem, cum multa mihi quotidiano magisterio cœpisset impendere, non pauciora quidem, sæpe etiam lucrum ingens ex convictu nostro sese percipere fatebatur urbane nescio an vere: sed erat ille vir, ut locupletissimus græcæ, sic romanæ facundiæ pauperrimus, et qui ingenio agilis, enunciandis tamen affectibus laboraret. Itaque vicissim, et ego fines suos, illo duce, trepide subibam, et ille post me sæpe nostris in finibus oberrabat, quamquam stabiliore vestigio. Nam et hic quoque ratio diversa. Illi enim plus multo latini, quam mihi græci erat eloquii. Ego tum primum inchoabam, aliquantulum ille processerat, ut qui italica natus esset in Græcia, et qui licet ætate provectior, latinorum conversationem magisteriumque sortitus, ad naturam propriam facilius remearet. Illum mors, ut paulo ante questus sum, te mihi morti non absimilis rapit absentia. Etsi enim, ubicumque sis, de tanto gaudeam amico, viva tamen illa tua vox, quæ discendi sitim, qua me teneri non dissimulo, posset vel accendere, vel lenire, minime aures meas ferit, sine qua Homerus tuus apud me mutus, imo vero ego apud illum surdus sum. Gaudeo tamen vel aspectu solo et sæpe illum amplexus ac suspirans dico: O magne vir, quam cupide te audirem! Sed aurium mearum aliam mors ob-

struxit, aliam longinquitas invisa terrarum. Tibi quidem pro eximia liberalitate gratias ago. Erat mihi domi, dictu mirum, ab occasu veniens olim Plato philosophorum princeps, ut nosti (neque enim vereor ne tu tantus vir, quod scholastici quidam solent, huic præconio obrepas, cui non Cicero ipse, non Seneca, non Apuleius, non Plotinus magnus ille Platonicus, postremo non Ambrosius, non Augustinus noster obstreperet) nunc tandem tuo munere, vir insignis, philosophorum principi poetarum graius princeps accessit. Quis tantis non gaudeat et glorietur hospitibus? Habeo quidem ex utroque quantum latinitas habet in sermone patrio, sed græcos proprio in habitu spectare, etsi forte non prosit, certe iuvat. Neque præterea mihi spes eripitur ætate hac profectus in litteris vestris, in quibus ætate ultima profecisse adeo cernimus Catonem. Tu si quid forsan ex me cupis, redde mihi fiduciæ tantæ vicem et in me iure tuo utere. Ego enim ut vides iure meo utor in te: et quoniam petitionis successus petendi parit audaciam, mitte, si vacat, Hesiodum, mitte precor Euripidem. Vale, vir egregie, nomenque meum quod sine ullis meritis, nescio qua indulgentia vel hominum vel fortunæ iam satis in occidente cognoscitur, in orientali aula si videtur et inter vestros heroas notum facito, ut quod romanus Cæsar amplectitur Costantinopolitanus non fastidiat Imperator.

Mediolani, IV Idus Ianuarii.



EPISTOLA III.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI DE CERTALDO S. P. D.

Librum Augustini in Psalmos ab eo dono missum acceptum refert.

Beasti me munere magnifico et insigni. Iam davidicum pelagus securior navigabo, vitabo scopulos, neque verborum fluctibus neque fractarum sententiarum collisione terrebor. Solebam ipse meis viribus in altum niti, et nunc altius brachia iactando, nunc poste fortuito subnixus per obstantes fluctus fessum ingenium librare, ita quidem ut sæpe cum Petro mergi incipiens exclamarem: Domine, salvum me fac, et ipse secum, Christo manum supplicibus porrigente, consurgerem. Hos inter æstus puppim tu mihi prævalidam et nauclerum industrium destinasti divini ingenii Augustinum, cuius opus immensum quod vulgo tres in partes, apud quosdam plurifariam divisum multis et magnis voluminibus continetur, et totum uno volumine comprehensum et a te mihi transmissum lætus stupensque suscepi et dixi mecum: non est inertiæ locus: si quid otii supererit iste discutiet: magnus adest, et magno curandus impendio dormire totis noctibus non sinet. Frustra palletis aut connivetis oculi; vigilandum est, lucubrandum est. Frustra quietem meditamini, laborandum est. Verum dicam: nemo ex amicis illum sine admiratione respexit, cunctis una voce testantibus, nunquam se librum tanti corporis vidisse; quod de me ipse profiteor rerum talium haud ultimus inquisitor: nec

mole litterarum quam sensuum ubertate maius opus. Monstrum est cogitare, quantus ille vir ingenio, quantus studio fuit. Unde ille fervor scribendique impetus sancto viro? Illa rerum divinarum notitia terrenis diu primum illecebris capto? Illa demum laborum patientia seni? Illud otium episcopo? Illa romani eloquii facultas Afro homini? Quamvis ut idem etiam quodam loco clare innuit, sua ætate Afri quidam latinis litteris uterentur: de quo perproprie dictum putes, quæ ipse de Marco Varrone dixit Terentianum sequens: vir inquit doctissimus undecumque Varro qui tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacavisse miremur: tam multa scripsit, quam multa vix quemquam legere posse credamus. Sed ut alia omittam eiusdem ingenii monumenta, seu quæ multa sunt mihi, seu quibus adhuc careo, et rursum seu quæ retractationum suarum libris idem ipse commemorat, seu quæ ibi vel oblita forte, vel neglecta, vel nondum scripta præteriit, ad quæ omnia relegendum vita humana vix sufficit, quis etiamsi nil aliud egisset, unum hoc scribere potuisse non stupeat? Nullum unum et unius opus hominis latinis editum litteris huic magnitudine conferendum scio, nisi forte sit alter eiusdem liber in epistolas Pauli, quod nisi fallit æstimatio frustraturque memoria prope ad eamdem litterarum congeriem videtur accedere, vel Titi Livii romanarum rerum liber ingens, quem in partes quas decades vocant non ipse qui scripsit, sed fastidiosa legentium scidit ignavia. Huic tali amicitiæ tuæ dono præter eam quam loquor magnitudinem et libri decor et vetustioris litteræ maiestas, et omnis sobrius accedit ornatus, ut cum oculos ibi figere cœperim siti-

culosæ hirudinis in morem nequeam, nisi plenos avellere: ita sæpe mihi dies imprансus præterlabitur, nox insomnis. In quo quidem delectationi meæ quam iam fere unicam, nec nisi ex litterarum lectione percipio, quantum hac tua liberalitate sit additum, non facile vulgus existimet, cui extra corporeos sensus nulla voluptas est: tu vero perfacile, neque mirabere libri huius adventum me sitienter atque anxie expectasse. Scis ut cupiditati longa brevitas, festinatio tarda est. Quod si apud Nasonem amantis insani verbum est:

Septima nox agitur, spatium mihi longius anno

quid mihi visum putas cui inter expectandum, ut ex persona alterius ait idem:

Luna quater latuit, toto quater orbe recrevit?

Solet honesta cupientium flamma serenior esse non segnior. Consulto tamen actum reor, non quidem abs te qui in mittendo multam solicitudinem habuisti, a fortuna potius, ut ipsa dilatio desiderio meo calcar munerique tuo gratiam cumularet. Pro quo tibi grates meritas agendi, ne forte putes quod huius epistolæ contextus aut dies unus modum statuat, non alium scito quam legendi vivendique finem fore. Vale, nostri memor.

EPISTOLA IV.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI DE CERTALDO S. P. D.

Gratias agit de quibusdam Marci Varronis et Marci Tullii Ciceronis operibus quorum comparationem instituit.

Stilum meum obsequiis tuis vinci video. Multo ego prius gratiarum quam tu gratarum rerum actione defatiger. Recepi ecce iterum a te librum ex Varronis ac Ciceronis opusculis eximiis prorsus et raris, quibus nihil animo meo gratius, nihil optatius, nihil demum poterat advenisse iucundius. Accessit ad libri gratiam quod manu tua scriptus erat. Quæ res sub oculis meis inter illos duos tantos heroas linguæ latiæ te medium fecit. Nec vero te magnis nominibus inseri pudeat

Nec te pœniteat calamo trivisse libellum,

ut ait ille. Etsi enim tu alios mireris, quos studiorum mater omnium tulit antiquitas, idque iure tuo facias, cuius sit proprium et mirari quæ vulgus despicit, et despicere quæ miratur: venient tamen qui te forsitan mirentur, nempe quem iam nunc mirari incipit invidia, et claris semper ingeniis ingrata præsentia, quam multa quoque subripuisse veteribus non ignoras, quæ sensim postea restituit hac una in re iustior et incorruptior sequens ætas. Egisti autem optime qui illos iunxeris, quos patria, tempus, ingenium, amor, studia coniunxerunt. Amarunt se illi cultu mutuo, multa sibi invicem, multa de alterutro scripsere; unus amborum animus, præceptorque unus fuit; in eisdem scholis milita-

runt, in eadem republica versati sunt, non eisdem tamen honorum gradibus, altiusque ascendit Cicero. Quid multa? Bene concorditerque cohabitabunt. Et, crede mihi, paucos tales iungere poteras ex omnibus sæclis ac gentibus, licet ille doctior, ille disertior: sequor famam: denique si loqui ausim, ac quis deorum quisve hominum non dicam inter tantas me iudicem partes statuat, sed ultro iudicare ausum inoffensis auribus audiat, quando tamen ita fert animus loquar, ut tibi uni in sinistram aurem insussurrem, quicquid id est. Cum equidem magni ambo, aut me amor et familiaritas fallunt, aut omni ex parte maior est Cicero. O quid dixi? quorsumve et prærumptum in locum prodii? Sed dixi; sed prodii; atque utinam non minus audaciæ, quam iudicii discrimen adierim. Vale.

EPISTOLA V.

FRANCISCUS PETRARCA GERARDO FRATRI S. P. D.

Mittit Augustini Confessiones, multaque disserit de mendosa librorum lectione.

Promissum Augustini Confessionum librum cum his litteris ad te misi, quem correctissimum forsan speras eo quod meus fuerit: sic enim tibi persuasum scio, me plus aliquid esse quam vulgus. Id in aurem tibi persuasor optimus amor eloquitur. Noli sic frater opinari: noli quæso te fallere, neque te ab alio falli sinas. Si tibi hoc amor dicit mendax est: si alius, ignarus mei est: si tu ipse, possem tibi credere nisi amares. Quid

ergo? De me mihi credam, qui etsi me amem, tamen ignorantiam meam odi, interque odium et amorem temperatam sententiam ferre queo. Quid vero pronunciem expectas? Unus ex multis adhuc sum, quamvis summo studio nitar assidue, ut sim unus ex paucis. Quod si accidat, bene erit feliciterque laboravero: alioquin vulgi aciem nisu saltem et voluntate trascendero. Et quando, inquis, hoc tibi futurum spondes, si nondum est, cum quidquid esse debueras iam nunc sis? Care frater, quærendæ sapientiæ ac virtuti nulla non ætas apta est. Quandocumque fuerit serum esse non poterit, modo sit. Et de me quidem hactenus. Quid de aliis dicam, qui non persuasione benevola, sed veri incorrupto iudicio docti sunt? Rarum semper, nostra autem ætate rarissimum genus. Sed ne ab illis quidem semper correctos ad unguem codices expectes. Maiora quædam et laudabiliora pertractant. Non calcem temperat architectus, sed iubet ut temperetur; non gladios acuit dux belli, non magister navis malum dedolat aut remos: non tabulas Apelles, non ebur Polycletus, non Phidias marmora secabat. Plebeii opus ingenii est præparare, quod nobile consumet ingenium. Sic apud nos alii membranas radunt, alii libros scribunt, alii corrigunt, alii, ut vulgari verbo utar, illuminant, alii ligant et superficiem comunt. Generosum ingenium altius aspirat, humiliora prætervolans. Itaque sic habe; sæpe ut agros divitum, sic libros doctorum hominum incultiores esse quam reliquos: copia nempe securitatem, securitasque segnitiem, segnities situm parit. Sic podagrici callem, quem frequentare habent, offensæ licet facilis aut paventes aut memores, minutissimis quoque la-

pillis expurgant, cum sani pedes acuta etiam saxa contemnant. Sic valetudinarii fenestrellam omnem vitro sepiunt, cum bene valentes aer liquidus et gelidi flatus mulceant aquilonis. Sic igitur idiotæ quos syllaba una vel littera sæpe diu tenuit perplexos, omnia accuratissime ne quid tale iterum patiantur, emendant, quod ingenio fidentes et maioribus intenti negligunt. Et hæc quidem in commune dixerim. De libro autem hoc quid speres ipsa te libri facies monebit. Novus et nudus est et nullo correctoris dente percussus. Familiaris illum meus scripsit, quem mecum intra tuum limen anno altero vidisti, iuvenis digiti quam ingenii melioris. Neglectam tamen orthographiam, potius quam insignes defectus invenies. Denique forte aliquid occurret quod intellectum exerceat, quod impediat nihil. Perlege et insiste: accensum liber hic animum inflammabit, qui algentes accenderet. Videbis quod de Biblide habetur in fabulis, Augustinum nempe in fontem devotissimarum lacrimarum esse conversum: quem precare, oro te, ut communem dominum pro me roget. Quid multa? Et tibi inter legendum fluent lacrimæ, et legendo flebis, et flendo lætaberis, dicesque te in his litteris vere ignitum eloquium et *sagittas potentis acutas cum carbonis desolatoriis* invenisse. Vale.

Mediolani. VII. Kal. Maias, ad vesperam.

EPISTOLA VI.

FRANCISCUS PETRARCA FORENSI PLEBAINO S. P. D.

Amicorum dulces esse obiurgationes.

Querelas tuas, optime vir, cunctis mihi blanditiis dulciores elegantissimus stilus explicuit. Mira rerum et infinita diversitas ac stupenda prorsus alternatio, dulcia ex persona nonnunquam amarescere, atque amara dulcescere. Quæ in speciebus quidem aliis atque aliis non miramur. Quis enim miretur agnum mitem et innocuum, rabidum ac rapacem lupum, ferum et indomitum leonem? Ursus, aper, pardus, tigris, etsi naturæ omniparentis imperio coeant, et coniugio delectentur, dilectæ tamen consorti blandiuntur horrifice et leti triste nescio quid auribus hirsutis murmurant. Contra autem philomela direpto tristior nido, dulce quiddam et amœnum gemit, et cycni, ut aiunt, vicina morte suavissimus est concentus. Talia vero in una eademque specie sine stupore non cernimus. Quis enim non miretur esse quorumdam hominum molestas rancidasque blanditias, quorumdam hybleis favis dulciora convicia? Utriusque rei exemplum non longe quæsitum dabo. Est mihi seniculus quidam domi qui licet in extremo habitabilis zonæ natus, ultra quam homines non sunt, ipse tamen homo est, hominisque animam et effigiem habet, sed adeo nihil humani risus, ut dum blandiri incipit aut ursinum sæviat, aut aprinum nescio quid infrendat; adeo denique tetrici moris est, penitusque barbarici, ut et quodam modo lambendo mordeat, ut de eo perpro-

prie dictum putes non illud eximii prophetæ *fluit ut ros eloquium eius*, sed illud comici poetæ *lapides loquitur:* lapides, inquam, meros atque durissimos quibus cerebrum incredibiliter excutit et obtundit, fœdoque tonitru cœlum omne contristat. Ex diverso autem sunt amici, pretiosa, grata et immarcescibilis supellex qui me castigando et iurgando permulceant. Horum unus es tu, cuius mellifluæ querelæ multa me, fateor, respersere dulcedine; tam suaviter et amice hinc fortunam tuam, hinc duritiem meam defles: melius mihi crede segnitiem. Absit enim ut aut immemor tui sim, aut oblitus mei. Memini primordiorum amicitiæ nostræ, quæ tu mihi velut oblita in faciem obiicis commemoratione tam dulci ut gaudeam reus esse; et quamvis nolim iustam tibi querelæ materiam præbuisse, velim tamen aliquid accidisse quod querereris. Prodest interdum irritari animos, et sæpe parvæ species offensæ magnæ causa virtutis fuit. Multis vocem extorsit indignatio et dolor et metus. Nisi Cyri miles in Crœsum violentus irrueret, Atys Crœsi filius perpetuo mutus foret. Ego quoque te loqui silentio meo feci, quod sermone forsitan non fecissem. Enimvero te locutum gaudeo: taciturnitatem vero meam molestam tibi fuisse doleo. Curabo ne unquam amplius molesta sit, neu aliquando vel frustra mihi scripsisse videaris, vel, si nihil scripseris, possis sive in propriis, sive amicorum saltem in litteris te præteritum lamentari. Hactenus ergo da veniam calamo attrito: ignosce digitis fatigatis: parce animo occupato, et vale.

Mediolani, Idibus Martiis.

EPISTOLA VII.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SS. APOSTOLORUM.

Laudat eius scribendi elegantiam et simplicitatem.

Tumultuariam et festinatam epistolam tuam legi, quæ non minus ideo grata oculis meis atque animo, sed prope gratior fuit. Talis illa mihi, qualis amanti cupido incomptior amica. Suspiravi et dixi: quænam hæc esset si speculum aspexisset. Ipsa se forte dum a prandio consurgis, Cerere, ut iocando ais, Liberoque certantibus, raptim quotidiana veste suffarcinatam, et sic ad me venire iussam affirmabat. Contra autem stilus sobrium et impransum profitebatur auctorem; nihil modestius, nihil abscissius; matura pro tempore sententiarum gravitas, dulcis et ingenua frons, verborum multus subito deprehensus decor, pudor et tremor vocis, et capillus impexus, et discinctus sinus, et pes nudus, et toga fortuita. Sæpe magni cultus loco fuit habitus neglectior. Talis Cleopatra, sparsa cæsarie, Cæsareum animi robur inflexit. Talis Phædræ oculos rigor movit Hippolyti et coma sine arte posita et levis ore pulvis egregio. Talem fuisse Sophonisbam reor, dum Masinissam cæpit victa victorem, quod in Africa olim gestum nunc in Africæ nostræ libris patheticæ materiæ fundamentum est. Talis puto Lucretia erat dum Sexti Tarquinii pectus accendit, unde regnorum finis et romanæ libertatis exordium fluxit. Quæ quamvis ita se habeant, est tamen familiaris mos iste formosis de deformitate

conqueri; adeo nihil excelsum est animo summa volventi donec pervenerit quo suspirat. Epistolam quidem illam inter temporis angustias scriptam nihil nisi brevitas indicio est. Non soles mecum verborum esse tam parcus. Sed ne illius eximiam brevitatem multiloquio premam, quidquid hodie æconomicum mihi domus attulit, seorsum altera perleges papyro. Ita enim ab eo studio semotus sum, ut neque me digna censeam, neque quodammodo mea putem quæcumque de domesticis curis scribo, quamquam ibi præcipua mentio sit librorum, quorum me anxie avidum non negabo. Hic me affectus a iuventute prosequitur. Ineptum fortasse dicat aliquis. Quid enim stultius quam solicite quærere, quo parto uti nescias? Quasi non iure optimo Flaccus irrideat:

> Si quis emat citharas, emptas comportet in unum
> Nec citharæ studio nec Musæ deditus ulli.

Nosti cætera, locum tenes. Si quod sane mihi cum libris potest esse commercium, hunc in me affectum non mirabitur quisquis Ciceronis epistolas aliquando perlegerit, ubi vir ille, cuius ex ingenio velut e fonte purissimo atque plenissimo fluebat quidquid est pene librorum illustrium, quo vetus latinitas glorietur, libros tamen alienos non appetere videtur sed ardere. Hactenus hæc. Epistolas quidem meas aliquot tuo sub nomine descriptas ad te non pervenisse scio. Facit hoc mihi quorumdam importunitas atque improbissima litterarum sitis, qualem pati solent qui febribus æstuantes limphis inhiant nocituris. Quidquid ergo cuique excidit sitienter intercipiunt, nec studiosorum abstinent

iniuriis, dum ardenter hauriant quod tepide digestum, sibi atque aliis nauseam ferat; quos ego non tam litteratos quam litteratores voco, frivolos et inanes, et ut ait poeta:

Non æquo fœdere amantes.

Sic iniquo sidere nati, amantesque semper nec amati profugas litteras insectantur. Sed de his satis superque dictum est. Epistolarum illarum quasdam iterum ad te mitto, non tam quia necessariæ tempestivæque sint, quam ut in otio meo sæpe me tui memorem, imo vero nunquam prorsus immemorem scias. Vale.

Mediolani, Kal. Aprilis: propere.

EPISTOLA VIII.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

Se in epistolis familiaribus de sermonis elegantia non esse solicitum.

Credes me quoque solicitum comendis epistolis qui post dies hanc aut suscipiam, aut tibi ingeram curam, et quasi lascivior adolescens non tantum vultus in speculo sed terga contempler. Crede mihi, non sum; nihil minus: magna mihi ex parte dilabitur quidquid ad amicos loquor. Spero me illis notum, nec placere despero, licet incomptum. Debiliter amat, quem dilectæ capillus incultior offendit. Ab aliis autem veniam expe-

to. Si cogitent quis et cui et quid loquar, forsan qualiter non curabunt. Fugio ego supervacuum laborem: necessario si sufficiam satis erit. Profecto autem magnus amor artificiosa eloquentia non eget. Cui non diserta visa est amica? Quem non delectat dum balbutit infans filius? Postremo quis a se dum secum ipse loquitur ornatum quærit? At vetus est verbum: *amicus alter ego*, de quo eleganter Cicero: *Quid dulcius quam habere, cum quo omnia audeas sic loqui ut tecum?* Nemo igitur exigat ab amico quod a se non exigit: alioquin non sic cum amico loquitur ut secum. Equidem sic mihi omnis amici sermo probatur ut proprius, nec sermo tantum, sed silentium et nutus. Quid enim refert, modo quid ille velit intelligam, aut quid nolit, cum quo idem velle et idem nolle disposui? Amici mei eloquentiam si adsit amplector, sicut eiusdem reliquas seu gratias seu virtutes, sed ita illam expeto quod amici ut animum sic et linguam ornatam velim, non quod delicatas cum amicis aures habeam. Malim amicum facundum esse quam balbum, quippe et sanum malim quam ægrotum, formosum præterea quam deformem, non quod ægrum deformemque minus amem, sed quod sano formosoque magis gratuler. Sic ditem illum potius eligam esse quam pauperem, ita tamen ut non inde prædam mihi cogitem, sed copiam illi, mihi gaudium, sine quo amici prosperitas esse non possit. Virtus est amicitiæ fundamentum, ad quam servandam nihil requiritur præter mutuam charitatem. Ea simplex et nullis fucis illita est, nil quærit exterius. Et si multa non quærenti obveniant (quis enim amicitiarum commoda atque oblectationes enumeret?) charitas tamen stimulos

non requirit: sese contenta est, ipsa sibi calcar et præmium. Si quid uberius obtigerit non amicitiæ laus fuerit, sed fortunæ: sicut non melior piscator est sed fortunatior, cui in visceribus capti piscis iaspis inventus est, nec venator fuit melior qui avorum temporibus sub Arctoa plaga, si tamen vera fama est, cervum torque aureo circa collum cœpit, in quo, ut perhibent, vetustissimis litteris scriptum erat: *nemo me capiat*, quem Iulius Cæsar liberum esse iussit. Aliud agebat agricola, cui sub Ianiculo terram molienti septenos libros græcos ac latinos, et Numæ Pompilii regis bustum casus obtulit. Sæpe me vineæ fossor Romæ adiit gemmam antiqui temporis, aut aureum argenteumque nummum manu tenens, nonnunquam rigido dente ligonis attritum, sive ut emerem, sive ut insculptos eorum vultus agnoscerem. Fortunatus sæpe architectus, dum fundamento stabili sedem quærit, urnam auream defossamque sub terram reperit thesaurum. Quisquam ne horum adventitio lucro famam suæ artis aut ingenii consecutus est? Fortunæ dona sunt hæc non hominum laudes: multoque dignius habet artificis nomen, quem rite omnia facientem vipera cavernis lapsa deterruit, quam is quem temere cuncta miscentem latentis auri fortuitus fulgor læta admiratione suspendit. Idem in amicitiis dicendum est. Elegi amicum prudenter, amavi ferventer, colui diligenter, fidem ad extremum præstiti. Hæc mihi amicitia labores attulit, curas atque pericula: nullus hic error amicitiæ, sed fortunæ est. Ille idem præstitit, sed ob eam ipsam amicitiam honore auctus, aere ditatus est. Iam dixi fortunatior fortasse, non melior est amicus. Alter autem amicitiam simulavit fidemque dum fingeret invenit,

commoda hinc multa percipiens. Nam utilitates quidem, ut ait apud Ciceronem Lælius, etiam ab his percipiuntur sæpe, qui simulatione amicitiæ coluntur, et observantur temporis causa. Quid de hoc sentiam, queris? Fuci callidum venditorem et mendacio feliciter usum dicam; quod amicitiam spectat, impostoris illi nomen attribuam, non amici. In amicitia enim, ut ibidem ait idem, nihil fictum est, nihil simulatum, et quidquid est, idem est verum et voluntarium. Hæc igitur summa est: in amicitia sola amicitia quærenda. Verus amicus nihil nisi amicum cogitat. Quod si me semper amicis præstitisse et ab illis præstitum mihi scio, neque quam remitto aliis, a me, in familiaribus præsertim epistolis, eloquentiam flagitari, neque mihi vitio verti credam si cum amicis sic locutus inveniar ut mecum. Quæ res mihi tantum incuriositatis attulit, ut non verborum modo sed rerum quoque negligens fiam. Unde me fateor, ut incidenter hoc dixerim, nonnunquam inconstantiæ notatum ab his quibus videretur etiam amicis colloquentem sic librare omnia debere, ut nihil vel in oratione sit varium vel in rebus. Quale est enim, inquiunt, amico quidquam loqui aut aliquid velle hodie, cuius contrarium cras loquaris aut velis? Firmandum ergo animum et tum demum amicis aperienda consilia. Hinc enim et verborum et actuum uniformitas consequetur. Quod alibi quidem utiliter præcipi non nego; sed in amicitia nimis vafre. Ita illis respondeo (nam et adhuc sub iudice lis est, et te arbitrum non recuso) me, quod sæpe iam dixi, omnia cum amicis ut mecum loqui, mecum vero non tantum examinata et approbata, sed ambigua sæpius et incerta tractare, et hæsitare, et

consultare, et ratiocinando ad verum niti. Itaque quod deliberantis est proprium, modo hanc, modo illam placere sententiam, quod suo etiam laudato duci Virgilius idque non semel, dedit:

> Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc
> In partesque rapit varias perque omnia versat.

Quod si ad amicos firmata tantum et consignata retulero, cautius id forte videbitur, et constantiæ inanem titulum aucupanti electionis ratio constabit. Verum enim vero non id est amicos consiliorum participes habere sed conscios. Ego non electiones modo, sed cogitatus motusque animi, quos primos vocant, ad amicos referam: neque rerum summas atque exitus, sed particulas atque primordia et progressus et quidquid mihi per noctem obrepserit, amicis obviis primo mane narrabo. Si ad mensam eunti quid aliud visum erit, surgens amicis dicam, et pugnare sententias gaudebo dum melior vincat, quod facilius fiet, si ab ipsis initiis amicorum fides in partem consilii sit admissa. Hæc et his similia cum sæpe pro quotidiani moris excusatione dixissem, forte accidit ut in epistolas Ciceronis inciderem, librum magnum multæque varietatis atque huiuscemodi familiaribus plenum refectumque colloquiis. Ibi excusationem similem legi, et delectatus sum, nescio qua vel ingenii, quod, ut optare, sic sperare utinam liceret, vel ipsarum rerum sola similitudine me dixisse quod tanto ante magnus ille vir dixerat, cum adhuc (Deum testor) ab illo dictum esse nescirem, et secum, ut in quodam loco ait idem, in eadem incidisse vestigia. Quod ut clarius fiat, ipsa Ciceronis verba subiiciam, qui ad At-

ticum scribens cum sæpissime variasset, adiecit et quasi ad seipsum loquens: *Anne igitur*, inquit, *sententiam mutas?* et respondet ut dixi. *Ego tecum*, inquit, *tamquam mecum loquor. Quis autem est, tanta quidem de re, quin varie secum ipse disputet.* Atque huic rationi ille aliam accumulans: *simul et elicere cupio sententiam tuam*, ait, *si manet, ut firmior sim, si mutata est ut tibi assentiar.* Quod ultimum me non tangit. Non sum tam cautus; nulla mihi in amicitiis ars, nisi ut valde diligam, valde confidam, nihil fingam, nihil occultem, et perinde omnia explicem in auribus amicorum, ut in animo meo sunt. Sed redeo. Quamvis ergo non magis aures tuas quam meas circumvenire propositum sit, et tamen mihi sæpe idem efficacius a me ipso dicitur quando sic dicitur excitantibus scilicet atque pungentibus verbis, quam si lentius diceretur, tunc amico non aliter quam mihi mutata ratione consultum velim, tunc paulo curiosior in sermone sum excitandi studio non fallendi aut inani artificio demulcendi. Quale est quod dum epistolam quam ad te penultimam scripsi, tacitus in memoriam, quod esset a me festinanter digressa, reducerem, nescio quid addi posse visum est, quo sonantior sit rotundiorque sententia. Id tibi seorsum ut in animum venit scripsi: quod si probas illic inseres, et tua manus nostro fungetur officio. Vale.

EPISTOLA IX.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM.

Quod a paucis in patria noscatur eius laudi vertit.

Quod visum fuit, epistolæ tuæ respondi et misi per fortuitum quemdam nostræ Reipublicæ nuntium, cum quo multa de te, in quibus illud apprime mihi placuit quod patriæ et civibus parum notus, eoque mihi notior clariorque et carior es. Semper de te bene speravi: iam sperare desino. Spes enim incerti venturique boni nomen; et mihi de te iam nihil incerti est. Epicurum ac Democritum studiosissimæ urbium Athenæ famosos mundo accolas, sibi autem incognitos habuere. Miremur si te mercatrix et lanifica nostra non noverit? Magnum locum hactenus in nostra amicitia tenuisti. En, quem impossibile arbitrabar quod alter anteiret, ipse te præis. Ita quidem ille me de te, quem facie plane norat, quasi de Dindamo aut Calano Indorum philosophis loquentem audiit, attonitus atque suspensus, defixis in me oculis, et velut horrore novi monstri cuiuspiam coram extantis, dum non tibi sed vero adstipularer. Ego contra stuporem non insulsi hominis stupebam, et ut dici solet in sinu tacitus gaudebam: et ad me identidem: quantus est ille meus cuius hic cum latera viderit verticem certe non vidit! Puto nubibus cinctus erat; quod excelsis montibus usuvenit; imo vero nubes excesserat; quod si Olympo datur, quanto altior illa pars animæ est passionum nebulas super-

gressa, ubi immota serenitas habitat, quo lippus et multa caligine obsitus popellus frustra suspicit? Sed ne multa de hoc, sic tibi persuade ad opinionem meam, quam iamdudum impleveras, laxandam nullius omnino facundiam tantum habituram virium, quantum illius silentium stuporque habuit.

EPISTOLA X.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

De legibus conviviorum.

Oh! felix lætumque convivium quod tales tamque unanimes tres amicos apud te nostri sub adventum nuntii festa luce contraxerat. Marci Varronis de lege convivii liber est, ubi illud inter multa præcipitur ut neque plures Musis, neque pauciores Gratiis sint convivæ, ne in alterum extremorum, aut in turbam aut in solitudinem res eat; etsi, iudice me, semper ad solitudinem vergendum. Nosti quid præterea convivalis illa lex sanciat, ut sit omnibus suis numeris convivium absolutum. Si belli, inquit, homunculi collecti sunt: quod ideo dictum puto quia hominum præpotentium magnitudo tranquillitati fere semper adversa est, non aliter quam tumidi maris fluctus. Ad hæc si electus, inquit, locus, si tempus, si apparatus non neglectus. Illud quoque requiritur, ut neque loquacitate turbidum, neque silentio mutum sit, sed inter utrumque, et confabulatione iucunda, et ser-

mone utili amœnoque sine contentione, sine iurgio, sine anxietate, sine molestia, denique dulci convictu et affabilitate conditum. Quæ dictu levia non facile rebus ipsis implentur, nisi lenis et immota serenitas præcesserit animorum vultus ac verba formantium. Quid de aliis? Quam famulis, quam convivii domino legem ponam, nisi ut illi pauci, humiles, soliciti, ille vero sit largus, sed sobrius, sed lætus, sed modestus, denique circumspectus, suavis, urbanus, disertus; sed qui tacere noverit, et pro qualitate hominum aut temporum aut locorum, iactis inter convivas verborum seminibus audire quid alii colloquantur? Hæc et si quæ sunt id genus nulla ex parte prorsus attico vereque philosophico convivio tuo defuisse crediderim, nisi quod tu fortasse lautior quam rustica nosset antiquitas: quamquam tuas lautitias eximia sobrietate et modestia plenas sciam. Sed ubi ego tunc eram? Eadem certe quæ ut abessem iusserat, quo uno licuit modo, ut ipse quoque præsens essem, fortuna providit: quando tunc præcipue caro cætui meas invexit epistolas, quibus geminatum gaudium vestrum scribis. Credo equidem, neque aliter suspicari fidelis amicitiæ candor sinit. Vale.

EPISTOLA XI.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

Librum et epistolam mittit ut Iacobo florentino tradantur.

Communis amicus an nunc etiam Bononiæ sit, ignoro. Mallem in Academia vel Parnasso: mallem Platone vel Homero duce, quam Ulpiano uti vellet aut Scævola, Pyeridumque modis, quam legum nodis intenderet. Sed vulgo unus obstare nequeo. Satis sit mihi vulgarium opinionum evasisse torrentem, si tamen evasi, et non ipse cum millibus mergor ac rapior. Gratum fateor mecum meos educere: si non possum salvis gratulari, lugere naufragos non vetor. Cœterum sive ille Bononiæ nunc etiam degit illa, quæ omnibus fere studiis par est, discendi cupidine, sive Florentiam rediit magnis Cisalpinæ Galliæ motibus e studio pulsus in patriam, quibus per hos dies, ut vides, non sine totius prope Italiæ Germaniæque motu, Ligurum ac Venetorum potentissima arma miscentur, quibusque urbs illa miserabilis olim lætitiæ clarissima, nunc tristitiæ fusca domus, graves nuper audaciæ pœnas tulit, rebus ipsis et sanguine proprio experta, quam verum est illud Cordubense vulgatum, quod:

> libertas populi quem regna coercent
> Libertate perit:

ubicumque, inquam, inter hos motus ille habitat, curabis ut Ciceronianus hic libellus, sive quem ab illo

quondam te præsente suscepi, ad eumdem quam primum perveniat. Ego enim rerum dubius hunc ad te potissimum destinare statui, certus tui, quod non temere nidum linquis, epistolamque addidi secum profecturam, quia per armorum strepitum micantesque gladios non tuto venturus videbatur incomitatus et inermis Cicero, vir, ut quidam ait, nihil minus quam ad bellum natus; quamquam (si iocari cum defunctis licet) ille forsan hæc audiat invitus, quem in epistolis ad Atticum (mirum dictu) tanta tenebat cupiditas triumphandi. Vale, nostri memor.

Mediolani, XVIII. Kal. Decembris.

EPISTOLA XII.

FRANCISCUS PETRARCA IACOBO FLORENTINO S. P. D.

Librum Ciceronis ab eo acceptum et a se transcriptum remittit.

Cicero tuus quadriennio et amplius mecum fuit. Tantæ autem dilationis causa scriptorum hæc intelligentium ingens raritas atque penuria; quam iactura studiorum incredibilis consecuta est, dum quæ natura obscura erant, intelligibilia desierunt esse, novissimeque neglecta prorsus ab omnibus, periere. Ita litterarum uberrimis atque dulcissimis fructibus et ingeniorum illustrium vigiliis atque laboribus nostra paulatim sæcula caruerunt, quibus an excellentius aliquid in terris haud temere diffinierim. Illud fidentissime dixerim maiorem hanc nostri temporis iacturam aliquantoque iustius de-

flendam, quam delphica sedes quod siluit, quo Deorum singulari quodam dono et quo nullum, se iudice, maius esset, Lucanus sæculum suum caruisse conqueritur. Quæ sedes melius omni tempore siluisset, et cum incola suo penitus obmutuisset Apolline, qui non prophetæ tantum testimonio, quoniam *omnes Dii gentium dæmonia sunt*, sed proprio etiam ore convincitur. Siquidem interroganti cuidam quem se faceret (quanta veri vis!), dæmonem se esse confessus est. Profecto damnosius nemo negaverit dulci solatio litterarum quam perfidi ac mendacis dæmonis caruisse colloquio. Sed relicta pereuntis scientiæ querela, ad Ciceronem tuum redeo, quo cum carere nollem et potiri per scriptorum ignaviam non liceret, deficientibus externis, ad domestica vertor auxilia, fatigatosque hos digitos et hunc exesum atque attritum calamum ad opus expedio. Et hunc quidem in scribendo morem tenui, quem, si quid tale forsan aggrediare, tibi quoque notum velim. Nihil legi nisi dum scriberem. Quid ergo, dicat aliquis, scribebas, et quid scriberes ignorabas? Mihi autem ab initio satis fuit nosse quod Tullii opus esset, idque rarissimum: procedenti vero per singulos passus tantum dulcedinis occursabat, tantoque trahebar impetu, ut legens simul ac scribens laborem unum senserim, quod tam velociter, ut optabam calamus non ibat, quem verebar oculis anteire, ne si legissem, scribendi ardor ille tepesceret. Sic igitur calamo frenante oculum atque oculo calamum urgente provehebar, ut non tantum opere delectatus sim, sed inter scribendum multa didicerim memoriæque mandaverim. Quo enim tardior est scriptura quam lectio, eo altior imprimitur hæret-

que tenacius. Fatebor tamen: iam eo scribendo perveneram ut, non dicam tædio animi (quid enim Ciceroni minus convenit?), sed labore manuum victus, susceptum consilium non probarem, meque iam non mei negotii pœniteret; dum subito ille mihi locus allatus est, ubi Cicero ipse orationes alterius nescio cuius (sed profecto non Tullii; unus est enim ille vir, una illa vox, unum illud ingenium) scripsisse se memorat. *Nam quas tu*, inquit, *commemoras Cassii legere te solere orationes cum otiosus sis, eas ego scripsi:* et, ut solet, cum adversario suo iocans rudis inquit et ferus *ne omnino unquam essem otiosus.* Quo lecto sic exarsi quasi verecundus miles cari voce ducis increpitus, et mecum: ergo alienas Cicero scripsit, tu Ciceronis orationes scribere negligis? Hic animi fervor, hoc studium, hic divini honos ingenii est? His actus stimulis processi iam propositi certus, et si quid ex tenebris meis potest splendoribus illius facundiæ cœlestis accedere, erit hoc forte non ultimum, quod dulcedine captus inenarrabili rem suapte natura tædiosissimam, scribere, tam alacriter feci, ut vix me fecisse sentirem. Nunc ergo iam tandem Cicero tuus volens, et meo nomine tibi gratias acturus ad te redit. Idem apud me non invitus manet, cui hoc familiariter imputem, nulli fere omnium qui unquam scripserunt me tantum fuisse daturum, ut inter tot aculeos humanarum difficultatum quos prorsus excutere nequeo, inter tot studiorum curas, ad quas longa etiam brevis est vita, alienis transcribendis tempus impenderem. Feci forte olim tale aliquid, dum clam labentis temporis ditior videbar, quæ tamen incertissimæ omnium fugacissimæque divitiæ sunt: nunc aperte res in angu-

stum desinit: non est vagandi locus. Iam necessariæ utinamque non seræ parsimoniæ tempus est. Sed tanti visus est Cicero, cui etiam de minimo partem darem. Vale.

EPISTOLA XIII.

FRANCISCUS PETRARCA CROTO BERGOMENSI GRAMMATICO S. P. D.

Petit, si quæ habeat, scripta Ciceronis, quem laudibus effert.

Fama loquitur, Ciceronem inter omnes nunc Italos familiarem tibi atque hospitem fore, et penes te permultos eosdemque perraros illius ingenii libros esse. Oh! tanto felix hospite, multo certe felicior quam Evander Alcide. Quid enim Ciceronis eloquio par herculeum robur habet?

Fixerit æripedem cervam licet, aut Erymanthi
Pacarit nemora et Lernam tremefecerit arcu:

quantumvis labores herculei celebrentur, si quidem profundius verum quæras, ille corpus exercuit, hic animum, ille lacertis valuit, hic lingua, ille portentorum apud Graios, hic quo nullum pestilentius monstrum est, magnus apud nos ignorantiæ victor fuit. Sed ne laudatissimi hominis in laude deficiam, aut fortasse tibi notissimarum rerum exaggeratione fastidio sim, a laudibus versus in preces, te nunc facie licet incognitus rogo ut me quolibet modo visum erit, nisi prorsus indignum censes, tanti hospitis participem velis. Nec ille forte limen horruerit, nec tibi pudori fuerit nostris studiis auxilium attulisse. Qua in re quod huic calamo defuerit, communis huius amici voce supplebitur. Vale.

EPISTOLA XIV.

FRANCISCUS PETRARCA CROTO BERGOMENSI GRAMMATICO S. P. D.

Pro recepto rerum Tusculanarum libro gratias agit.

Quam læte audiam tam penetrabiles preces meas tuum limen attigisse, ut nullus ibi non dicam repulsæ, sed vel tenuis moræ obex illis occurrerit, quam iucunde Ciceronem tuum sub meo lare conspiciam, Cicero ipse vix exprimat. Fuit autem nescio an casu aliquo an iudicio certo (nihil est enim iam quod non de ingenio tuo sperem) ciceronianus ille codex qui mihi in primis sententiam superioris epistolæ vel novam parere, vel vetustam adamantinis clavis posset affigere. Etsi enim Hercules distantissimarum lustrator pacatorque terrarum Nemæam silvam leone, Erymanthi colles apro, Aventini montem incendiario latrone, Lernæamque paludem multicipite serpente purgaverit, atque ob hæc et his similia benevolentia liberatarum gentium, et famæ alis cœli, ut ferunt, summa conscenderit, plus tamen aliquanto est, quod in hoc ipso tam parvo quinquepartiti libri spatio Cicero noster egit. Idque sic esse perfacile monstrabo. Prima equidem pars rugitu terrifico impendentem ubique mortalibus mortis metum interficit. Secunda asperum atque vulnificum dolorem corporis domat. Tertia mentis ægritudinem cœcis vaporibus æstuantem comprimit. Quarta venenosas atque multiplices animi passiones a stirpe convellit. An cuiquam forte ideo leviora hæc portenta videantur quam

quæ famosum Herculem fecere quod invisibilia hæc, illorum forma terribilis? Mihi contra nil hoste qui nocet, nec videtur, est gravius. Ad postremum quinta rationum scintillas quasi stellantia lumina explicat, quibus ostenditur ad beatam vitam virtutem solam sufficere. Quæ mihi pars operis quid aliud quam Ciceroni cœli instar fuerit, ubi mens illa siderea et excelsa tot errorum monstris late perdomitis conquiescat? Itaque gentile vulgus ut libet Herculem, ego Ciceronem nostrum eumque ipsum non ut Deum adoro, sed ut divini ingenii virum miror ac veneror, et supra fidem stupeo quorumdam nostri ævi doctorum hominum capita, qui hunc nescio quibus magnis, non inficior, viris, sed nimis imparibus conferre solent. Quamquam iudicii libertatem ut per alios mihi, sic per me aliis salvam velim, ego quid in animo geram scio fixumque adeo ut avelli nulla vi valeat, non si mihi Demosthenes ab inferis redeat, et in hoc unum omnibus eloquentiæ suæ viribus acclivis atque intentus incumbat, non si omnes æmuli, qui clarissimum illud nomen invidiæ suæ nebulis et dum vixit involvere, et post fata tentarunt, eoque magis quo et tanti responsoris aberat metus, et impii cruentique hostis favor arserat, nec satiata ira nec morte livor extinctus erat. Mihi ipsi potius, imo equidem vero credam et famæ publicæ, et magnis ac multis auctoribus, quos nisi innumerabiles essent numerare inciperem: sed attingam duos non italicos, ne suspectum testimonium reddat amor originis, sed Hispanos, magnos illos quidem ac famosos viros, et quo plus fidei dicto sit, inter se quidem hostes longeque discordes, qui qualiter sola Ciceronis in laude conveniant, nisi

fallor, neque absonum neque impertinens est audire. Annæus Seneca vir ingens primo declamationum libro haud longe a principio: *quidquid habet* inquit *romana facundia, quod insolenti Græciæ aut opponat aut præferat, circa Ciceronem effloruit: omnia studia quæ lumen latinis litteris attulerunt cum illo viro nata sunt.* Nec ita multo post: *omnes* inquit *magni nominis in eloquentia, excepto Cicerone, audisse mihi videor, nec Ciceronem mihi ætas eripuerat, sed bellorum civilium furor qui tunc totum pervagabatur orbem, intra coloniam meam me continuit, alioquin in illo atriolo in quo duos grandes prætestatos ait declamare secum solitos, videre eum potui, et audire ingenium illud, quod solum Populus Romanus par imperio suo habuit, et quod de multis dici solet, sed de illo solo dici debet, potui vivam vocem audire.* Et Quintilianus acutissimus maximeque doctissimus vir in libro oratoriarum institutionum post multa de Cicerone deque illius eloquentiæ principatu graviter dicta concludens: *Quare* ait *non immerito ab omnibus ætatis suæ regnare in iudiciis dictus est: apud posteros vero id consecutus, ut Cicero iam non hominis nomen, sed eloquentiæ habeatur. Hunc igitur spectemus, hoc propositum nobis sit exemplum; ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.* Hoc certe novissimum si verum est, gaudeo hercle me, quod alioquin sperare non auderem, aliquantulum profecisse. Sed iam nimium vagor. Hic itaque tuus Cicero Tusculanarum quæstionum titulo insignis, in quo illius pridem obruti consuntique oppidi nomen vivit, a prima mihi ætate familiarissimus fuit. Tu mihi eum nunc ad unguem correctum et aliis tullianis monimentis, insuper et amicissimis ac lepidissimis tuis litteris comitatum

direxisti. Gratias ago et institutæ tecum nuper amicitiæ quodam iure obsecro, ut ardentissimo voto meo, quod tibi iam vel ex litteris meis, vel ex vivis amici vocibus notum esse non dubito, magis ac magis hac in parte te morigerum præstes. Vale.

Mediolani, Kal. Decembris.

EPISTOLA XV.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI DE CERTALDO S. P. D.

Miratur eum poetæ nomen respuere.

Ex multis epistolis, quas his temporibus tuas legi, unum elicui, esse te turbido animo: quod miror et indignor et doleo. Quid enim oro, potest esse quod tanto studio, tanta vel artis vel naturæ calce fundatum pectus quatiat? Legi Syracusas tuas et Dionysium intellexi. Sed quid ideo? quid si mors ingruat? si ærumna, si carcer, si exilium, si paupertas? Hæc fere sunt fortunæ iacula: quid horum ad altissimam ac munitissimam arcem mentis ascendere quiverit, nisi tu sponte hostibus claustra prodideris? Quamquam, fateor, aliquanto levius dicuntur ista quam fiunt, et docentur facilius quam discuntur. Irasceris, ut reliqua sileam, quia te poetam in litteris meis voco. Mirum: poeta esse voluisti, ut poetæ nomen horreres, cum contra multi nomen hoc ipsum ambiant rei expertes. An forte quia nondum Pœneia fronde redimitus sis, poeta esse non potes? An si laurus nulla usquam esset, Musæ omnes conticesce-

rent? Nec ad umbram pinus aut fagi texere carmen altisonum fas esset? Sed quia temporum magnis angustiis coarctor, de hoc tecum scrupulosius litigare non est animus. Tu videris quem te dici velis: ego quem te habeam statutum semel est mihi. In illo tibi utique, in hoc mihi morem gessero. Libros abs te mihi donatos habui, et quos remisisti itidem accepi. Quod ad te litteræ in quibus tibi gratias agebam non venerint, mirarer, nisi quia talia multa quotidie patimur, et haec mihi querimonia iugis est. De reliquo adolescens hic mei amans, tui cupidus omnia vivis vocibus ad te perferenda suscepit, quem ubi audieris scies non modo quid agam, sed quid cogitem, quidque tibi cogitandum et agendum rear. Certe hospitem te opto.

Mediolani, XIII. Kal. Ianuarii.

EPISTOLA XVI.

FRANCISCUS PETRARCA ANDREÆ DANDULO DUCI VENETIARUM S. P. D.

Hortatur ut Venetos distrahat a bello cum Ianuensibus suscepto, et optatissimæ pacis reipublicæ utrique prospiciens auctor fiat.

Nil audies novi, nil insolitum leges, sed illa tantummodo recognosces, quibus sæpe aures tuas oculosque lassavi. Meministi enim credo, clarissime Ducum, ante hoc ferme triennium, cum iam duos præstantissimos populos ad arma terrifica Mars funestus induceret: prius tamen quam mare cæruleum sanguine rubuisset, non mihi sed Italiæ metuens, in qua fateor,

mea quoque temporalis salus includitur, quam longam et quanti amoris quantæque solicitudinis atque formidinis plenam epistolam ad te misi. Cuius etsi propter seipsam non meminisses, neque enim illam tanti facio, ut tali memoria digna sit, at saltem elegantissimæ gravissimæque tuæ responsionis oblitus esse non potes. Cum vero iam bis acie decertatum, iam Hellespontiacum æquor atque Tyrrhenum geminis cladibus nostris infectum, et iam simillimum veri esset, irarum flammas largo cruoris imbre lentescere, ab hoc nuper Italorum maximo, fidelis heu sed inefficax tractator pacis, ad te civesque tuos missus, quibus nec Dux usquam consultior, nec gens ulla tranquillior quanta præsens in consilio cui præsides, quanta tecum solus in thalamo verba feci! Puto propter vicinitatem adhuc ut ita dixerim in auribus tuis sonent. Nequidquam tamen: nam et procerum tuorum, et, quod mirum in modum stupeo, pectus etiam tuum salubribus monitis precibusque iustissimis belli fervor atque armorum fragor obstruxerant, reliquiæque veterum irarum et recentis memoria rumorque victoriæ. Minime novum id quidem: iracundia enim est, ut ait Cicero, inimica consilio, victoria autem natura insolens et superba est. Accesserat ab Aquilone quædam novarum rerum aura pertenuis, quæ licet adversus id quo intendebam flaret, perfeceritque quod timui, pace sit dictum tua, tantam tamen avertere gravitatem ac saniora dissipare consilia non debebat. Quousque enim miseri in iugulos patriæ et in publicam necem barbarica circumspiciemus auxilia? Quousque qui nos strangulent pretio conducemus? Dicam clara voce quod sentio; inter omnes mortalium errores, quorum

nullus est numerus, nihil insanius quam quod tanta diligentia tantoque dispendio Italici homines Italiæ conducimus vastatores. Quæ tamen, oh! pietas, oh! implacabilis dolor, qualis inter amantium ac colentium manus esset, cum tot iam sæculis inter vastantium feras manus multum adhuc cunctis terræ regionibus antecellat? Quid in verbis morer? Præsertim cum tibi notissima sunt quæ loquor? Sensi ego tunc mœstus insidias fortunæ, et quam doctioribus nihil esse credideram, non modo esse aliquid didici, sed quodammodo in omni re dominari cum Sallustio, et humanarum cum Cicerone rerum dominam, et omnipotentem atque ineluctabilem coactus sum cum Virgilio confiteri. Itaque multis hinc inde verbis perditis, quam spei plenus ad te veneram, tam mœroris, pudoris ac pavoris plenus abscessi. Sortem enim publicam lugebam, pudebatque me mei, quod tanto impar negotio delectus; nec tantum præclaræ legationis una pars, sed dignatione mittentis, quamvis id ipsum sæpe obnixius excusassem, princeps etiam ad loquendum, et fortissimis illis atque doctissimis viris antepositus, qui me longe virtutibus anteibant, fructum non rei optimæ sed insufficientiæ meæ debitum reportarem: tametsi quod mihi defuerat, militariter facundissimus collega, nisi me amor viri fallit, implesset disceptatione novissima. Sed aperire aures obseratas et obstinatos animos movere non nostri, nescio an vel ciceroniani esset eloquii: magna quippe facundia est vel potius nulla quæ cogat invitos. Quod ipse permetuens in ipso quidem sollicitæ orationis initio, ciceroniano enim usus verbo, esse opus animo non repugnante testatus sum: tam frustra tamen, ut reliqua.

Metuebam sane, quod nunc video, ne vestra illa durities belli maximi materia et immensi discriminis causa foret. Quæ si tam tibi cæterisque principibus rerumpublicarum, quam mihi homini penitus otioso ac solitario displicerent, felix Italia iure suo cunctis nunc etiam provinciis imperaret, quæ prope iam serva est. Verum quia magnus amor multum mihi præbet audaciæ, et quia dulcis spei reliquias invitus abiicio, iterum atque iterum retentabo omnia, teque de tam longinquo, ducum providentissime, contestabor, si absens forte felicior quam præsens, calamoque potentior sim quam lingua, aut si secunda primam vincat epistola. Nosti equidem, vir optime, e cunctis rebus mortalium novissime spem deponi, nec nisi cum vita extremoque halitu, quamvis nec tunc quoque deponitur, quin potius ad meliora convertitur et ad metam venit. Sed de mortalium rebus loquor. Hæc igitur modo me refovet: in hac una multis publicis malis fessus et magnis fortunæ minis exterritus acquiesco. Vivere desinam si sperare desiero. Quid autem sperem si me roges, spero quod cupio: sanam mentem consiliumque maturius etsi non forsan a ratione, at saltem ab experientia profecturum. Nosti expertus quid pax, quid bellum secum ferat: vidisti faciem utramque fortunæ: victi fuistis, et vicistis, quamvis ut est mens hominum indomita vincendique percupida, primum forte negaveris. Non contendo ut viceritis semper. Computa quæso quid tibi, quid Reipublicæ victoriis accesserit. Minus profecto auri, minus est sanguinis, et quod est pessimum, est plus scelerum ac malorum. Quæ si victoribus accidunt quid sperare debent victi? Incipe iam precor, in hanc

rem oculos aperire quos vigilantissimos ac lynceos habes in cæteris, si damni quam lucri plus, si plus mali quam boni, si plus flagitii quam virtutis: imo equidem si virtutis, si boni, si lucri nihil in bello est, sed contrariorum infinita congeries, desine oro iam tandem, et tibi etiam cui ex parte Troianus est sanguis, ab illo duce Dardanio dictum puta :

Proiice tela manu, sanguis meus.

Non patiaris ut, Duce te, Venetorum ac Ligurum regna concurrant. Iam enim ut vides suis in finibus non stat bellum. Nempe contagiosa res est, et quæ facile serpat in proximos, atque ita sensim vel longinqua complectitur, multa quæ primum immunia videbantur, torrentis in morem odiorum atque discriminum alluvione permiscens. Putabas tibi cum Ianuensibus rem esse, quod ipsum flebile nimis ac miserum erat; ecce iam cum tota Liguria bellum geris, et quod inter hæc mala non ultimum posuerim, ab hoc etiam tali viro tantoque pacis amatore dissentis, cuius nescio an virtus, an fortuna mirabilior sit, an animus maior, an humanitas. Solet autem excellentibus viris esse familiaritas quædam et benevolentiæ affectus licet incognitis, conglutinante pares animos natura. Similitudo enim amicitias parit, communis alit utilitas. Atque ambo vos iusti, ambo prudentes, ambo magnanimi. Quæ causa discordiæ? Pax utilis est ambobus, imo cunctis necessaria, nisi illis qui rapto vivunt et exiguum censum multo mercantur sanguine; immane genus hominum, si tamen homines sunt quibus humani nihil est præter effigiem. Hi sunt qui infami stipendio calamitosam et miseram

vitam trahunt. Iure igitur pacem et in pace famem metuunt: bellum amant, et lupi velut ac vultures, strage hominum et cadaveribus delectantur. His ne tu belluis morem geres? Æque carnem et cæsorum exuvias esuriunt, æque sanguinem sitiunt atque aurum. Noli, quæso, noli committere ut florentissimam tuæ creditam custodiæ Rempublicam, atque omnem hanc, quæ inter Appenninum et Alpes interiacet, opulentissimam atque pulcherrimam Italiæ partem externorum ac famelicorum prædam facias luporum, a quibus bene nos, quod in ore semper habeo, ipsarum iugis Alpium solers natura secreverat. De nullo queri possumus: nostra illis impatientia viam fecit. Dum levia quælibet in nostros ulciscimur, passi sumus ut alienigenæ nostris impune pascantur saginenturque visceribus. Ah! quanto melius inedia consumentur et rabie, quod facient statim ut gregis italici pastores resipiscere cœperint. Pastorum providentia mors luporum est. Id sane te ante alios facere et fecisse iam spero: nisi enim falsum fama loquitur, et nisi fallor augurio, iam stomachari incipis, iam stipendiarii militis insolentiam avaritiamque fastidis. Quid expectas igitur? Ad cor redi, et si externi displicent, tuos ama. Si quid autem in animo forte rubiginis, si quid odii est, amore patriæ et malorum communium commiseratione deterge, nec tibi persuadeas, pereunte Italia, Venetiam salvam fore. Est enim pars illius, et natura partis ea est ut sequatur sui totius vel subsistentiam vel ruinam. Hæc tecum sæpe recogitans, noli, Dux optime, rerum summam in extremum adducere, ubi et vinci miserum est, et vincere sceleratum, eoque ipso miserius est quam vinci melius.

In nostros hostes, quibus utinam careremus, potius quam in nosmetipsos hæc tela vertantur. Melius hæ divitiæ vel necessariorum præsidia bellorum, vel pacis fuerint ornamenta, quam voluntariæ instrumenta sævitiæ. Quantum potes accelera; quoniam præteritis succurrere non licet, instantibus saltem malis occurre. Nec expectes, dum tota hæc impendens belli nubes in nostrum caput detonuerit, et sanguine proprio Italia omnis inundaverit, quando gemitui non iam consilio locus erit. Expergiscere, tuosque cives excita, et publicum illis ostende periculum. Hoc fac prius quam cuncta depereant, priusquam de Italia vel desertum vel barbaries fiat. Cave ne cum natura te mitem pacificumque genuerit, populumque tuum omnem, cuius in immensum aucta felicitas non bellorum, sed pacis et iustitiæ fundamentis innititur, de illorum grege videamini, qui, ut ait Psalmista, *cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant prœlia.* Ne forsan eiusdem imprecatio in vos cadat; *dissipa gentes, quæ bella volunt.* Nihil enim, ut arbitror, odiosius Deo est quam curare et niti, ut cum ille te aliqua singularis dote virtutis ornaverit, tua sponte et voluptate quadam effera, malus fias. Quamobrem etiam atque etiam hic insisto, clamo: sequere non vulgi furorem, sed naturam tuam dexteram semper in partem, et ad meliora quælibet te vocantem. Et si vulgaribus auris eo forte prolapsus es quo non oportuit, retrahe nunc etiam pedem ab incepto præcipiti, dum licet, dum nondum signis signa collata sunt, dum tonat adhuc nec dum fulminat Mars horrendus, dum inter amaras et horribiles belli minas audiri potest dulcissimum pacis nomen. Denique dum spes una tam

multis nondum consumpta terroribus, una velut magnis in tenebris lux apparet, irreditura forte si spernitur. Arripe illam dum se exhibet, ut dicaris italicæ pacis auctor, nomenque tuum cum multis et magnis rebus, tum hac præcipue gloriosum mittas ad posteros. Nil tibi suadeo, nisi quod tuum est: rationem sequi non impetum, et cavere ne impetu omnia in præcipitium tecum trahas. Cum enim id turpe omnibus, tum tibi turpissimum et penitus alienum est. Nam quid hæ litteræ profuerint, quid studia hæc artium honestarum, quibus te præ cunctis ætatis nostræ ducibus abundantissimum fama prædicat, nec mentitur, si cum meliora provideris, deteriora secteris? Absit hoc ab animo tuo scelus, et ut iam loquacioris quam putabam epistolæ modus sit, oro, precor, obsecro, obtestor atque adiuro te per virtutis amorem ac studium, quo nulli cedis, per patriæ charitatem qua cunctos exsuperas, postremo per quinque Christi vulnera, quibus sacratissimus et innocentissimus sanguis fluxit, quo redempti sumus, ut si me bene, si pie, si fideliter loquutum putas, mihi aures animumque non neges, et si consilium placet, non contemnas auctorem. Alioquin omnia videns Deus Christus mihi, et præsens in omne ævum epistola testes sint (ut a Plutarcho philosopho aliquid sumam, tuque sis hodie Traianus meus), quod in perniciem Italiæ non modo non pergis auctore Francisco, sed pro viribus reluctante, teque, quando aliud nequit, alto suspirio et magnis animi gemitibus revocante.

Mediolani, V. Kal. Iunii MCCCLIV.

FRANCISCI PETRARCÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS

LIBER NONUSDECIMUS.

EPISTOLA I.

FRANCISCUS PETRARCA CAROLO IV. IMPERATORI AUGUSTO S. P. D.

Gratulatur eius in Italiam adventum, rursusque hortatur ut Romanum imperium restituat.

Et gaudium ingens verba præcidere solitum. Quid ni autem erit ubi spiritum abrumpat? Idem ego in tua totiens exhortatione multiloquus, en ut in gratulatione perbrevis sum. Quid enim dicam? Unde ordiar? Vacuasti cor meum multis angoribus atque implesti gaudio, quodque ait Psalmista, *adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Et si sola iam fama tui nominis adimpletum est, quid vultus ergo cæsareus, quid augusta frons faciet? Longanimitatem inter expectationes ac patientiam exoptabam. Ecce optare incipio ut tantæ felicitatis capax tantoque gaudio par sim. Iam mihi non Bohemiæ, sed mundi rex, iam Romanus imperator, iam verus es Cæsar. Invenies ne dubita, quæ tibi pollicitus sum, parata omnia: diadema, imperium, immortalem gloriam, apertumque cœli aditum: et ad summam, quidquid optare aut sperare datum homini.

Nunc te excitasse qualibuscumque sermunculis glorior atque exulto. Iam iuga Alpium transcendenti occurro animis: haud equidem solus: infinita mecum acies, quin ipsa nostrum omnium publica mater Italia, et Italiæ caput Roma, tibi obviæ altis vocibus Virgilianum illud exclamant:

> Venisti tandem, tuaque expectata parenti
> Vicit iter durum pietas.

Neque vero Germaniæ obtentu hanc fastidias aut repellas matrem, cum qua et vitæ primòrdia egisti, et si tuum decus amas, extrema exiges. Nos te, Cæsar, ut ab initio dicebam, ubicumque ortum Italicum arbitramur. Neque vero magni interest ubi sis natus, sed ad quid. Vive et vale, Cæsar, et propera.

EPISTOLA II.

FRANCISCUS PETRARCA ZENOBIO FLORENTINO S. P. D.

Festinans quatuor litteris respondet, et asperrimam eius anni hiemem describit.

Tempus breve magnum scribendi desiderium angustat, et ardorem animi prægelidus aer frenat. Sine exemplo annus est, et bruma horrida vulgo iam pene in miraculum atque, ut dici solet, in religionem vertitur. O tranquilla Parthenope, et magnis ingeniis laudata Campania, vestrum est quod ait Maro:

> Ver assiduum atque alienis mensibus æstas.

At profecto non talis ipsa loquentis mater, glacialis

Mantua, et importunis frigoribus oppressa, nivosisque Alpium et Appennini iugis obsessa Liguria. Quamquam præsens annus qui novitate sui attonitos etiam senes habet, nescio an aliquid causæ secretioris ostenderit, quod scilicet e Germaniæ finibus veniens novus Cæsar cœlo nostro suum forte frigus invexerit, cuius is rigor est, ut ipsos quoque Germanos in stuporem cogat. Certe ego nudius tertius Mantuæ, quo ad ipsum Cæsarem multum rogatus accesseram, in familiari colloquio quo princeps ille mitissimus, lingua et moribus non minus Italicus quam Germanus, me nunquam antehac præterquam in litteris visum, sæpe dignatus, sic eum dicentem audivi, vix se unquam tale aliquid in Germania sensisse. Cui ego respondi: forte cœlitus actum esse ne miles teutonicus subitam cœli mutationem et italicam temperiem exhorreret. Mitto autem hæc. Hiems zephyris cedet, æstas aquilonibus, omnia senectuti. Veniet dies quæ diebus omnibus metam ponat, et hanc temporum varietatem stabilis concludet æternitas. Natura suum opus, nostrum interim nos agamus. Equidem non me gelu quodcumque Riphæis montibus Mæoticisque paludibus adiacet retardasset. Multa scribere cupiebam, si litteras tuas in tempore recepissem; sed dum iste vir clarus et nobis carus attigit Mediolanum, aberam, ut dixi. Huc reversus et tuas ornatissimas quatuor epistolas quibus totidem meis, sero licet, abunde tamen satisfactum fateor, et latorem abitum meditantem reperi. Supervacuum visum est inchoare quod perficere non erat. Reliqua igitur ad suum diem, qui longior forte dabitur atque tranquillior. In hoc brevi et turbido nil aliud dixerim, nisi nil

penitus tuarum ad me litterarum hoc biennio pervenisse, quæ mirari te non miror atque etiam indignari. Litteræ nostræ medio viarum suos raptores inveniunt. Sed ferendum quod mutari non potest. Quid autem scimus? Multos forsitan, amice, studiis nostris accendimus; multis gloriæ stimulos fortassis incussimus. Sive pergant qua ceperunt, sive nobis duplicent laborem, et epistolas nostras detineant et avertant, modo nos ament et quas rapiunt mirentur. Scripta torpentibus digitis, sexto Kalendas Ianuarii ante lucem. Vale.

EPISTOLA III.

FRANCISCUS PETRARCA LÆLIO SUO S. P. D.

Narrat se Mantuam a Cæsare accitum summaque benevolentia receptum; et litteras ei mittit quibus eum Cæsari commendat.

Credulum amorem, ait Naso, nec fallitur: utramvis in partem experientia testis adest. Quam facilis enim et quam prona est caritas amicorum ad amplissimas spes opinionesque clarissimas? aut quid tam magnificum fingi potest, quod de amato non facile credat amans? Credo ego labores herculeos nulli magis creditos quam Philocteti: credo famam victæ Carthaginis nulli profundius hæsuram fuisse quam Lælio. Patulæ sunt aures amicorum: omnia ante omnes excipiunt. Magna fides amicitiæ; omnia statim credit, nec credidisse contenta est, nisi de proprio aliquid auditis addiderit. Contra autem comes amoris zelus ardens quam præceps est ad credendum omne quod displicet: non

rebus tantum, sed umbris etiam terretur ac somniis. Sed ad piam illam amicitiæ credulitatem redeo, de qua mihi nunc sermo est. Equidem quantum ingenio assequor, Romæ olim duo fuerunt Lælii, Scipionibus amicum nomen: ille avum coluit, hic nepotem, ille tributariam vidit Carthaginem, hic eversam. Certe et mihi Lælius meus est, quem tot sæculis interiectis, urbs eadem senex nondum sterilis genuit. Miraris? sed te etiam fallit amor. Credidisti perfacile, mi Læli, quod de me tibi ab obvio quodam forte narratum est, nec quanta narranti fides esset exegisti. Quis enim tam sobrius, ne dicam durus, ut quod multum delectat libenter abiiciat, cum præsertim delectatio honesta sit, et amicitiæ velo non modo error excusabilis sed laudandus? Credidisti igitur nescio cui (vix enim suspicari ausim, famam etsi sæpissime mendax sit, id nunc publice fuisse mentitam), me scilicet ad Italicam pacem novo cum Cæsare sanciendam singulariter prælectum, feliciter rebus actis et pace Reipublicæ quæsita et magna cum gloria remeasse. Nolo erres aut inanem voluptatem ex errore percipias: non ita est, amice. Neque enim unum caput res tanta poscebat. Primi procerum missi sunt. Si enim Argivos delectos viros ad petendam pellem auratam et forsitan fabulosam arietis olim missos legimus, non multo nunc delectiores Italos mitti dignum erat ad vere auream procurandam pacem? Illi equidem parva spe magno et procelloso mari Colchon barbaricam petiere, ubi regnabat incognitus rex Æthes: isti Mantuam, quo iam Caesar pervenerat late notus, magno et prorsus incomparabili præmio illecti atque exiguo et plano calle non peterent? Iverunt itaque, quod res docuit felicibus

ac lætis auspiciis, et ut Graii magam veneficamque famosissimam, sic nostri dulce bonum patriæ reportarunt.* Quorum tamen ex numero non fui: nemo tibi mendacio blandiatur. Quamvis autem tanto negotio longe impar, iudicio tamen benigniore mittentium gloriosum laborem effugere nequivissem, nisi publicis votis privatæ quædam obstitissent causæ, quas nunc siluisse præstiterit. Ne vero forsan his dictis omnis gloriæ contemptorem putes, sed intelligas me, ut falsam respuere, sic veram gloriam non horrere, dicam quid multis diebus post profectionem legatorum nostrorum et prope iam omnibus ibi conventis ac firmatis acciderit. Cæsari enim interea mei desiderium incessit, et cuius animum mores ac studia noverat, optavit et faciem videre. Iam hiems miris modis induruerat; misit tamen, nec occupationibus meis parcens, nec labori, et misit nuntium solemnem, quique regibus imperat me rogavit ut ad se pergere festinarem: ei insuper preces misit cui nil negaturum me putabat. Nec errabat. Quid vis? illo vocante, atque hoc urgente, proficiscor. Nec unquam alias evidentius intellexi, quid est quod ait Augustinus, Italicum glaciale solum. Ad II. Idus Decembris hinc movi: neque tam terreum quam adamantinum atque chalybeum iter erat, et glaciei metus non nisi nivis solatio levabatur, quæ ipsa etiam præter morem nescio quid horrificum habebat. Captabamus tamen omni studio ubi nequidquam armati in glaciem equorum pedes utcumque consisterent, et ruinæ pavor assiduus viæ laborem fecerat non sentiri. Ad hæc et brumæ et algori nebula, qualis in memoriam hominum non est, et cœlo immiti terrarum va-

stitas accesserat, et solitudo horrida, qualem non Musis et Apollini, sed Marti convenire diceres ac Bellonæ. Stratæ passim domus, habitator nullus, fumosaque tecta villarum et dumosa novalia, et hinc illinc erumpentes e latebris armati, quamquam sine noxa, ut qui nostri essent, non tamen sine horrore quodam præsentis adhuc belli vestigia præferebant. Sed veteri fato meo mos gerendus fuit, interque difficultates et pericula incedendum. Mediolano autem digressus quarta luce, imo vero quartis seu certe continuis tenebris Mantuam veni, ubi ab illo nostrorum Cæsarum successore plusquam familiaritate cæsarea et plusquam imperatoria lenitate susceptus sum. Et ut communia prætermittam aliquando soli ambo ab initio primæ facis ad noctis silentium intempestæ colloquendo et confabulando pervenimus. In summa nihil illius principis maiestate suavius, nihil humanius. Hoc unum scito. De reliquis quoniam, ut ait Satyricus, .

Fronti nulla fides est,

nondum diffinitive pronuntio. Expectabimus: quantusque sit Cæsar non verba, non vultum, ne fallamur, sed actus hominis atque exitum consulemus, quod ipse sibi non tacui. Dum enim ad id forte mecum sermo cæsareus descendisset, ut aliqua sibi de opusculis meis exposceret, atque in primis librum cui *De Viris illustribus* nomen dedi, illum inexpletum esse respondi, et temporis atque otii egentem: dumque ille paciscì vellet in posterum, occurri libertate illa mea, qua cum maioribus magis uti propositum est, quam mihi quidem contulit natura, auxit vero vicina iam senectus, in

immensum auctura cum venerit; et ita, inquam, id tibi promissum credito, si tibi virtus adfuerit, vita mihi. Mirantique et dicti causam requirenti: quod ad me, inquam, attinet tanto operi iustum iure spatium debetur; ægre enim magna in angustiis explicantur: quod autem ad te, Cæsar, ita demum hoc te munere et eius libri titulo dignum scito, si non fulgore nominis tantum aut inani diademate, sed rebus gestis et virtute animi illustribus te te viris adscripseris, et sic vixeris ut cum veteres legeris, tu legaris a posteris. Quod dictum serenis oculorum radiis et augustæ frontis læto probavit assensu. Itaque peropportunum aggredi visum est, quod iamdudum facere meditabar. Sumpta igitur ex verbis occasione, aliquot sibi aureas argenteasque nostrorum principum effigies, minutissimis ac veteribus litteris inscriptas, quas in deliciis habebam, dono dedi, in quibus et Augusti Cæsaris vultus erat pene spirans: et ecce, inquam, Cæsar, quibus successisti, ecce quos imitari studeas et mirari, ad quorum formam atque imaginem te componas, quos præter te unum, nulli hominum daturus eram: tua me movit auctoritas. Licet enim horum ego mores et nomina et res gestas norim, tuum est non modo nosse sed sequi: tibi itaque debebantur. Sub hoc singulorum vitæ summam multa brevitate perstringens, quos potui ad virtutem atque ad imitandi studium aculeos verbis immiscui, quibus ille vehementer exhilaratus, nec ullum gratius accepisse munusculum visus est. Quid te in singulis morer? Multa ibi mecum quæ sileo: unum quod, ut puto, miraberis non silebo. A die ortus usque ad hanc ætatem, totam vitæ meæ fabulam dicam an historiam, ex ordine voluit

audire (quamvis ego longam nimis inamœnamque materiam testarer), et ita me diuticule loquentem animo atque auribus intentus audivit, ut sicubi vel oblivione vel brevitatis studio aliquid præterirem, protinus ille suppleret, ac sæpe me melius ipse res meas nosset, quarum fumum, stupeo usque trans Alpes nescio quis flatus impegerat, oculosque compleverat intuendis mundi defectibus occupatos. Denique dum ad hoc tempus narratio pervenisset, conticuissemque parumper, ille me de sequentis vitæ proposito percontatus: fare, inquit, de futuro quid cogitas? quemve tibi finem mente constituis? Intentio, inquam, Cæsar optima est, quamvis adhuc actus meus ad limam expolire nequiverim. Præteriti enim temporis consuetudo violenta et præsenti intentione potentior, cor adversus recens propositum quasi contra novum ventum aliis flatibus impulsum mare præcipitat. Ad hæc ille: credo sic esse, inquit, ut dicis, sed aliud percontabar: quænam tibi vitæ semita placeret? Ego autem incunctanter et intrepide solitariæ inquam qua nulla tutior, nulla tranquillior, nulla denique felicior vita est, quæ iudice me, tui quoque gloriam principatus fastigiumque trascendit. Illam ego si dabitur in sede sua, hoc est in silvis ac montibus, quod sæpe iam feci: alioquin quantum possibile fuerit, ut nunc facio, ipsis in urbibus consectabor. Hic ille subrisit et sciebam, inquit, sciensque ad hanc te confessionem pedetentim interrogando perduxi, ubi tuum, quod in multis probo, iudicium reprobarem. Sic inter nos ingens disputatio est exorta, sæpe me interpellante: vide, Cæsar, quo progrederis: mecum non æquo quidem Marte contendis, cui in hac quæstione, non tu tantum, sed syllogismis

armatus Chrysippus ipse succumberet. Diu enim nil aliud cogitavi, plenumque caput rationibus et exemplis habeo. Magistra rerum experientia mecum sentit; ineptum et indocile vulgus adversum est. Noli secum partes facere: vincam te, Cæsar, sub quocumque iusto, licet urbano iudicio: quippe qui hoc ipso tam plenus sim, ut de parte vel exigua libellum unum nuper ediderim. Intercepit ille promptissime et: hoc ipsum scio, inquit, et si unquam ad manus meas liber ille pervenerit, ignibus eum tradam. Providebo, inquam, Cæsar, ne perveniat. Ita longis iocosisque sermonibus protracta altercatio est, ut fatear ex omnibus quos oppugnatores solitariæ vitæ sum expertus, nullum audisse contra id vitæ genus efficacius disputantem. Finis is fuit, ut si dicere Cæsarem aut credere victum licet, verbis et ratione, nisi fallor, victus, opinione autem sua non modo invictus, sed etiam palam victor, hoc ultimum precaretur, ut secum Romam peterem. Hanc enim fuisse primam causam me quietis avidum tam adverso tempore fatigandi. Optare se tantam urbem non suis modo, sed meis, ut ita dicam, oculis videre: egere etiam se mei præsentia in quibusdam Tusciæ urbibus, de quibus ita locutus est, ut Italicum hominem, et Italicum credere posses ingenium. Quod etsi mihi admodum placeret, pergrata enim duo nomina Roma et Cæsar ita convenerant, ut nil animo meo dulcius quam cum Cæsare Romam ire, multis tamen ex causis partim iustis, partim necessariis negavi: unde nova iterum lis exarsit, quæ in multos dies producta finiri usque ad supremum vale non potuit, quando Mediolano scilicet abeuntem ultra Placentiæ muros ad quintum lapidem prosecutus,

vix ab ipso tandem multa verborum colluctatione divulsus sum. Quo tempore Tusci militis ex comitatu cæsareo grave verbum et liberum insonuit, qui me manu tenens, oculis in illum versus; ecce, inquit, Imperator de quo sæpe tibi dixeram: qui si quid laude dignum gesseris, nomen tuum tacitum non sinet; alioquin et loqui didicit et tacere. Redeo autem ad inceptum. Non igitur oblatam gloriam fugio quod invisa sit, sed quod veritas cunctis rebus amicior. Non sequester pacis ego, sed amator fui, neque petitor, sed hortator et laudator, neque principio eius interfui, sed fini. Cum enim in conclusione tractatuum publicis monimentis pacis firmitas fundaretur, interesse me Cæsar et fortuna voluerunt. Profecto autem in hoc genere nulli Italo plus tributum scio: vocari et rogari a Cæsare: iocari et disputare cum Cæsare. Platoni quidem sapientiæ antistiti, ut Plinius ait, Dionysius tyrannus vittatam navem misit obviam: ipse quadrigis albis egredientem in littore excepit. Hæc ut magnifica referuntur in gloriam Platonis. Vide nunc, amantissime Læli, quo tendam, et ut nullam oblatam veræ gloriæ materiam prætermittam. Quid vero non ausurus sim, qui Platoni me conferre non verear? Sed absit ut me illi conferam, cui maximorum hominum et in primis Tullii Augustinique iudicio, nec Aristoteles conferendus sit. Non ingeniorum sed eventuum ista collatio est. Ille Platoni a Syracusa forsitan arce prospecto per aliquantulum freti spatium vittatam navem misit obviam: iste autem generosum ac militarem et strenuum quemdam virum aliquot dierum spatio onustum precibus ad me misit; ille ultro venientem excepit: oravit hic etiam ut venirem. Con-

fer modo singula, et armato militi vittatam navem, et cæsareæ lenitati Dionysii quadrigas, postremo Romano principi Siculum tyrannum; credo fateberis merito me Platonem præcellere fortuna. Sed iam satis gloriæ ludendo captamus, quod ipsum levitatis vitio non caret, nisi ita tecum loquerer, ut mecum. Epistolam quam ad Cæsarem ipsum tuis me de rebus scribere voluisti, qua comitatus illum fidentius atque familiarius adeas, cum hac simul accipies. Utraque tibi Pisis occurret, ubi tu occursurus es principi. Illa quidem ut spero, sed multo maxime tua virtus et nostrorum herorum recordatio, cæsareum tibi limen aperiet. Vale.

EPISTOLA IV.

FRANCISCUS PETRARCA CAROLO IV. IMPERATORI AUGUSTO S. P. D.

Commendat Lælium amicum suum.

Vide quantum mihi spei, quantumve animi præstat humanitas tua, Cæsar, ut non me tantum, quod feci semper et facio, et dum taciturnior appareo tunc altius clamo, sed alios quoque clementiæ tuæ commendare ausim: quamquam si vere et proprie loqui velim, non sit alter, quem mea tibi nunc devotio recommendat, nisi forsan, ut dici solet, alter ego. Hic vir, o maxime Cæsar, qui ad pedes tuos cum litteris meis venit, romanus est civis, et sanguine nobilis et virtute nobilior, cuius in laudibus multus essem; nam copiosa et

larga materia est de prudentia, de fide, de industria, de facundia, de circumspectione multiplici cæterisque virtutibus hominis huius loqui, nisi quia totum tibi, sapientissime principum, atque existimationi tuæ committendum credidi, qui eum, in quo stilus hic forte succumberet, metieris eximie, si respicere ac nosse dignaberis profundo et infallibili tuo divinæ mentis intuitu. Tuo igitur virum hunc arbitrio æstimabis. Si qua mihi apud te, Cæsar invictissime, fides est, scito virum bonum esse, multisque vel naturæ vel studii dotibus ornatum, et, ut dicam breviter, virum per se ipsum, nisi forte me amor fallit, gratia et benevolentia dignum tua. Accedit quod et sacri imperii tuique nominis devotissimus semper fuit et apprime fidelibus tuis carus. Siquidem magnanimus olim vir et memorabilis Stephanus de Columna, cuius erga gloriosissimum avum tuum Romanum Imperatorem fides toto orbe notissima est, et qui diem tuum teque, quem non aliter quam Christum Simeon expectabat, videre senio victus et præventus morte non potuit, hunc dilexit ut filium: tota eius generosa familia hunc ut fratrem germanum semper amore complexa est. Iohannes de Columna illius Stephani magni nepos, nobilissimus ac fortissimus adolescens, sed infausti exitus et vitæ nimium brevis, quem quanti faceres si aliunde nescirem, ex eo didici, quod ante hoc ferme septennium, cum te primum divina providentia ad Romanum imperium evexisset, tuque ad Romanam curiam, quæ deserto Tiberi nunc Rhodanum colit, eo tempore venisses, ubi tunc tibi licet incognitus degebam, vidi in publico maiestatem tuam illius humeris familiariter innixam strin-

gentemque piis colla complexibus, ille hunc coluit ut parentem. Quid multa? Omnes huius fidei unanimiter incumbebant: singuli certatim hunc amabant: hic omnibus obsequebatur: omnium norat arcanum: cum illis infantiam, cum illis pueritiam atque adolescentiam suam egit, cum eisdem iuventæ florem, cum quibus senescere tandem morique decreverat; fecissetque, nisi clarissimam et devotissimam tibi stirpem festinata mors totam heu brevi tempore rapuisset. Illos omnes qui, dum in terris agerent, tui erant et nunc non minus, ut auguror, ubicumque habitent tui sunt, tibique felicem ac longævam vitam et votivi imperii successum rogant, ante pedes tuos convenisse cogita, teque magna fiducia precari ut hominem hunc, qui suus fuerit tuum velis. Adde quod et Romano Pontifici Clementi, qui te ante alios paterne et quem tu filialiter dilexisti, hic familiariter carus fuit, et Francorum regi quem vicissim tibi sanguis amorque conciliavit, et Portuensi Episcopo qui generis animique fulgoribus Romanæ cardinem illustrat Ecclesiæ, quemque sacerdotio patrem, suavitate germanum habes, æque familiariter carus est. Quis vero nunc inter tot tam fulgida nomina nomini locus est meo? Et tamen, vide quantum fiduciæ fides parit, audebo me noctuam aquilis, talpam lyncibus miscere, et affusus orare, ut hunc, quem et virtus propria et tantorum caritas commendat, notum primo, deinde si merebitur, carum habeas. Nomen viro Lælius, qui apud veteres, ut Cicero ait, et sapiens et amicitiæ gloria excellens fuit. Hic apud nos utrumque præconium est adeptus. Ille Scipionem habuit amicum: ego non sum Scipio, sed amicus sum, et pro amico supplex apud Dominum inter-

cedo. Vale, Cæsar, et vive, et vince, et impera nostri memor.

Mediolani, V. Kal. Martias.

EPISTOLA V.

FRANCISCUS PETRARCA MODIO GRAMMATICO PARMENSI S. P. D.

Secum eum domi suæ mansum invitat.

Scripsit adolescens noster tibi nescio quid; imo vero nescio quibus verbis aut qualiter: quid autem scio. Scripsit autem non ut precibus te gravaret, sed ut animum exploraret tuum, quam pronus esset ad convictum nostrum. Cæterum quæ ex illo audisti, quo dubii nihil ætas infirmior et ad optata consequendum præceps pariat, ex me forsan cupis audire. Accipe igitur, et ex paucis multa comprehendes. Hoc velut socialium pactorum chirographum habeto. Cupio equidem te: non ignarus magnorum tibi ac præpotentium hominum aulas patere, sed ita mihi persuasi, melius tibi futurum nostra cum paupertate, quam cum illorum divitiis, si bene animum tuum novi. Dulcior est enim honesta paupertas cum amico, quam sub domino divitiæ ingentes, præsertim libertatis, quietis et frugalitatis avido, qualem te si natura non fecisset, ut auguror, studium fecit. Neve paupertatis nomen forte tibi suspectum sit, scito ut nullum sordidæ, nullum mœstæ indigentiæ locum esse, sic sollicitas et graves hinc abesse divitias. Comparatio sola est quæ vulgo divitias et pau-

periem facit. Quemlibet ex his querulis qui perpetuis sortem suam inutilibusque conviciis ac lamentis exagitant, Amiclæ illi Cæsareo comparatum divitem æstimabis; quemlibet ex his beatis, qui non suis bonis auro purpuraque superbiunt, si Marco Crasso illi diviti, aut Lydorum regi Crœso admoveas, pauper erit. Sane verum divitem non vulgaris opinio, sed solus animus facit. Hunc tu qualem afferas ipse videris. Hic tibi rerum optima præsto sunt, mediocritas et libertas. Non ego te ad servitium, sed ad amicitiam voco. Aut nunquam pariter ac nusquam, aut nunc mecum, si vocanti obsequeris, liber eris. Si quæris igitur ad quid te vocem, iam respondi, ad amicitiam, ad convictum. Ac ne ad torporem vocari metuas, agere aliquid te volo, ita tamen ut actionis modus ex arbitrio tuo pendeat. An incipere quorsumve progredi libeat, nemo te calcaribus aut clamoribus urgebit; nemo tibi frena substringet; ipse vitæ tuæ cursum, requiemque moderabere. Hunc ipsum adolescentem, si se dignum exhibuerit, meliorem et doctiorem facies. Aut enim ex te discet aut ex nemine. Te ab infantia mirari didicit, teque ante alios amare. Multum vero doctrinæ conferunt familiaritas, amor, admiratio. Ad hæc et nugarum aliquid mearum, non nisi quantum libuerit, et si libuerit scribes; tuum erit iudicium an dignæ sint quæ tuum, rebus propriis non otiosum, calamum fatigent. In studii mei partem veni: mea mihi magis probabuntur, si tuo scripta sint digito. Sperabo si quid mihi vel oblivione vel incuria sit elapsum, subterfugere manus tuas ingeniumque non posse. Pro his tibi non montes auri, non purpureas togas, non marmorea atque ebore et ebano crustata

palatia, sed quæ tibi gratiora coniicio, victum non inopem sed modestum, et philosophico non audeo parem dicere, sed proximum, otium præterea, solitudinem, libertatemque polliceor. Mirum! quam præstare mihi ipse non possum, hanc tibi spondeo. Sed sæpe pallens medicus salutem alteri tribuit, quam non habet. Ego quidem importunæ et inutilis et molestæ famæ compedibus sonituque nominis ac fulgore supervacuo, verumque ut ingenue fatear, indigno, nec liber esse possum nec latere. Tibi in terra aliena, donec saltem nosci ceperis, et otium et libertas et latebræ iucundissimæ non deerunt. Hæc sunt quæ in præsens sese offerunt adventus tui præmia. Vellem addere posse aliquam te forte dulcedinem in scribendo ex nostrorum studiorum participatione sumpturum. Sed et de hoc videris. Unum tibi præterea quod non in ultimis, licet in ultima parte epistolæ posuerim, erit vicinus Ambrosius. Vale.

Mediolani, Kal. Maii. Propere.

Hæc tibi dictaveram dum Parmæ te esse crederem famæ. Nunc te cum communi domino esse didici: unde nil horum dictum accipe, nisi quantum illi placue t cui voluntates meas et vota subiicio. Vale iterum.

V. Kal. Iunii.

EPISTOLA VI.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

Commendat amicum euntem Romam.

Hic quem cernis homuncio Christo devotus, mundi rerumque fugacium spretor ingens, et cupidissimus æternarum, idem (perexigua tantæ laudis accessio, sed quam tuus amor faciet esse permaximam) mihi quoque carissimus, Romam petit. Sic eum aspicies ut me: bonæ animæ vector est. Novi hominem: in iisdem castris militavimus, necdum exauctorati sumus, duce quamvis extincto. Si consilio tuo eget ad peregrinationis piæ compendium, si favore aliquo, puto non es orandus ut faveas; oro tamen. Nam quid Christo, cui servis, quid Apostolis eius, hospitibus tuis, acceptius potes, quam si Christi amicissimum hunc virum cupide, dimissis frementis aulæ fragoribus, ad illorum quietissima limina gradientem, iuveris atque direxeris? De me si quid explorare libuerit, libebit autem plurima, etsi diversitas studiorum nosse hunc omnia non sinat, tamen quod ad intimum vitæ meæ modum pertinet, fortasse aliqua: quod ad externum pene cuncta narrabit. Hoc tibi raptim scripsi in extremo angulo Mediolani, Ambrosianæ domus in parte remotissima, ea luce eaque lucis hora, qua mundo tenebris presso cæcisque mortalibus de terra olim viva lux orta est. Vale, nostri memor.

EPISTOLA VII.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

Se noctem præferre diei. Et pro amico humaniter recepto gratias agit.

Secus accidit mihi quam Manlio pictori, qui cum venustas imagines manu sua pictas, turpes autem filios haberet, interrogatus, quid ita melius pingeret quam fingeret, lepidæ quæstioni festivum reddidit responsum: quia in tenebris fingo, inquit, luce autem pingo. Contra ego quæ in tenebris animi manibus fingo et cogito, vel formosiora vel minus certe deformia sunt, quam quæ luce media his digitulis pingo: non quod per se ipsam mihi lux noceat, quæ non nisi vel lippis vel maleficis odiosa est, sed quia invisis occupationibus viam pandit, quas amica et silens arcet opacitas. Quid te morer? Cum ad te multa per noctem memori animo dictassem, luce reversa, calamo exarare vix quidquam fuit. Tot ianua personat ictibus, tot undique diurnarum acies curarum, tot amicorum preces, tot servorum lamenta circumstrepunt. Piger iste multis mihi ventis ocior Bootes tam rapido flexu his etiam noctibus plaustra rotat algentia. Noctem curarum nutricem maximam ait Naso: mihi lux curarum difficilium ac tristium parens est: nox silentii et quietis. Et miraris quod paucis placeo cui cum paucis convenit, cui omnia fere aliter videntur ac vulgo, a quo semper quod longissime abest id penitus rectum iter censeo? Sed ne omnes nocturnos conceptus diei malitia coegerit aborti-

re, hoc unum scias epistolam tuam patri sororibusque persimilem ad me pervenisse, qua suavius nihil, nihil amicius. Sensi ex ea quod olim didiceram expertus, qualiter me visurus sis qui Romipetam meum ita videris, quem ne sequar ut ipse tibi spem dederat, Ligustici motus impediunt. Expectabo an vere tranquillior sit autumnus. Procellosum sane sidus hæc loca despicit: adversus quod remedii genus optimum fuga est. Heu! quid dixi? Quo enim extra fortunæ tonitrua patet fuga? Unum ergo consilium est mihi, ut pacem quam frustra quæsivimus extra, quæramus in intimis animæ latebris, et quam mundus non habet, petamus a Domino. Vale, nostri memor.

EPISTOLA VIII.

FRANCISCUS PETRARCA GUIDONI SEPTIMO ARCHIDIACONO GENUENSI S. P. D.

Quod magni is æstimet nomen suum his epistolis inseri.

Quod tam magni æstimas nomen tuum in epistolis meis poni, facis ut reliqua. Non enim id meriti mei, sed indulgentiæ tuæ est. Neque ideo me ingeniosum arbitror, sed te amicum. Seneca Lucilio suo scribens, *quod libros*, inquit, *meos mitti desideras, non magis ideo me disertum puto quam formosum putarem, si imaginem meam peteres*. Eleganter id quidem: quis est enim qui non deformis amici, quam formosi hostis malit imaginem? Non enim quod æstimat, sed quo æstimat metitur, hoc est non rebus trahitur, sed affectu. Tu quoque

nunc sic in epistolis meis sicut et in memoria locum quæris, nec attendis quale sit hospitium ubi habites, sed quis hospes. Et profecto nimis ambitiosus est, qui non libentius vel proprium vel pauperis amici limen, quam ignoti regis atrium ingreditur. Cernis ut cupide tugurium suum pastor, nidum volucris, cuniculos feræ, stabula greges petant,

Utque ipsæ memores redeant in septa capellæ;

quod ait Maro, quærentes non pulchriora sed propria, ut quem non homini tantum, sed cunctis animantibus insitum videmus, naturæ non dubitemus instinctum esse quem sequeris, ut scilicet non doctorum magis hominum quam amicorum scriptis tuum nomen insertum velis. Cuius te voti compotem et feci, et si vita comes erit, faciam, præfatus tibi, quod hospiti olim suo rex Evander, qui cum inopem in aulam invitaret Æneam, magnum ibi hospitem alium iam fuisse commemorat:

Hæc (inquit) limina victor
Alcides subiit, hæc illum regia cepit.

Quasi diceret, ne despicias paupertatem nostram, neque dedigneris habitaculum quod dignatus est Hercules. Ego idem tibi amicisque aliis, ut omnes modo tecum alloquar, quorum nomina scriptis inserui, testatus sum. Parcite et æquanimiter ferte, precor, si non par gloriæ vestræ locus est, ubi vos includo: neque sordes egestatemque sermonis mei horreant aures oculique vestri. Esse quidem, quod nemo ambigit, nobiliori in parte meremini; at non meritum vestrum, imo facultas æstimetur mea. Non ubi decet, sed ubi possum vos exci-

pio. Amor amplissimus, domus angusta est. Si Cicero essem, locarem vos in Ciceronis epistolis: nunc vos in meis loco, in alienis neque si velim queo, et scio vos non hospitis claritatem sed amicitiam æstimare. Denique ut obscuritatem loci comitatus splendore solemini, ibi vos pono, ubi duces ubi Reges ubi Cæsares ubi Pontifices, postremo quod his, me iudice, maius est, ubi philosophos ac poetas, et quod maximum, ubi viros bonos posui.

—

EPISTOLA IX.

FRANCISCUS PETRARCA GUIDONI SEPTIMO ARCHIDIACONO GENUENSI S. P. D.

De Italiæ motibus et præsertim de bello inter Venetos et Genuenses: et de supplicio Marini Falierii Ducis Venetiarum.

Rumores italicos quotidie, nisi fallor, ad satietatem audis, qui vel utinam rariores essent vel minus immites. Nunc crebri vehementesque sunt et sonori adeo ut non tantum in Galliis vicina regione, sed apud Indos atque Arabes audiri queant. Magni sunt rerum motus, magni bellorum strepitus, magna imperiorum iugisque collisio, magna denique famæ vox, quæque non modo alpes patrias sed maria transilit: et cum magna sit semper mali præsentia, futurorum apparatus continuo maior est. Ita nobis quod in omni adversitate durissimum est, extremum malorum solatium spes aufertur. Semper ne igitur sic invicem conteremur? Semper nostrorum laborum sonitu

cunctarum gentium aures atque ora complebimus? Semper mundo quod audiat, famæ dabimus quid loquatur? Ita ne non ætati tantum suæ, sed omnibus sæculis, nec poetico magis quam prophetico ore locuti sunt Virgilius et Flaccus, quorum alter:

> Gravidam imperiis bellisque frementem
> Italiam

dixit; alter:

> Auditum Medis
> Hesperiæ sonitum ruinæ?

Agat modo fortuna, perficiat quod incepit, quando si Virgilio ipsi credimus, omnipotens et ineluctabilis Dea est. De qua re ne quid præcipitante iudicio definiam, nihil in præsens pronuncio; tu tamen sententiam meam nosti. Si quid serium loqui soleo, ab hac opinione remotissimus sum. Nunc loquor ut vulgus, a quo maxime dissentio. Cæterum sive illa nihil sive aliquid est, nam Dea procul dubio non est, et rursus sive illa suis viribus, sive nostra ignavia potens est, quoniam quibus solis obstari illi poterat, arma rationis obiecimus, agat, inquam, sæviat, tonet ac fulminet, in hoc præcipue mundi latus, ubi in utramque partem plurimum se semper exercuit, pergat, instet, premat, urgeat et quando ita superis atque inferis placet, ut dictum est, cœpta perficiat. Vereor sane ne præsens præfatiuncula quasi magnæ mœstitiæ index amantem et amore pavidum atque solicitum animum tuum forte turbaverit. Pone metum. Privatim nihil adversi est, certe: sicut publice nihil est prosperi. Quid enim prosperum viris? Imo vero quid nunc non triste prorsus et miserum, li-

bertate mortua et sepulta, pro qua multi sæpe vitam magna cum voluptate et gloria profudere, præsertim cum non libertas sola perierit, sed cum illa simul fides, pietas, pudicitia, pessimisque iam moribus late regnantibus, nullus usquam iustitiæ aut modestiæ locus sit? Quæ quoniam sine consensu generis humani contigisse non poterant, ideo stomachosus et indignans animus, non magis suam quam publicam sortem luget. Hinc sæpenumero dolor meus, his quæ nulli hominum prosunt, mihi etiam nocent, frivolis quærimoniis evaporat. Ex hoc genere principium istud esse noveris. Nunc ne te amplius expectatione torqueam, quod destinaveram expedio; et omissis rumoribus qui assidue aures tuas fama vociferante circumsonant, quos nullis annalibus comprehendi posse crediderim, qui Pisis et qui Senis populorum motus, quot in latus revoluta Bononia, quisnam patriæ meæ status utinam ut florentis semper, sic aliquando fructiferæ, quid fleat Roma, quid Parthenope metuat, ut rebus ipsis cognomen suum Terra Laboris æquaverit, quibus æstibus odiorum ferveat sulphurulenta Trinacria, quid agat Ianua, quid paret Liguria, quid Æmilia cogitet aut Picenum, quam insomnis et laboriosa Mantua, quam meticulosa Ferraria, quam Verona miserabilis Acteonis in morem suis ipsa canibus laceretur, ut barbaricis semper incursibus pateant Aquileia et Tridentum, postremo (pudorum maximus) qui prædonum cœtus per Italiam pervagentur, utque de provinciarum domina servorum sit facta provincia, ad Venetorum, ut Livii verbo utar, angulum, et ad ea quæ vix dum potes audisse festino. Qui bello cum Ianuensibus suscepto ne dicam an detecto (latens

enim bellum defuisse nunquam puto), intra breve tempus primum victi, mox victores, rursum maiore prælio victi sunt, in quo illis quidem ut hominibus atque Italis compatior, mihi autem gratulor, quod hæc eis mala omnia ventura prævidi, prædixique, non astrorum iudicio, aut ullo vaticinii genere, quod totum despicio reiicioque, sed præsagio quodam mentis et urgentibus coniecturis, quibus in eam sententiam trahebar ut videre mihi tunc viderer quod nunc video. Atque utinam dux Andreas, qui rerum summæ tunc præerat, hodie viveret: exagitarem eum litteris et omnes aculeos inculerem, ac tota uterer libertate. Bonum enim virum atque integrum suæque Reipublicæ amantissimum sciebam, doctum præterea et facundum et circumspectum et affabilem et mitem. Uno tamen offendebar, quod belli studio ardentior erat quam naturæ ac suis moribus conveniret. Viventi equidem non peperci, et præsens verbo et absens litteris lacessere ausus tantum virum; quæ ille de animo meo certus patienter ferebat; sed recenti victoria elatus consilium respuebat. Consuluit illi mors, ut et acerbissimum patriæ suæ luctum et mordaciores meas litteras non videret. Uti enim fortunæ testimonio solebat, nec dubitare, quin sicut illa prosperior videretur, sic iustior causa sua esset. Itaque sæpe mecum illud Scipionis Africani dictum usurpabat, qui loquens cum Hannibale: Dii, inquit, testes sint qui et illius belli exitum secundum ius fasque dederunt, et huius dant et dabunt. Illud quoque Cæsareum:

Hæc fato quæ teste probet, quis iustius arma
Induit, hæc acies victum factura nocentem.

Et quantulum illi vivendum erat, ut in eundem ista reflecterem, nocentem teste fato convincens, qui teste fato innocentiam adstruebat? Paucis ante obitum diebus litterulas meas acceperat aculeosas fateor, plenas tamen affectuum optimorum, quibus ita se torsit, ita responsionis studio efferbuit, sicut postea retulerunt, qui præsentes erant, quasi summo pudori duceret non æquasse stilum, quod unum facillimum illi erat, litterato in primis disertoque homini. Id enim, puto, quod erat difficillimum non curabat, retundere scilicet et confutare sententias. Verbis equidem atque dicendi exercitio ornatus, verborum certamina non timebat; sed quid rebus ipsis facias atque apertissimæ veritati quid respondeas, nisi ut taceas aut confirmes? Verba enim compares, aut par aut superior esse potes, rebus inferior sis oportet. Sæpe phaleratam eloquentiam nuda veritas vincit. Itaque cum se multum frustra torsisset, septimo demum die nuntium meum sine litteris dimisit, responsum, propriumque nuntium pollicitus, quem non misit, nec deinde respondit, morbo seu corporis seu animi præventus, quod per eos dies contra suam atque omnium spem animosissime ad litus Venetum, ipsa eadem, quam penitus victam atque exterritam æstimabat, Ianuensium classis accessit, cui tumultui Dux ipse præter morem armatus interfuit. Nec post eum diem fere aliquid gessit, quasi festinans impendentibus caput malis matura morte subducere. Etsi quidam ferant respondisse eum nescio quid, quod nequaquam ad me, morte ipsa Ducis forsan interveniente, pervenit. Post quæ statim apud Achaiæ insulam, cui Sapientiæ nomen est, Veneti ab eadem illa vaga classe Ianuensium deprehensi ingenti-

que prælio fusi sunt, cum honorem Duci optimo deferente fortuna, ut sicut dixi, dilatam patriæ suæ cladem in carne positus non videret. Certe ut ibi potissimum vinceretur divinitus evenisse crediderim, quo scilicet vocabulo loci saltem reliqui duces admonerentur ut Sapientiam quam fortunam sequi mallent, et a ratione non ab eventibus rerum elicerent argumenta. Sed nonne fedifragus sum, qui nova pollicitus antiqua persolvo? Expecta autem: in fundo est unde promissi mihi fides constet. Hactenus audieras: quod sequitur novum audis. Huic equidem tali Duci iuveni senior successerat, et ad patriæ gubernaculum sero licet, ante tamen quam vel sibi vel patriæ opus esset accesserat, vir ab olim mihi familiariter notus, sed in quo fallebat opinio, animi quam consilii maioris. Marinus Phalierius viro nomen. Explere animum in summa dignitate non potuit, sinistro pede palatium ingressus. Namque hunc Veneti Ducem sacrosanctum omnibus sæculis magistratum, quem in illa urbe semper, ut numen aliquod antiquitas coluit, nudius tertius in ipsius palatii vestibulo decollarunt. Causas rerum ut poetæ solent in primordiis suorum operum explicare, si comperta loqui velim, nequeo: tam ambigue et tam varie referuntur. Nemo illum excusat: omnes aiunt voluisse eum in statu Reipublicæ a maioribus tradito nescio quid mutare. Atque ita cuncta in eo conveniunt, ut quod ait Flaccus:

Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Nam quod vix ulli unquam arbitror evenisse, dum ad ripam Rhodani pro negotio pacis per me primum et mox per eum frustra tentato, apud Romanum Pontificem

legationis officio fungitur, Ducatus honor non petenti, imo quidem ignaro sibi obtigit. Reversus in patriam cogitavit quod, ut puto, nemo unquam cogitarat: passus est quod nemo unquam. In loco celeberrimo omniumque clarissimo atque pulcherrimo eorum quæ ego viderim, ubi maiores sui, sæpe lætissimos honores pompis triumphalibus deduxerunt; illic ipse servilem in modum, concursu populi tractus et ducalia exutus insignia, capite truncus occubuit, templique fores et palatii aditum scalasque marmoreas sæpe vel festis solemnibus vel hostilibus spoliis honestatas, sanguine fœdavit proprio. Locum signavi: tempus signo. Annus est ab ortu Christi MCCCLV, dies fuit, ut ferunt, XIV Kalendas Maii. Rumor est tantus ut si quis urbis illius disciplinam moresque prospexerit, quantamve rerum mutationem unius hominis mors minetur, quamquam alii plures, ut perhibent, complicum ex numero idem supplicium vel pertulerint vel expectent, vix maior in Italia temporibus nostris emerserit. Hic forte meum iudicium expectes. Populum, si famæ creditur, absolvo, quamvis et lenius sævire et dolorem suum mitius vindicare potuerint; sed non facile iusta simul atque ingens ira comprimitur, magno præsertim in populo, ubi iracundiæ stimulos rapidis inconsultisque clamoribus præceps atque multivolum vulgus exacuit. Infelici homini et compatior et indignor, qui honore auctus insolito, quid sibi sub extremum vitæ tempus vellet ignoro, cuius illud quoque calamitatem prægravat, quod præscripto publico more iudicii non modo miser fuisse, sed insanus amensque videbitur, et tot iam per annos sapientiæ falsam famam vanis artibus usurpasse. Ducibus qui

pro tempore fuerint edico, positum sibi præ oculis speculum sciant, ubi se videant duces esse non dominos, imo vero nec duces, sed honoratos Reipublicæ servos esse. Tu vale, et quoniam publicæ fluctuant, demus operam ut privatas nostras res quam modestissime gubernemus.

Mediolani, VIII. Kal. Maias.

EPISTOLA X.

FRANCISCUS PETRARCA GUIDONI SEPTIMO ARCHIEPISCOPO GENUENSIUM.

Ad Pontificatum maiorem Genuensium evectum gratulatur.

Successibus tuis mœstior me an lætior ad extremum essem, diu dubius mansi. Tangebat animum hinc quies; hinc gloria. Alteram tunc ereptam cum maxime necessaria esset: alteram illi ætati, cui præcipue deberetur, superadditam cernebam. Gloriosum tibi laborem impositum non dolebam, sciens absque labore veram nec quæri gloriam nec servari. Illud horrebam quod libertas, quam semper amaveras, in discrimen agi videbatur, et haud dubie honori onus impositum erat. Quo altior enim status est, eo durius vitæ frenum his qui infamiam timent: semperque conspectior rerum vertex. Quid vis? Amor libertatis atque otii vincebat latendique commoditas. Dolere iam ceperam, nisi quod in mentem venit te neque liberum hactenus, et quod est pessimum servitii genus, iniquo simul ac multiplici pressum iugo, nunc de servo hominum multorum,

servum Dei unius effectum. Felix mutatio: gaudendum est; in quo statu quid agendum tibi seu quibus gubernaculis inter procellosi officii fluctus ac scopulos utendum sit, nec ego sim consultor idoneus, nec tu consilii eges, ut qui in his disciplinis quæ maxime hunc deceant statum tempus omne contriveris, nuper quidem pontifex, sed pontificii iuris ac cæremoniarum omnium a iuventute peritissimus. Unde quæ multis ardua, tibi prona sunt atque facilia. Ne vero tam dilectus olim frater, nunc et pater, tantum æquor ingressus non dicam consilio, non hortatu, sed meæ saltem vocis omine careat, funem solventi Horatianum illud exclamo:

I bone, quo virtus tua te vocat pede fausto.

Nempe quo vix alios longæ adhortationis calcar urgeret, natura te ducet tua. Non es cogendus, non urgendus, nec rogandus quidem. Admonitio ipsa prope supervacua est, nisi quæ monentis fidei fidem facit. Ad summam ut portu gaudeas optato naturam tuam bonam sequere: illi sulcantis freta navigii clavum crede. Si quid ambigui rerum tempestas attulerit, summa consilium ab arce et ab illa suprema parte animi petendum erit, quæ terrenis turbinibus inaccessa, serena semper atque tranquilla est. De fine operum nil tibi penitus arrogans, omnem spei ancoram in Deo fige, quodque ait Psalmista, *Revela Domino viam tuam, et spera in eo et ipse faciet.* Hæc sunt quæ tanta de re hodie dicturus fui, cum stimulante animo plura vellem, sed frenante atque obstante nuntio, vix ista potuerim. Vale.

EPISTOLA XI.

FRANCISCUS PETRARCA BENINTENDIO R. P. VENETOR. CANCELLARIO S. P. D.

Immeritas sui laudes respuit, oblatam ab eo amicitiam accepto habet, et duos artis musicæ cultores commendat.

Bene mihi accidit quod, in urbe licet frequentissima, tua me solitarium epistola reperit. Erubuissem coram multis deprehensus in publico; nunc solus erubui et dixi: quid non potes imperiose amor? quid non potes quando etiam talis viri oculos iudiciumque perstringis? In litteris quidem tuis, optime vir, duas simul veterum sententias recognovi, et amoris scilicet et eloquentiæ magnam vim, nec de nihilo dictum vel amantium cæca esse iudicia, vel oratorem posse omnia. Primum te, amice, in æstimatione rerum mearum fallit haud dubie: secundum vero me paulo minus fefellisset, ut talis mihi videri inciperem, qualem tu me facis: sic corda legentium in manu habes, sic papyrus pro regia, sic calamus tibi pro sceptro est, nisi quod me cogi sentiens, in arcem rationis evaseram, meque ipsum identidem percunctabar an vera essent quæ de me, stilo quamvis artificioso et mellifluo, dicerentur. Scio quid mihi intus in silentio sit responsum. Proinde oro posthac pudori meo parcas, neve me non meis laudibus oneres. Non precor errorem exuas quo delector; tantum ne me facundiæ unco trahas in errorem multo imparem. Tuus enim error ingenuus et amicitiæ testis eximiæ: meus si sit, nisi amens ridiculusque non erit,

quamquam ni fallor, ne in hac parte labi possim provisum est mihi. Habeo cui hæream conscientiam meam, a qua si non externis flatibus avulsus fuero, non facile corruam. Illic enim non nisi aura purissima, verique flant spiritus. Denique sic habeto, posse me tibi omnia credere, nisi quæ de me scribis, quæ si aliunde procederent, qua putas fronte lecturus fuerim? At nunc mihi notissimus candor tuus quidquid ais aut loqueris sensibus meis approbat, et quæ ex ore alterius illusoria viderentur, e tuis labiis grata facit et dulcia. Ad summam, quisquis sum, tuus sum, et amicitiæ nostræ fores, quas eloquentiæ tuæ clavibus aperire tanto studio satagis, apertæ sunt. Ut libet exoptatus ingredere. Crede mihi nullo nisu, nulla opus est arte; ultro animis præsto sum; teque in limine lætus excipio, non prius exclusurus, quam hanc inde animam mors excludat; idque sic esse ut dico penitus tibi persuasum velim. Pauca sunt quibus glorier, inque his ipsis hæsitare soleo. Unum hoc intrepide dixerim: temporales amicitias non novi, ad quas si non inanis emolumenti fluxa ratio, sed honestas alliceret immortalis, ex se genitas mortales esse non sineret. Ego fateor ad ineundas amicitias tardus, sed ad finiendas immobilis, ad hanc contrahendam utique pronus sum. Ac ne id fortuitum putes de te mihi diu ante prævisum erat, quem ut in amicis haberem et dignus et appetens videbaris. Sane quod præter modestissimum amicitiæ votum, etiam de scriptis familiaribus, quæ varia exigente materia, quotidie mihi e manibus excidunt, partem postulare dignatus sis, mirarer quod ita cum vivum fontem domi habeas et lucidum, semiarentes ac turbidos vicinorum

rivulos sitibundus ambias, nisi pridem intellectus mihi sit animi tui ardor, qui tantus est ut nullum ingenii liquorem undecumque fastidiat, neque tibi suffecturum arbitretur quidquid perennibus scatebris uberrimum pectus affatim promit, nisi vel ad limina pauperum pulses, et tui locuples aliena mendices. Perge, age, habes quos sequaris duces, seu Socratem mavis seu Platonem, quorum alter ut scriptum vides ad discendum pauper, ditissimus ad docendum fuit; alter litteras toto orbe collegit, quas toto orbe refunderet. His exemplis fretus, et hoc iter ingressus, fieri non potest quin ad summas quoque divitias provehare. Quod ad nugas meas attinet, desiderio tuo etiam mei et mearum rerum amor accedit. Amor cœcus, ut dixi, et semper obliquus rerum arbiter vulgo dici solet. Placens histrio semper placitum. canit. Profecto autem non in me, neque in meis scriptis est ut placeant, sed in te. Quantum vero in his, quando his delectaris, quantum in maioribus, si qua sors faverit, tibi morem gerere cupiam, et rursum quid si vacet ex te velim, eius ex ore audies cuius e manibus ista percipies. Qui vir musica suavitate mulcere aures, et digito potens est ingenium excitare: cumque ipse sit magnus, quamquam non e coniugio Thetidis, maiorem se genuit. Nunc ambo quietis avidi de toto orbe sibi Venetiam delegere. Adesto illis oro qua potes: mei sunt, eoque magis esse cupiunt quo tui, esse sibi non alterius videbuntur. Novissimum est ut noris epistolam illius optimi viri et civis et ducis meliore nunc in patria viventis, quo digni utinam diutius fuissemus, lætum me sed non sine lacrimis perlegisse: ita mihi de sepulchro, imo de cœlo re-

spondere visus est, ut multa mihi suspiria renovaret, sed non ita ut non sibi quoque multa responsurus fuerim, si nobiscum ageret. Nunc, ut puto, vel tacitum intelligit. Vale, memor nostri.

Mediolani, VII. Kal. Iunii.

EPISTOLA XII.

FRANCISCUS PETRARCA CAROLO IV. IMPERATORI AUGUSTO S. P. D.

Discessum eius ab Italia graviter arguit et obiurgat.

Italos fines et claustra nostri orbis intranti nuper animo tibi obvius et litteris fui, nec multo post a te vocatus et corpore. Abeuntem animo quoque sequor et litteris. Hoc interest quod tunc lætæ litteræ lætusque animus fuit; nunc mœsta sunt omnia. Ergo tu, Cæsar, quod avus tuus innumerique alii tanto sanguine quæsierunt tantisque laboribus, sine labore adeptus et sanguine, complanatam apertamque Italiam, patens limen urbis Romæ, sceptrum facile, imperturbatum ac pacificum Imperium, incruenta diademata, vel tantorum ingratus munerum vel rerum non idoneus æstimator, et hæc linquis, et (o naturam mutare magnus labor!) ad barbarica rursum regna revolveris? Non audeo clare tibi dicere quod mens resque exigunt, ne te verbo contristem, qui me et mundum facto contristas tuo: non quod ob invectivas ac satyras quibus merito panegyricum debeatur, aut aliam ob causam verum loqui

verear: sed quod hoc tuo tam præcipiti digressu, fugæque (verum uti fatear) simillimo, neminem te arbitror tristiorem. Quo magis magisque me attonitum habet hoc consilium, cui an fortuna unquam fautura sit nescio, certe ratio et virtus et boni omnes totumque, si loqui possit, Imperium adversantur, mali omnes plaudunt ac rebelles. I tamen, quando ita fixum animo est: sed hoc quoque memoriæ ut affigas velim et valedicentis memoriale munusculum tecum feras: a nullo unquam principum tantam spem, tam floridam, tam maturam, tamque honestam sponte desertam. Neque vero minor animus romanum principem decebat quam Macedonum regem, qui mox finibus patriis egressus, non se Macedoniæ dominum sed terrarum omnium dici iussit, cum non esset. Tu imperii dominus romani, nil nisi Bohemiam suspiras. Quando hoc, quæso, fecisset avus tuus aut genitor, qui etsi non Imperator ipse esset, sola paterni imperii memoria tot urbium ius quæsivit? Sed non est hæreditarium bonum virtus. Quamvis ego tibi nec imperandi scientiam deesse crediderim, nec bellandi: fons actionum omnium voluntas deest. O si in ipsis Alpium iugis avus tibi nunc paterque fiant obvii! quid dicturos putas? crede illos audias vel absentes. « Profecisti eximie, ingens Cæsar, hoc tuo tot per » annos dilato in Italiam adventu et festinato abitu. » Refers demum istud ferreum, illud aureum diadema, » simul ac sterile nomen imperii. Imperator Romano- » rum vocitaberis Bohemiæ rex solius; qui utinam » nusquam esses, ut vel sic altius coacta virtus as- » surgeret, famesque domestica neglectum aviti cultum » patrimonii suaderet. » Sed iam brevi impetu defes-

sus calamus requiescat, et vere, ut auguror, fatigatis auribus det quietem. Salutem mihi Lælius meus tuis verbis attulit, quæ mihi iaculum anceps et letale vulnus fuit, simulque Cæsaream effigiem pervetusti operis, quæ si vel ipsa loqui posset, vel tu illam contemplari, ab hoc te prorsus inglorio, ne dicam infami itinere, retraxisset. Vale, Cæsar, et quid linquis et quid petis cogita.

EPISTOLA XIII.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

Se legationi apud Cæsarem fungendæ Germaniam versus iter propediem suscepturum nunciat.

O! prædura sors mortalium, o! vere iugum grave super filios Adam, ut ille ait, a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium. Ecce ego dum maxime solitudinem et requiem meditarer, magno rerum et familiæ strepitu, contra meum morem ac votum prope nunc ad Arctoum mittor Oceanum. Quis crederet ut deinceps Rhenum, quem iuvenis senem vidi, eundem iuvenem ipse iam senior viderem? Siquidem olim, annis meis adhuc crescentibus, circa divortia amnis illius ubi decrescere et bicornis esse incipit, fui: nunc ad radicem montium ubi ille crescit et nascitur, iam decrescenti iter est mihi, et inde longius ad extrema terrarum: magnus labor præsertim in tanto contrarii appetitu. Sed, nisi irritus, non

gravis. Pro publico enim bono nullus privatus labor non facilis videri debet. Proinde hanc ob causam non aliam ab hoc Ligurum regnatore missus ad Cæsarem proficiscor, quamque mittenti, susceptoque efficax negotio res docebit: mihi vero eatenus morigerer ut illum, cum quo absens litteris nil profeci, voce præsens feriam. Litigabo, arguamque eum, et statuam contra faciem eius hanc degenerem et Cæsareis moribus indignam fugam, ut si nulli usui iter hoc meum sit, certe legatus ipse mihi fuero. Primo enim quæ commissa, post seorsum quæ concepta mihi sunt peragam. Utar libertate mea et Cæsaris utar patientia. Sic me saltem, sic Italiam et desertum imperium ulciscar. Orabis pro felici reditu, post quem, ut spero, sic in solitudinem totus immergar, ut nullus ibi me labor (o quid ante sepulchrum spero?), nullus me nobilium scrutator latebrarum livor inveniat. Vale nostri memor.

Mediolani, præpropere et inter tumultum sarcinulas stringentium. XIV. Kal. Iunii.

EPISTOLA XIV.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

Rediisse se e Germania, amicumque suum illi commendatum velle.

Te meditabar abiens, te reversus meditor. Sed qui tunc suffecit paucis, nunc multa iubenti animo occupatior solito calamus non sufficit. Itaque poscit inducias, quas ne negem temporis premor angustiis. Reducem

me nosse suffecerit, hoc adiecto, sospitem reducem. Illud pluris facies quam reditum, quam salutem, quod orbem terrarum, quo magis ambio minus amo. Si quid amabile est, nisi amor fallit, in Italia est, cui ultro si loqui possint, omnia climata cesserint, et tacendo cedunt, nisi, quod mœstus dico, naturæ clementiam, incolarum tumor livorque corrumperet. De huius laudibus multa sæpe diximus et si vita manserit dicemus. Sed nunc recenti memoria de his mixtim quæ et peregrinanti se obtulerant, et reverso, dicere aliquid institui. Cœterum is cuius e manu hanc litterulam accipies concivis et amicus noster, non enim nostrum dicere vereor qui meus est, multa tibi, non addo si libuerit, referet de statu meo, cuius noscendi tuam inexplebilem ac perpetuam sitim novi. Vale et maiores meas propediem litteras, nisi occupationibus veter, expecta.

Mediolani, XII. Kal. Octobris.

EPISTOLA XV.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO PRIORI SANCTORUM APOSTOLORUM S. P. D.

Quod multis negociis distentus promissam de Italia epistolam ad eum mittere nequiverit.

Poscis ut epistolam de Italiæ laudibus quam tibi pollicitus videbar non subtraham. Enimvero nihil animo meo gratius quam sæpe multa tecum colloqui. Nec inficior nuper me, dum rura barbarica peragrarem, multa et varia quæ de huius laudibus dici possent

inter equitandum cogitasse. Ita mihi accidit ut patriam nunquam clarius quam in peregrinatione cognoscerem, et ad summam quam pulchra esset Italia in Germania perdidici. Et hoc mihi epistolæ principium fuit illius quam reversus magno impetu cœptam mox destitui mole rerum pressus et varietate distractus. Nempe ex illo nullus mihi fere tranquillus dies, nullum liberi suspirii tempus fuit. Quod minime puto, mirabere si Liguriæ labores et temporis huius statum ante oculos ponis. In navi equidem tantis iactata tempestatibus intrepidum forte vectorem esse, inconcussum certe non licuit. Meministi quod Augustinus de se ipso, deque hac ipsa urbe in simili rerum statu loquens ait: *nos*, inquit, *adhuc frigidi a calore spiritus tui excitabamur tantum civitate attonita atque turbata.* Quod si illi accidit alienigenæ et, ut ipse ait, adhuc frigido, quid italico homini, nec iam Deo gratias a calore spiritus prorsus algenti, et certe ab annis teneris amore quo italici nominis super coætaneos meos omnes quos ipse noverim æstuanti, accidisse æstimas? Cœterum iam cœlesti favore civitas e multis procellis optatæ quietis in portum venit multa cum gloria. Mihi autem de materia quam poscis multa utroque stilo sæpe occurrunt ut scriberem, quæ, ut auguror, vidisti: et si quid forte nunc etiam hic scripsero, ante alios videbis. Vale.

Mediolani, II. Kal. Iunii.

EPISTOLA XVI.

FRANCISCUS PETRARCA GUIDONI ARCHIEPISCOPO GENUENSI S. P. D.

Eum de rebus suis, ut erat in votis, certiorem facit.

Novi te: scio, quam de me semper anxius fueris quamque solicitus. Et profecto non amat qui non metuit. Statum meum vis audire. Atqui si a stando status dicitur, nullus hic homini status est, sed fluxus iugis ac lapsus, atque ad ultimum ruina. Quid velis tamen intelligo; quam seu suaviter seu duriter res meæ non stent, dico, sed volvantur. De quo ipso sæpe quærentibus amicis pro tempore varie respondi. Quid autem vetat vel sæpius idem dici, vel mutari stilo, si qua rerum vel opinionum mutatio facta est? Et mearum quidem rerum summam olim tibi notissimam scio. Minutiora, ni fallor, et quotidiana exigis; quid in dies agam? quid de futuro statuam? quamquam et illud mihi de ingenio tuo spondeam, ubicumque sim nosse te non modo quid agam, sed quid somniem. Quid enim nisi somnia dixerim actiones et cogitationes hominum, quas novit Dominus, quoniam vanæ sunt, ut Psalmista ait? Et revera minime operosam aut difficilem tibi cognitionem tribuo; nosse quid agam. Siquidem post compressos adolescentiæ turbines et flammam illam beneficio maturioris ætatis extinctam (o quid loquor! cum tot libidinosos passim ac deliros senes videam turpe iuvenibus vel spectaculum vel exemplum), imo igitur post illud incendium cœlesti rore Christique re-

frigerio consopitum, prope unus semper vitæ meæ tenor fuit, et cum sæpe interim loca mutaverim, ille mansit immobilis. Hunc nemo te melius nosse debet. Paulo minus biennio hospes tuus fui. Quod tunc vidisti nunc agentem cogita, nisi quia quo magis progredior, eo magis accelero, et ceu fessus viator ad vesperam adhuc longæ viæ cogitatione suspiro et calcar incutio, lassitudinem excutio et gressum ingemino et multiplex vitæ tædium obliviscor. Itaque diebus ac noctibus vicissim lego et scribo, alterum opus alterno relevans solatio, ut unus labor alterius requies ac levamen sit. Nulla mihi delectatio aliunde, nulla vivendi dulcedo alia; sed hæc ipsa me prægravat atque exercet usque adeo, ut hac dempta, vix intelligam, unde mihi labor aut requies. Res mihi equidem inter manus crescunt, et subinde aliæ atque aliæ adveniunt abeunte vita, verumque si fateri oportet, terret me tanta cœptorum moles in tam parva vitæ area. De eventu Deus viderit, cui notissima est voluntas mea, quam si utilem animæ noverit, adiuvabit spero. Utcumque autem ipsa sibi voluntas est præmium, quamvis nuda et optatis spoliata successibus. Ego interim anhelo, vigilo, sudo, æstuo, nitor in adversum, et ubi densior difficultatum sepes, eo alacrior gressum fero, ipsa rerum novitate seu asperitate excitatus atque impulsus. Certus labor, fructus incertus. Malum mihi commune cum cæteris studium hoc ingressis. His intento defluunt temporum reliquiæ, et ego cum illis ad extremum eo, et mortalis immortali premor exercitio. Dextera quidem calamis, oculus vigiliis, pectus curis atteritur. Totus iam obdurui atque percallui, ut Ciceronis nostri verbo utar, et si forte

perveniam quo velim, bene erit: alioquin bene esse voluerim. Faustum illud, hoc laudabile. Illud est enim in alterius, hoc in nostra manu positum. Hic insistam ut nullus dies, nulla nox, non labor, non requies, non voluptas animum ab honesta intentione dimoveat. De reliquo sortem meam non tantum æquo, sed alto etiam animo feram. Si posteritati noscar proberque, quid ni gaudeam? Sin minus, nostræ notum sufficit ætati. Si ne idipsum assecutus videar, paucis aut uni mihi notum fuisse satis fuerit: talem modo me noverim qualis sum, talisque sim qualis esse cupio. Magna res fateor et optanda facilius quam speranda. Inter has igitur curas agor, sæpe interea Deum orans quidquid de studiis famaque decreverit, ut bonum facilemque et sibi placitum det exitum, neu tot me totiens periculis erutum in fine destituat, et sæpe suspirans illud sibi Davidicum insusurro: *Ne proiicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea ne derelinquas me;* et illud: *Docuisti me a iuventute mea et usque nunc et usque in senectam et senium, Deus ne derelinquas me.* Nihil affectuosius tamen, nihil sæpius precor quam ne derelinquat in morte. Hæc, frater optime, summa est eius quem tu statum, ego cursum seu verius casum voco. Sed quia de singulis scrupulosius quæris, accipe cætera. Corpore valeo eo usque, ut illud ad plenum, neque iam gravior animus ætasque tranquillior, neque abstinentia et iuge bellum perdomuerit, quod illi contumacissimo rebellantique mancipio indixi, seu calcitranti, ut proprie dixerim, asello. Christo tandem duce domabitur, sine quo absque ulla dubitatione sibi succumberem, ut solebam. Sic me crebro ex hibernis in aciem revocat, cogitque

nunc etiam de libertate certare. O! nascentium sors immitis, semper in prælio stare, non adversus alienigenas tantum hostes, sed adversus indigenas seque ipsos, et ancipiti experientia omne tempus absumere. Spes prima et ultima Christus est. Illo opem ferente et hostes meos vincam a quibus persæpe olim iunior victus sum, et asellum hunc inenodabili ac valido vinciam capistro, ne mihi lasciviens dulces somnos atque animi requiem interpellet. In rebus aliis, quas fortunas vocant, optimus et ab extremis distantissimus est modus. Procul miseria, procul inopia, procul divitiæ, procul invidia. Tuta vero, dulcis ac facilis mediocritas præsto est. Ita mihi videor: fallor forte. Unum est in quo mediocritas me ista non sequitur, idque si invidiosum forte me fecerit, non mirer. Honoratior sum, melius dixissem oneratior, quam vel unquam optaverim, vel semper optatæ sit expediens quieti. Neque huic solum Italorum maximo suisque proceribus sed, quod publicam sim dicturus ad gloriam, toti populo conspectior cariorque quam merui. Quadriennio iam, ut vides, integro in hac mediolanensium urbe moram traxi, et iam quinti anni limen ingredior. Res hercle nec mihi unquam, nec tibi, nec cuiquam amicorum vel levi præsagio ante visa: sed humanarum rerum consuetudo est vetus ac perpetua ut sicut nihil certum omnium quæ speramus, sic nihil omnino quod præter spem evenire homini non possit. Nemo se fallat aut dicat: hic moriar, illic vivam. Non respondent exitus consiliis. Cum multa circumspexeris, cum diu multumque cogitaveris, unum te aliquid fefellerit, et cum multa decreveris, fortuna iure suo uti volet, inque ictu oculi cogitata perverterit. In hac urbe

igitur, ut dixi, vel græcam olympiadem transgressus, nunc romani lustri spatium ingressus, ea non præsidentium modo, de quibus nuntiatum esse tibi certus sum, sed totius etiam, ut dictum est, populi benevolentia fruor hactenus, ut non tantum civibus optimis, sed terræ atque aeri ipsisque quodammodo parietibus urbis ac mœnibus in perpetuum me teneri arbitrer. Is me omnium favor amplectitur: his me oculis videri, his vocibus concelebrari sentio, sic, ut amicitias singulares sileam de quibus agere longum est, me vulgo etiam carum scio. Unde id quidem nescio, nisi quod et fama suum, puto, tenuit morem, et inter occupationes omnium ac meas nec illis me propius intuendi facultas oblata est, nec mihi necessitas apparendi. Ita nunc usque vulgus fallitur: ego lateo. Accedit habitatio ab omni tumultu civium, nisi quem vetusta devotio semper octavo mane revehit, semota ad occiduum magnæ urbis angulum. Ambrosii hospes sum, quo cum multi sæpe vel noti vel noscendi avidi se venturos dicunt, uncis inde negotiorum, hinc loci distantia retrahuntur. Sic est: sanctissimus hospes meus, ut consolationis plurimum corporali sua præsentia atque, ut reor, spirituali etiam præstat auxilio, sic tædii ac fastidii multum eripit: salutari, frequentari, celebrari, premi, aspici. Ab his stimulis tanto sub hospite conquiesco, et velut alto maris e litore procellas video, fragoremque audio, sed fluctibus non contingor. Ac si quando trans limen vel eundi votum, vel visendi domini me debitum trahit, quo nihil me aliud quam voluntas rara adigit, vel honestas; tum dextra lævaque, flexis oculis et labellis clausis, nutu frontis eminus salutans, salutatusque

prætereo, nil in transitu patiens quo fatiger. Iam de reliquis et brevior et notior tibi olim historia est. Ne quid tamen variante fortuna, ut fit, de vivendi consuetudine immutatum suspiceris, qui fueram sum: victum meum nosti, somnum quoque. His ut addam nulla mihi unquam fortuna suaserit: demo potius aliquid in dies, iamque eo perventum est ut modicum demi possit. Denique non si regiæ opes advenerint, aut e mensa frugalitatem pellere poterunt, aut in cubiculum longos somnos arcessere. Nunquam me sanum ac vigilem lectus habet, nunquam nisi æger aut dormiens, stratis versor. Simul et me somnus et ego lectum desero. Somnum morti et lectulum busto simillimum duco. Cum supremus sopor obrepserit, satis superque in cubiculo terreo seu saxeo iacebimus; id meditans lectulum meum odi, ad illum nisi urgente necessitate non redeo, sed ab illo mox, ut me naturæ vinclis explicitum sentio, intercunctanter avellor, inque bibliothecam illi proximam velut in arcem fugio. Fit hoc inter nos media nocte divortium. Quod si quando forte vel nox brevior, vel vigiliæ longiores moras traxerint, at profecto nunquam simul aurora nos invenit. Postremo modis omnibus nitor, ne quid melioribus curis interveniat, præter id solum quod imperiose necessitas naturæ exigit: somnum dico et cibum, et breve honestumque solatium vegetando corpori refovendoque animo dumtaxat idoneum. Id enimvero quia pro varietate temporum ac locorum variari oportet, et quale mihi nunc sit, nisi audias nosse non potes, dicam. Amo solitudinem ut soleo, sectorque silentium, nisi inter amicos inter quos nemo me loquacior; hanc reor ob causam quod ami-

corum præsentia solito rarior nunc est: raritas autem desiderium accendit. Sæpe igitur annuum silentium diurna loquacitate compenso, rursumque amicis abeuntibus mutus fio. Importunum negotium cum vulgo loqui, aut omnino cum homine, quem non amor tibi seu doctrina conciliet. Cœterum more illorum qui, ut ait Annæus, de vitæ partibus deliberant non de tota, ingruentem cogitans æstatem, diversorium amœnissimum saluberrimumque adii. Garignanum vocant, tribus, ut numerant, passuum millibus ab ipsa urbe semotum. Rus autem in planitie elevatum et cinctum undique fontibus, non illis quidem Sorgiæ nostro transalpino paribus, sed modestis ac lucidis, tamque suaviter invicem perplexis ac vagis, ut unde veniant seu quo pergant, vix possit intelligi; sic coeunt divertuntque, et rursus in se redeunt, multosque per tramites unum in alveum relabuntur Menandreis flexibus, ut nympharum choros virgineamque agi dixeris choream. Hic modo sum, et quid agam dixi: et si sileam nosti. Ago quod solitus sum, nisi quod rure mihi libertas est maior. Otiosi fuerit si pergam exequi quibus tædiis urbanis hic caream, quibus agrestibus solatiis abundem, quæ mihi poma de arboribus, quos e pratis flosculos, quos e fontibus pisciculos, quas e limis anaticulas, quas e nidis aviculas, quos ex agris hericiolos, quosve lepusculos, capreolosque atque apriculos certatim humiles convehant vicini. Est hic Carthusiæ domus nova sed nobilis. Hinc mihi quidquid sancti gaudii sumi potest horis omnibus præsto est. Decreveram intra ipsius cœnobii septa concludi, quod illis sanctissimis viris an mihi gratius incertum. Ita re factum esset, nec verebar ne qua in re

præsentia mea illos offenderet: sed reputans me sine equis ac famulis, ut adhuc est vitæ modus, esse non posse, timui ne servilis temulentia ac strepitus religioso silentio obstarent. Sic vicinam illorum domum malui unde officio præsens, tædio autem absens piæ familiæ devotis actibus, quasi eorum unus, quandolibet intersum. Sacrum mihi continuo limen patet, a quo famuli mei exulant, atque advenæ, nisi rari admodum, quos vitæ qualitâs tali dignos facit hospitio. Nempe sic ex altero solatium quæri decet, ne fastidio illi sis unde tuo consulis fastidio. In quo sæpe peccatur, dum quisque sibi nimium indulgens, alium non cogitat. His mihi equidem in locis, ne quid nescias, præter amicos veteres deesse nil sentio, quorum me ditissimum et illorum virtus et mea sors fecerat; inopem et mors pridem, et nunc facit absentia. Quamvis enim vultus separet illos non animus, est tamen præsentiæ corporalis non leve desiderium, quod in aliis me facile leniturum scito, si te mihi, si Socratem nostrum fortuna restituat. Quod speravi diu, fateor, atque optavi. Nolo quidem me excusandi studio quempiam accusare, sed si pergitis, quando remedium aliud non est, imaginaria meorum præsentia me solabor, deque his sanctis ac simplicibus Christi amicis quod dabitur non litteratæ licet ac facundæ sed humilis et devotæ conversationis eliciam, cum quibus rara iuvat inire convivia, crebra colloquia, perpetuam caritatem. Neque ultimum vitæ meæ mortisque præsidium in illorum orationibus situm spero, quibus et ut tuas adiicias obsecro, ut Spiritus Sanctus adveniens, cui hodiernus sacer est dies, fuscum hoc ac gelidum cor inflaminet. Vale.

EPISTOLA XVII.

FRANCISCUS PETRARCA GUIDONI ARCHIEPISCOPO GENUENSI
S. P. D.

Quod in copia rerum omnium paupertate potius quam divitiis ipse laboret.

Putabam plenus esses mei rerumque mearum, sed amori nihil est satis dum superest aliquid quo aspiret. Et quæris adhuc an famæ, quæ me divitiis auctum refert, habenda sit fides; quæ mihi, si habita esset, nota et comperta non quæreres, mediocritatem professo. Divitiarum quæstio suboritur: sic ut video superioris epistolæ fides nutat: quod nunc cogitans brevis ero. Sæpe enim multiloquio fides deest, et operosius affirmanti minus creditur. Igitur accessisse aliquid opibus non negem, sed, mihi crede, plusculum accessit impensæ. Mos tibi notus est meus. Ut nunquam ditior, sic nec pauperior unquam fui: non quod ulla egeam re, nempe omnium solito abundantior: neque ideo quod natura divitiarum est, ut eis crescentibus sitis crescat illarum, quæ maior utique est paupertas quam illis simul earumque desiderio caruisse; imo vero illa paupertas ultima, hæ divitiæ primæ sunt. Nec si verum quæritur, ulla maior est inopia quam multa optare; nec divitiæ maiores quam suo esse contentum. Neque vero fieri potest sive ut quod quisque acriter concupiscit non eodem valde egeat, sive ut eo indigeat quod non cupit. Ab egendo autem nomen traxit egestas, quæ id ipsum est quod inopia vel paupertas.

Non me igitur hoc inopem facit. Audeo hac in parte quiddam mihi singulare tribuere, imo non mihi, sed illi uni a quo est omne, si quid in me vel omnino in homine boni est. Quid in magnis opibus acturus fuerim, seu quid animi habiturus nescio. Sed ad hunc diem quo plus habui eo minus optavi, et quo rerum copia largior, eo et tranquillitas vitæ maior, et cupiditas animi minor fuit, minusque solicitudinum et curarum. Nec sum difficilis ad credendum forte aliter eventurum, si ad magnas divitias pervenissem. Nam ut navim sæpe sub fasce habili expeditam pondus in mare demersit: et oculos modesto lumine delectatos immodica lux offendit: sic et ego opum mole nimia vincendus ut cæteri. Nisi me fallit opinio, mediocritate hactenus sum invictus: quamvis hoc ipsum multis, nescio an et tibi, perrarum atque incredibile visum iure arbitror. Si hoc igitur non est, quod mali huius usitatum et maxime proprium videretur, quid aliud causæ est? forsan interroges. Dicam quo rei simul ac mei naturam intuearis apertius. Est equidem illa quoque perpetua et immutabilis opum lex, ut cum earum semper augmento corrosorum numerus augeatur. Sciebam hanc esse sententiam Salomonis; at inexperta vix credimus. Sed novimus iam: non mihi credulitas rei huius, sed notitia certa est. Aurum per digitos meos transire didicit, non hærere; placet equidem ac delectat. Ad hoc enim quæsitum, inventum, effossum, abstersum, consignatumque est aurum, non ut cupiditates hominum stando nutriat, sed ut transeundo necessitatibus medeatur. Et hercle aurum qui spernit sobrie, nec post illud abit, nec in illo sperat, ille mihi vere sapiens

qui fecit mirabilia in vita sua, quem scriptura quærit ut laudet; et qui utiliter atque honeste distribuit, dominus: qui anxie illud servat, custos; qui amat, amans; qui metuit servus; qui venerat idolatra. Ego quem inter hos gradum teneam ignoro: nec de me mihi ipse crediderim: libenter familiariterque nos fallimur. Hoc scio quod aurum de domo mea deque arcula iter facit non hospitium: quo id consequar ut inter hæredes meos aut nullum aut exiguum sit certamen. Et de me quidem hactenus. De alumno autem nostro, nam et de illo etiam quæris (nec immerito: pars enim quodammodo nostri est), quod definiam in dubio sum. Mores ut in adolescente tranquilli, et haud spernendi flores huius temporis. Quem ex his fructum sperem, si me roges, spero futurum virum bonum. Nam ingeniosum esse iam scio. Sed quo ingenium, si studium desit? Librum horret ut colubrum. Sufficit autem bonum fieri. Non frustra nascitur qui bonus moritur. Delector ingenio, sæpe etiam indignor, quoniam illud per desidiam labi sinit; nil preces valuere, nil blanditiæ, nil minæ, nil ferulæ. Conatus nostros vicit natura potentior. Sed sic eat, quando aliter non potest. Est, fateor, famosus ac lucidus, sed non facilis litterarum titulus. Unde fit ut tolerabilior sit defectus eloquentiæ aut scientiæ, quam virtutis, quod illæ scilicet sint paucorum, hæc est omnium. Et licet hic noster esse possit ex paucis, si tamen obstinatissime renuit, quid agam? Persolvi debitum, præstolabor exitum, laturus omnia, modo bonus evaserit. Ut enim veritas intellectus, sic bonitas voluntatis obiectum est. Hanc igitur qui non habet, non est cui hoc imputet, aut in quem culpam reflectat, at-

que ideo venia qualibet est indignus, quia volens peccat. Non possunt sane omnes Cicerones esse vel Platones, non Virgilii vel Homeri; boni esse autem possunt omnes, nisi qui nolunt. Et arator quoque piscatorque et pastor, modo vir bonus sit, suum pretium habebit. Denique si alterutro sit carendum, ut Themistoclis dictum de divitiis ad litteras traham, malo virum sine litteris, quam litteras sine viro. Vale.

EPISTOLA XVIII.

FRANCISCUS PETRARCA IACOBO SODALI AUGUSTINENSI S. P. D.

Hortatur ut tyrannide Ticinensium se abdicet, et pacem conditioni suæ respondentem profiteatur.

Sæpe te, frater, admonui ut status et officii tui memor paci operam dares, qua sublata, quid aliud vita hominum quam mors est? Seu quid mundus hic aliud quam laborum immortalium ac discriminum officina? Preces quoque et obsecrationes immiscui ut, si te ratio non movisset, amici caritas moveret. Oravi perque omnes te cœlicolas adiuravi, atque in primis per sacrum et venerabile Augustini ducis tui nomen, cui et ego quamvis peccator in spiritu meo servio, et cuius opem apud Christum spero, ut aliquando sopitis aut lenitis odiorum flammis et compresso tumore superbiæ qui amicorum oculos atque aures sanioribus consiliis obstruxerat, illud acumen ingenii tui et eloquentiam cœlitus datam tibi, quam irritandis animis tuorum civium (in quod, pace tua dixerim, plausibiliter hactenus

potius quam salubriter intendisti), iam tandem ad meliora converteres, et quod maxime te decebat, religiosam animam pacificis tractatibus applicares. Non dura quidem neque difficilia postulabam ut Augustini miles ac discipulus pacem velles, præcipue dum audires ducem ac magistrum tuum cum sæpe alias tum expressius in eo libro in quo cœlestis et æternæ Reipublicæ leges tractat, quodam loco de pace sic loquentem; « tantum est enim, inquit, pacis bonum, ut etiam in » rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat » audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri; » et post paululum « sicut nemo, inquit, est qui gaudere nolit, ita nemo » est qui pacem habere nolit: quandoquidem et ipsi » qui bella volunt nihil aliud quam vincere volunt. Ad » gloriosam ergo pacem bellando cupiunt pervenire. » Et rursus: « Paci igitur geruntur, inquit, et bella ab his » etiam qui virtutem bellicam student exercere imperando aut pugnando. Unde pacem constat belli esse » optabilem finem. Omnis enim homo etiam belligerando pacem requirit. » In quo quidem Ciceroni consentit ubi suscipienda bella ait ob eam causam ut sine iniuria in pace vivatur. Non exequor quæ ibidem Augustinus idem divino strinxit ingenio, quod et tibi notissima sint, et mihi providendum ne si cuncta complecti velim, magnitudo rerum modum vincat epistolæ. Quorum tamen illa conclusio est, ut omnem usum rerum temporalium ad fructum terrenæ pacis in terrena civitate, in cœlesti autem ad pacis æternæ fructum referendum esse definiat. Quæ cum ita essent, sperabam, fateor, omne quidem, licet ferox, sed in

primis ratione utens animal, hoc est hominem, cui vera scilicet insit humanitas, sic ante alios homines te, cui et ratio esse deberet uberior et singularis religio ac pietas, pacem amare, pacem quærere; nempe qui tibi dictum crederes Davidicum illud quod sæpissime decantares: *inquire pacem et persequere eam:* nisi forte dicas te illam utique persequi, qui eam, ut videmus, finibus tuis pulsam exulare coegeris. Sed quid eidem regio Prophetæ dicimus clamanti: *rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem?* qui sciens in pace omnem bonorum abudantiam esse, omnem iustitiam, omnem delectationem ac sanctarum animarum requiem, vide quid addidit: *et abundantia diligentibus te.* Et iterum: *fiat pax in virtute tua*, et intulit: *et abundantia in turribus tuis.* Et alio loco: *orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis.* Et alio: *mansueti hæreditabunt terram et delectabuntur in multitudine pacis.* Et rursus alio: *in pace in idipsum dormiam et requiescam.* Longum est singula prosequi. Ex quibus elicitur bonorum omnium atque optabilium rerum hunc unicum fontem esse, quo arescente, succedant egestas, tædium et labor. Quid autem et Ieremiæ dicemus, cuius illa vox miror, nisi tuis semper auribus insonet: *quærite pacem civitatis et orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis?* Ex his atque similibus sacrarum testimoniis scripturarum, in quibus apprime doctum te putabam, bene de te, frater, opinabar, teque pacis amicum mihi persuaseram. Sed fallebar ut intelligo. Tu enim sub Christi tunica Marti sacer, et Bellonæ devotior quam Mariæ, sub religiosi habitu tegens propositum bellatoris, nec id quoque iam tegens sed dictis et factis aperiens,

relatu mirum, terribile cogitatu, in eo tibi summam meritorum et felicitatis et gloriæ sitam putas, si hoc videat ætas nostra, hoc posteritas audiat, te multis gentibus et toti pene Italiæ pestiferum, populo autem tuo funestum et fortasse ultimum bellum ingenio fovisse, exacuisse consiliis, eloquio inflammasse, ut tibi quem sequestrum pacis et quietis auctorem credidi, iam merito dici possit quod ipsi olim Ieremiæ immerito dictum est: *siquidem homo hic non quærit pacem populo sed malum*, Heu! care mihi in Christo frater, quam valde vereor ne tibi quoque conveniat quod ille vir sapiens ait in parabolis: *vir impius fodit malum et in labiis eius ignis ardescit: homo perversus suscitat lites et verbosus separat principes.* Et quod aliter ait in Ecclesiastico: *homo iracundus intendit litem et vir peccator turbabit amicos, et in medio habentium pacem immittet inimicitiam.* Nam si æquis auribus et pacato animo audire verum potes ab amico, quis est usquam hominum qui dubitet, quin si tu unus non esses, tot hominum millia quæ hanc non modo Italiæ, sed totius orbis pulcherrimam atque optimam partem tenent, in tranquilla et exoptata pace nunc viverent: quidquid per squalidos et incultos agros armorum aut signorum volitat, quidquid incendiorum desertis villarum tectis exæstuat, quidquid formidinis ac fugæ amplas ac nobiles alternis motibus urbes quatit, quidquid denique sanguinis hoc bello ultro citroque fusum fundendumque est, totum e tuorum consiliorum scatebris et facundi pectoris fonte processerit? O! felicem te, qui ad hanc rei militaris gloriam sine ullo armorum exercitio, sedendo, loquendo perveneris, ut unus fieres e numero

illorum, qui, ut ait Psalmista: *cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant prœlia.* Idque ut de te, quamvis in aciem non prodeas, perproprie dictum scias, sequitur non quod erat proprium bellatorum, induerunt arma, conscenderunt equos, ordinarunt agmina, sed quid? *acuerunt linguam suam sicut serpentes; venenum aspidum sub labiis eorum.* Heu mihi, frater! Quanto melius quantoque professione tua dignius fuit linguam Deo dicatam divinarum laudum occupare præconiis, quam delinimentis anilibus, et ventosis adhortationibus populorum, quibus te non uno aut altero ut cæteri, sed omnibus omnium flagitiis inquinares, omniumque quibus abundare bellum solet particeps delictorum, nec tantum particeps fieres, sed magister. Ita ne tibi cura conscientiæ posthabita, fama dumtaxat inanis eloquentiæ satis est, ut propter hanc unam fons et principium et causa horum malorum omnium dici velis? Nam quis ulla ætate bellum hoc aut meminerit aut narrabit, qui non tuum in primordio flebilis historiæ nomen ponat? Quis hanc pinget historiam, quæ iam per aulas porticusque magnatum pingi incipit, qui non et inter consiliarios et inter ipsos etiam bellatores tuam fingat effigiem? Mirum prorsus nec unquam alias visum spectaculum, inter galeas clypeosque et micantes gladios et tela trementia, venenoso afflatu animos inficiens et verbis intendens bellum nigra succinctus veste fraterculus. Gaude igitur, exulta qui e tribus Catonis magni et e Scipionis Æmiliani laudibus consecutus es duas, ut scilicet et imperator sis, et orator optimus, quippe qui exercitum nutu solo, populum voce regas. Ne qua autem in re summis illis viris cedas, eorum

quoque laudem tertiam usurpare quis prohibet, ut optimus etiam sis senator, quando omnis patriæ fortuna, omnes primorum civitatis sententiæ de consiliis tuis pendent? Tres enim in homine summas res uterque illorum præstitisse fertur, ut esset optimus orator, optimus imperator, optimus senator. Sed vide, oro, ne qua te gloriæ cupiditas obliquis tramitibus huc impellat. Profecto enim nemo vel senator vel imperator bonus est, ne dicam optimus, nisi qui domi militiæque ea consulit atque agitat, non quæ sibi speciosa, sed quæ populo atque exercitui fructuosa sunt. A quo te quam longissime abesse quis non videt, qui pacis dulcedine relegata, ultro in patriam bellum amarissimum atque anceps attraxeris? Restat oratoris nomen solum, quod ipsum mala et noxia suadendo mereri equidem non potes, cum, sicut summis oratoribus visum est, orator sit vir bonus dicendique peritus. Video in quantas angustias te coarctem qui ex omnibus titulis quos sperabas ne unum quidem tibi concesserim, nisi pro parte dimidia. Etsi enim dicendi peritum non inficier, oratorem nego. Neque etenim aut bonus vir es aut esse potes. qnamdiu te publicis bonis, ut facis, et pacis consiliis adversum præbes. O quanto felicius vel tibi vel patriæ mutus esses, quam facundiam pestilentem tanto studio quæsivisses! Ergo si tu loqui aut nescires aut nequires, nec laboraret Italia, nec lugeret. Ergo in lingua tua publicæ miseriæ radix est, quam si Deum, si proximum, si patriam, si te ipsum diligeres, commorsitatam dentibus proiecisse decuerat, profuturam potius corvis aut canibus, quam hominibus nocituram. Tu tamen hoc agis, ad hoc niteris, hoc

magnificum ducis, quod te more aucupis mulcente aures, credulum vulgus in tendiculas tuas cadat, quodque aliquid ærumnarum novarumque in dies ruinarum titulis tuis accrescat, quibus iam pene nihil accrescere intra miserabilis patriæ fines potest, quæ exterius vastitatem miseram, et hostilem tuis attractum, ut sic dicam, manibus exercitum, intus vero linguæ tuæ arietem duraque patitur imperia. Dircæo siquidem Amphioni per contrarium simillimus evasisti. Ille Thebas suo struxit eloquio, tu Ticinum sternis tuo, pervetustam, ut fama est, nobilissimamque urbem, et nisi te unum civem lævo sidere genuisset, felicissimam; te autem cive miseram, te duce miserrimam: nisi te illud excusat, quod obsessam patriam magnæ partis civium exilio et multa domorum strage laxaveris, atque una contentam crebris muniens plateis, obsidionis horrenda solatia inustam tota in urbe solitudinem et diversoria sane bonis inamœna paraveris. Hoc ne autem, seu quid aliud, quæso, est propter quod ut labia tua aperiat, quotidie Deum rogas? vide, oro, quid postules, quid promittas? Petis ut aperiat, puto non ut hominum cladem, sed ut Dei laudem nunciet os tuum. Quod quam fideliter impleas tu cogita. Certe ille pacem, tu contrarium prædicas, ad litteram fortassis intelligens Evangelicum illud: *non veni pacem mittere sed gladium.* Cur non potius ad id respicis, quod sine allegorico tegmine nuda veritas clamat: *hoc est præceptum meum ut diligatis invicem; Diligite inimicos vestros; Benefacite his qui vos oderunt; Pacem habete inter vos;* qui quotiens aliquem salvasset hoc fere cum alloquio dimittebat: *vade in pace;* et ad discipulos ingressus hoc salutatio-

nis genere uti solebat: *Pax vobis*, eodem illos uti debere præcipiens; postremo qui eisdem, quos valde dilexerat et diligebat in finem, iam morti proximus supremo elogio pacem dedit ac reliquit? Tu populo tuo quid sis moriens relicturus nescio: certe vivens bellum illi et labores et impensas et multiforme periculum acervasti. Quantum mihi videris oblitus omnia quæcumque conferre poterant ad salutem, illam in primis parabolam Salvatoris, quam fortassis ideo despicis, quia Lucas solus eam posuit, seu turrim erecturi, seu ad bellum profecturi, atque ante quam opus aggrediatur, sumptus operis aut militiam computantis. Quæ negligentia quæve præcipitatio non rogantem ea quæ pacis sunt, sed maiora viribus ausum te merito perdet, ut auguror. Bene quidem: modo ne unius hominis ruina populum premat immeritum, quem audire non sinis, quo salvus et innocens permansisset, illud Apostolicum ad Hæbreos: *Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* O! ingens æstimatio parvæ rei, tam multos esse calamitosos, ut tu disertus appareas, et unius linguæ falsam gloriam tot mortibus atque vulneribus constare. Quamquam quid ego hanc frivolis et inanibus coniecturis malorum præsentium causam quæro, quæ si vera esset, haud dubie plus sit vanitatis habitura quam criminis? Alia quidem et verior et gravior causa est. Aliquanto altius quam ad solam eloquentiæ famam tendis. Atqui romanos duces externosque considera. Nullum apud nos propositi talis exemplum, nullum similis audaciæ ducem habes. Quis enim inermis linguæ fiducia tale unquam aliquid aggressus est? Nisi Ciceronem

mihi forsan obiicias, qui licet, ut scimus, omnipotenti facundia terruerit atque urbe propulerit Catilinam, tamen et consulatus illum suus et senatus ac civium consensus armabat, nec privatus ipse sibi imperium quærebat, sed reipublicæ libertatem. Obiicies Pisistratum Atheniensium tyrannum, quem licet eloquentissimum non ignorem, ille tamen et lingua armatus et gladio, servire sibi patriam coegit. Unus ex omnibus Pericles, qui postea locum eius arripuit, tibi magna ex parte similis videtur: siquidem tantum inermi facundia valuit quantum ille valuerat armata: itaque florentissimam urbem summum Græciæ decus fando pessum dedit. Sed et hic quoque diversitas multa est. Ille enim magnus princeps nullo religiosæ servitutis compede obstrictus: tu e radice humili veniens, et paupertatem et obedientiam professus, qui subesse pauperibus vovisti, divitibus vis præesse, et ut voti huius iniquissimi compos sis, præstat tibi non tam tuum lepos (ne hinc valde complaceas), quam tuorum civium mira simplicitas, quos ex ore tuo pendentibus hamis captos eo trahis, unde mihi crede non retrahes. Quid hinc dicam? Utinam tam fidei tuæ possem quam ingenio gratulari. Profecto si patriam amares matrem et altricem tuam, illi potius te quam illam tibi subiiceres: nunc ut contrarium velle damnabile, sic tantum posse mirabile est. Gaude iterum: unus tu e cunctis terris ac sæculis incomitatus, nudus, pauper, ignobilis, novis et inauditis artibus tyrannidem occupasti, et quæ Longobardorum regum quondam regia fuerat, nunc tui imperii sedes est. Robustum populum qui talem dominum ferre queat. Bellicis quoque succes-

sibus tuis lætor, et quod giganteum illum exulem triumphis ac victoriis clarum providentissimi cives tuo freti consilio receperint, qui velut alter Alcides non duodenos tantum, sed millenos obeat labores, et heroicis actibus cuncta terrarum monstra conculcet; et quod circa Nancani castrum, ubi maxime fervida illa vis animi et ille tuus acerrimus conatus exarserat, saltem semel egit ut debuit fortuna. Videto autem ut et arcis illius exactam custodiam, et piam captivorum curam habeas. Hoc magnitudinem tuam decet, ne per insolentiam attollatur, sed inter vinctos tuos, quos ante triumphalem currum es acturus, summum et præcipuum sit insigne clementia. Proinde ut omittam iocos et finiam quod incepi, oro te, amice, et obtestor ut ad te reversus examines non quid iuvet, sed quid deceat: neque quid esse cuperes, sed quid es, quem te fecerit natura, quem fortuna, quem professio, quem vitæ series anteactæ. Intelliges, nisi fallor, nullum inter hæc ambitioni ac iactantiæ, nullum ineptæ et indignæ tyrannidi locum esse. Quotiens ista tua dominandi cupiditas inardescet, non dico cœlum aspice, quod quidem bene instituti et modesti homines faciunt dum tentationibus urgentur, sed in te ipsum verte oculos, ac vicissim calceos, zonam amictumque tuum contemplare acriter: videbis nil tibi purpureum, et sub Christo famulatum redolere omnia, non super homines principatum. Ad summam si nullis ad hoc seu iurgiis, seu monitis, seu precibus flecti potes ut ridiculum tyrannidis appetitum exuas, at saltem pacis amorem indue, ne vel a consortio exul hominum bonæ voluntatis, quibus pacem angelicus præco denunciat, vel in testa-

mento quo Christus pacem suis legat, exhæredatus aut præteritus videare. Cura si sapis, ut quod cupide facis, facias diu. Dominandi avidus servire cupientibus impera. Dominare, frater, dominari volentibus, sed in pace, quæ sola quidem et parva augere potens est, et dissipata colligere, et exsanguia refovere: dominare, sed integra in urbe; sive quoniam id iam fieri nequit, his ipsis ruinis dominare placatior, nec laceram iam amplius lacerandam implacabili censeas feritate. Ne accingaris linguæ tuæ gladio semper, sed prudentia et facundia tua intende prospere, procede, et quando ita vis, civesque volunt tui, regna, et attende sequentia. *Propter veritatem enim et mansuetudinem et iustitiam* quæ pacis utique sunt sorores, *deducet te mirabiliter dextera tua.* Memento ut Gedeon cum audisset a Domino: *Pax tecum, ne timeas,* erexit altare Domino et dominicæ pacis nomen imposuit. Noli tu de tuis bellis quod supremo vitæ tempore Iulius Cæsar meditatus fertur, Marti templum extruere. Aliud namque bellicosum principem, aliud pacificum fratrem decet. In finem, si exemplo cæsareo delectaris, et dominus mavis esse quam frater, etsi nihil monstruosius a sæculis auditum sit, si tamen astra consentiunt, imo si patitur Deus, esto dominus, sed clemens et mitis et amator pacis, quod illum fuisse constat omnibus in quorum manus illius epistolæ, quas per ipsum civilis belli tempus scripsit, forte pervenerunt. Hoc ultimum quasi cœleste oraculum ausculta. Stude potius ut tibi bene sit, quam ut aliis male, et cave ne odiorum aut invidiæ stimulis populum tibi subiectum in extrema miseriarum, quæ iam vicina sunt, ultimamque perniciem

impellas, neve quod tibi, si saperes, summopere providendum erat, honestissimum ordinem quem professus es, supra gloriosum Augustini nomen et sacras ereniticæ vitæ delicias multorum religiosorum hominum devotione humili fundatum, tua tyrannica et urbana superbia vel concutias vel infames: sed memor esto sub eodem tecto venerabiles ipsius Augustini reliquias tecum esse, eumque solicitum sui ordinis et amantem fingas tibi semper imaginarium, ut dicitur, testem atque omnibus quæ gesseris aut dixeris aut demum cogitaveris, interesse. Tandem timeas tanto sub teste peccare atque ea committere quibus et tuus ille dominus ac magister, et omnium magister ac dominus Christus offenditur. Vale.

Mediolani, VIII. Kal. Aprilis.

FINIS SECUNDI VOLUMINIS.

INDEX.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

In Volumine I.

Pag.	lin.		
XI	ult.	resecasse	resecuisse
XV	(d) 30	Ibidem Bibliotheca Vaticana etc.	Ibidem Bibliotheca VATICANA codices habet distinctos num.is 2951, 3355, 4518, 4527, 5224, 5624, quorum unusquisque auctoris nostri plus minusve epistolarum complectitur. Omnium ditissimus est qui numerum præfert 5624. Ibidem Bibliotheca BARBERINORUM codices binos habet sub num.is VIII, 56 et XXX, 484, quibus epistolæ continentur quas nos in Appendice ad Vol. tertium num.is 7 et 8 proferemus.
XVI	post 37	*Addas*	In Bibliotheca SEMINARII Codices CCCLVII et CCCLVIII, in quibus extant litt. 14, XV *Fam.* et 4, XII *Senil.*
XX	5	extitisse	fuisse
XX	9	tum ... quum	quum ... tum
XXIII	6	V. 4. 7	V, 4, 47.
XXIII	ult.	n.is 4935 etc.	n.is 2951, 3355, 4518, 4527, 5224, 5624. Ibidem in Bibliotheca BARBERINORUM, n.is VIII, 56 et XXX, 484.
XXIV	post 14	*Addas*	Ibidem Codd. CCCLVII et CCCLVIII in Bibliotheca SEMINARII.
XXXVIII	5	Dignum Erato felix	Dignum erat o felix
XLIV	post 10	*Addas*	Fervet animus. *Ad ignotum.* Vol. III, Append. n.o 6.
LVI	post 16	*Addas*	Malitia salutabis. *Ad Malitiam.* Vol. III, Append. n.o 7.
LVIII	post 16	*Addas*	Motus crebris. *Ad Lucam sacerd. Placentinum.* Vol. III, Append. n.o 5.
LXVI	post 8	*Addas*	Orationis celeberrimæ. *Ad Iohannem Mori.* Vol. III, Append. n.o 8.
LXXIV	penult.	Ad hæc loca adnotandum, quod nimis fidenter veterum editorum vestigia sequuti, epistolam Lombardo a Serico inscriptam quæ locum suum inter *Seniles* (Lib. X, n.o 14) sortita fuerat nos inter *Familiares* locavimus. Eam benignus lector hinc expungendam noverit, et in eius locum illam esse restituendam, quam inter nostras Varias sub n.o 53 inveniet, quæque in Codd. A, B, C, vere est 8, VIII, Fam.	
XCVII	4		
CXXI	4		
454	10		
CXIX	23	Morari	Mirari
CXLIII	19	anno forsan antecto Canonicus renunciatus fuerat	hoc eodem anno Canonicus renunciatur
»	ult.	exceptus: ibi institutiones	excipitur. Florentiæ institutiones
CXLIV	2	Clemens IV	Clemens VI
317	29	lacrimarum ore	lacrimarum rore
440	18	erat inimicus	erat unus

In Volumine II.

61	ult.	Ocriculanas profuso cruore	et claros persico cruore
63	10	tu œtronitui	tuæ tonitrui
455	13	quoquemodo	quoquomodo
475	5	obrepas	obstrepas
482	23	*carbonis*	*carbonibus*
483	20	hybleis	hyblæis
489	17	defossamque	defossumque
	29	aera	ære
490	4	queris	quæris
496	8	Pyeridum	Pieridum
505	19	Januensibus	Gennensibus

Prezzo del Volume: Lire 10 italiane.


SAVELLI & CAPPELLI
LEGATURE DI LIBRI

